

LIBRARY OF PRINCETON
THEOLOGICAL SEMINARY

AFRICA CHRISTIANA

PARS TERTIA

VOLVMEN III·

STEPH· ANTONII MORCELLI

E SOCIETATE IESV

PRAEPOSITI ECCLESIAE CLARENSIS

AFRICA CHRISTIANA

IN TRES PARTES TRIBVTA

VOLVMEN III·



BRIXIAE

EX OFFICINA BETTONIANA

M· DCCC· XVII





AFRICAE CHRISTIANAE

PARS III.

SIVE

ANNALES ECCLESIAE AFRICANAE

AB ANNO CCCCI.

AD ANNUM DCLXX.

Tertius jam annus procedit laboris hujus nostri atque operae, cujus molestiam aequo animo toleramus (1): minime defuturos rati, quibus denique, parte hac operis tertia absoluta, utile aliquid ac jucundum attulisse videamur. exposuimus autem volumine superiore, quae prima Ecclesiae Africanae aetas, quae florens veluti adolescentia fuerit: quam ad viriditatem etiam quamdam maturitatemque perductam ostendimus. hinc eadem, quum firmamentum stabilitatis suae habere aliquamdiu visa esset, canescere quidem paullatim, atque ad senectutem deflectere coepit: sic tamen, vitam ut esset multo productura longius, nisi eam vis ademisset. neque enim senio ipsa suo confecta periit, sed hostium armis oppressa succubuit. quamobrem haec quoque Annalium pars vel ultima perpetuam prope magnorum exemplorum seriem exhibitura est, in quibus vix ulla senescentis virtutis indicia recognoscas: ut Ecclesia illa, quae tanta cum laude adoleverat, cum dignitate etiam cecidisse videatur. de quo quidem nec mirari sapiens magnopere debet, qui sequentis aetatis vices et immensos illos maximarum tempestatum fluctus meminerit, quibus deinde Africa paene obruta est: quum barbarorum exercitibus per omnes provincias infusis, indigenae omnes, vexati fugatique, urbes passim direptioni atque incendiis reliquerunt. plurimum nempe, ut solent, adversae res ad longum tempus Ecclesiae huic profuerunt, ut philosophari cum Apostolis edocta, caelestia jam periculis contemptis spectaret, et iis, quae eripiebantur, bonis aeterna praemia anteponeret. hinc rursus Martyrum seges, hinc Confessorum ingens numerus, hinc fortium Episcoporum egregii manipuli exstitere: quorum utique constantiam flagrans illa beati aevi et immortalium bonorum spes ac fiducia roboravit. quae

(1) *Scribebam haec Romae an.* MDCC.LXXXX.

quum ita sint, omnes jam, qui Christianam virtutem suspiciunt, et insignium factorum cognitione delectantur, hanc item historiae nostrae partem neque inutilem sibi neque ingratam esse intelligent; nos vero, qui eam incohatam perficere conati sumus, operae pretium fecisse nobis videbimur, quod res maximas et memoria dignissimas, neque dispersas vagari, neque abditas latere diutius passi simus.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCI.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Fl. Fravitta, Ragonius Vincentius Celsus, hic in Occidente, ille in Oriente, cujus et nomen varie effertur: nam et *Fravitus* et *Flabitus* in Fastis audit, atque in veteri epitaphio *Finevitta* (1). Africam Proconsul, idem, qui anno superiore, Pompejanus regebat: exercitibus praeerat Bathanarius Comes, ad quem lex missa contra eos, qui Marcharidi proscripti bona apud se recepta condiderant, nec fisco reddebant. unus ille ex antesignanis fuisse putatur factionis Gildonianae, quae tota proscripta est: nec jam cetera notus. enim vero et aliis Honorius Aug. praeclaris legibus latis, ut Africanis provinciis opem tulit, sic Africanae etiam Ecclesiae prospexit. nam hoc anno Clericos Monachosque a lustrali collatione immunes esse jussit. *Quicumque*, inquit (2), *Catholicae religionis Clerici intra eum modum, unde victus emendi vendendique usum lege praefinitum exercent, ab auraria pensione habeantur immunes. ab his quoque, quos a publici laboris actu et gradus Clericatus, et quod non minus est, sanctior vita defendit, praecipimus temperari.* atque haec pientissimi Principis erga Catholicos indulgentia eo maxime spectabat, ut schisma Donatistis ipsis gravius in dies atque odiosius esset, societas vero Catholicorum multo optabilior videretur. hoc idem urgebant clarissimi Episcoporum Aurelius, Alypius, Augustinus, Possidius, alii, qui eos ad Catholicam Ecclesiam litteris invitabant, et beneficiis etiam demereri conabantur. unus tamen hoc anno, isque externus, in Donatistis permovendis superandisque felix fuit, vir omnem laudem virtute supergressus, magnae virginis Eustochii frater Pammachius. erat hic e familia Consulari, et inter urbis Senatores clarissimus: quumque opulentissimus esset, in Africa etiam atque in ipsa Numidia, ubi Donatistae potissimum tamquam in regno suo dominabantur, praedia et colonos multos habebat, qui sectae illi misere adhaeserant. enimvero Pammachius, qui Catholica religione nihil antiquius haberet, colonorum suorum vicem dolens, graves ad eos litteras misit, quibus dolorem suum significabat, nec se ferre posse ajebat, ut a quibus dominus appellaretur, iidem a se essent religione alienissimi: optare se vehementer, ut errorem dediscerent, et secum id est cum Catholica

(1) *in port. aedis Marian. Transtib.* (2) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. L. 36.*

Ecclesia sentirent, quacum errare non possent. tantum autem apud eos nota domini pietas atque auctoritas valuit, ut mutato repente consilio, manus darent, et in sinum gremiumque Catholicae Ecclesiae omnes confugerent. quamobrem Augustinus exsultans, quamquam Pammachium minime de facie norat, litteras tamen ad eum gratulandi caussa misit (3), tamquam ad veterem amicum, quandoquidem eodem religionis et caritatis vinculo jamdiu constricti, Deo uni ambo serviebant. *Iam*, inquit, *simul eramus, et conjuncti sub uno capite vivebamus: in cujus caritate nisi radicatus esses, non tibi tam dilecta Catholica unitas foret, nec colonos tuos Afros eo terrarum, unde Donatistarum furor exortus est, hoc est in media Consulari Numidia constitutos, tali admoneres adloquio, tanto fervore spiritus animares, ut devotione promtissima ad sequendum eligerent, quod te talem ac tantum virum non nisi agnita veritate sequi cogitarent: et tam longe a te locorum intervallis remoti, irent sub idem caput, atque in ejus membris in aeternum tecum deputarentur, cujus praecepto tibi temporaliter serviunt.* quia porro alii erant Romae Senatores, qui fundos in Africa habebant, et colonos iis praefectos, qui Donati schisma sequerentur, se praeterea maxime cupere ostendit, ut factum ejus ceteri imitati, rusticanos illos cohortatione sua ab errore revocarent. *O quam multorum*, inquit (4), *tecum pariter Senatorum, pariterque sanctae Ecclesiae filiorum tale opus desideramus in Africa, de quali tuo laetamur! sed illos periculosum est exhortari, tibi securum est congratulari.* tum auctor eidem est, ut illis epistolam suam legat: *sic enim*, inquit, *ex tuo facto fieri posse in Africa credent, quod forte dum putant fieri non posse, pigrescunt.*

II. At vero Carthagine Aurelius Episcopus ingenti animo Africae universae utilitatem salutemque complexus, quae mox in Concilio magno pertractanda viderentur, in tabulas diligenter relata mature adornabat. opportune autem responsum quoque ab Anastasio Pontifice maximo acceperat, ad quem anno superiore de Concilii sententia legatum miserat (5), ut Cleri supplendi caussa, eum de Donatistarum admissione consuleret. qui quidem, etsi epistolam ejus non habemus, quantum ex ipsis proximi Concilii sanctionibus apparet, non tam se admissioni eorum adversari, quam fidei eorum voluntatique diffidere significaverat, ac magnopere hortatus erat, ut insidias Donatistarum caverent, et quae contra Ecclesiam Catholicam moliebantur, summo studio propulsanda curarent. Ubi demum advenisse Episcopi visi sunt, quos exspectari par erat, Concilium idibus Septembribus in Secretarium Basilicae Restitutae vocatum est (6): in quo Episcopi ex Africanis omnibus provinciis consedisse dicuntur. primum vero epistola Anastasii recitata est, qua eos *paternae et fraternae caritatis sollicitudine ac sinceritate* adhortabatur: post quam *Gratias*

(3) *epist.* 58.
(4) *ibid. n.* 3.
(5) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 894. v. Baller. *de ant. Collect. can.* §. 3.
(6) *ibid. p.* 899. *ante can.* 66.

agimus, dixerunt, *Domino nostro, quod illi optimo ac sancto antistiti suo tam piam curam pro membris Christi, quamvis in diversitate terrarum, sed in una compage corporis constitutis, inspirare dignatus est.*

III. Exinde, qua ratione Donatistae, quo serio resipiscerent, tractandi essent, diu multumque disputatum traditur (7). ac tandem, quae Augustini jamdiu sententia erat, inquiunt Patres, *Adnuente atque admonente spiritu Dei, elegimus cum memoratis hominibus, quamvis de Dominici corporis unitate inquieta dissensione praecisis, leniter et pacifice agere: ut quantum in nobis est, omnibus, qui eorum communione et societate irretiti sunt, per universas provincias Africanas penitus innotescat, quam miserabili errore devincti sunt.* tum, quia constaret intererat, quemadmodum Donatistae adversus Maximianistas se gessissent, qui ab eis non aliter, quam ipsi olim a Catholicis, secesserant; litteras ad Iudices Africanos Concilii nomine scribendas censuerunt, ab iisque petendum, ut quo erant amore erga Ecclesiam Catholicam, praestarent ipsi, quod non ubique Episcopi facere possent, nempe *Vt judiciaria potestate atque diligentia ex fide Christiana quid gestum esset in omnibus locis, in quibus Maximianistae Basilicas obtinuissent, inquirerent, et Gestis publicis propter firmam notitiam omnibus necessariam facerent inhaerere.* tertio loco placuit, ut litterae ad Episcopos transmarinos atque ad Anastasium in primis mitterentur, quibus ostenderent, omnino ad Ecclesiae pacem atque utilitatem necessarium esse, ut Donatistis, qui jam Clerici essent, ubi ad Catholicos transire correcto consilio vellent, aditus in Clerum pateret, Episcopi tamen arbitrio, qui eos recepturus esset; quemadmodum apud majores diu obtinuerat: nec vero eo animo in hanc deliberationem venisse se, ut sanctionem Italici Concilii dissolverent, Capuani, opinor, aut Romani, quod haeretica labe infectos, vel si errorem deponerent, a Clero in perpetuum removebat; sed ut Ecclesiae tranquillitati consulerent, et unitatem omnium consensumque tuerentur: quin et paratos se esse, iis tantum veteres honores relinquere, quos ita recipi oportere ratio ipsa et loci temporisque conditio evinceret. denique decretum est, ut Legati praedicandae pacis et unitatis e Concilio ad Donatistarum Episcopos plebesve mitterentur, qui caussam eorum desperatissimam, defensionemque miseram atque inanem, Maximianistarum exemplo, quos a se damnatos receperant, demonstrarent.

IIII. Post haec Patrum reliqua cura fuit, ut Cleri totius moribus atque Ecclesiae administrationi dignitatique prospicerent. praescriptum primo est, quinam e Clero ab uxoribus abstinere deberent (8), et ex veteri lege sancitum, eos esse Episcopos, Presbyteros, Diaconos: at de ceteris satis esse, ut uniuscujusque Ecclesiae consuetudinem servarent. jam res Ec-

(7) *ibid. can.* 66.
(8) *ivid. p.* 903. *et* 987. v. Marc. *Diss. Eccl. p.* 378.

clesiarum a nemine vendi voluerunt (9): si necessitas cogeret, Primatis et Episcoporum, quos ipse convocasset, consilium audiendum; si hoc temporis angustia non pateretur, quidquid actum esset, ad eosdem referendum esse decreverunt: qui secus fecisset, caussam dicturum. placuit praeterea, ne quispiam Episcoporum, relicta principali Cathedra, ad Ecclesiam ullam in dioecesi constitutam se conferret, aut negotii privati caussa ab ea diutius abesset. constitutum de pueris infantibus, de quorum baptismo per certissimos testes non constaret, ut ii baptismo sine cunctatione abluerentur; quod Legati Maurorum requisivisse dicuntur, qui pueros ejusmodi multos a barbaris redimebant: itidemque Ecclesias consecrandas esse, si de earum consecratione certi nihil traderetur. diem venerabilis Paschae litterarum formatarum subscriptione, id est uno exemplo omnibus promulgari jusserunt: Concilii vero diem statum esse xI. kal. Novembres; et Primates ejus caussa admoneri placuit, ne synodum ipsi suam eo tempore in provincia propria celebrarent. cautum, ne Episcopus, qui Ecclesiae vacanti *Intercessor* sive curator datus esset, quaecumque populi erga eum studia forent, illam ipse retineret; idemque dare operam jussus, ut intra annum proprius ei Episcopus praeficeretur. ad tutelam egenorum, ne tota ea cura Ecclesiis incumberet, Defensores ab Augustis postulandos censuerunt, qui contra divitum potentiam cum Episcopis advigilarent. quo autem Concilii frequentiae consultum esset, Primatibus praescriptum, ut provinciae suae Episcopos in duas tresve turmas dividerent, ex iisque legi curarent, qui ad indictam synodum proficiscerentur: ac si forte sontica caussa detineri eos subinde contingeret, eam ipsam epistolae subscriberent, quae a Primate ad Concilium communi provinciae nomine mittenda erat, et *Tractatoria* appellabatur. si ne id quidem iis integrum esset, ut de mora sua ad Primatem referrent; qui non retulisset, ceterorum Episcoporum communione careret.

V. Confirmata insuper vetus lex nova sanctione dicitur, primum ne Presbyteris aut Diaconis, quos ob grave crimen a sacro ministerio removissent, poenitentium more manus imponeretur: tum ne qui Baptismo se iterato tingi passi essent, in Clerum unquam adlegerentur. datum vero Clericis, qui ob scelus manifestum a sacris exclusi essent, ut intra annum jus suum persequi, atque se apud Episcopos purgare fas esset. poena etiam in Episcopos dicta, ut Collegarum communione careret quicumque Monachum ex alieno monasterio vel Clericum faceret, vel monasterio suo praeficeret: additumque, ne qui consensisset, Clericus ibidem aut Praepositus esse posset. statutum de Altaribus, quae per agros viasque tamquam Memoriae Martyrum excitabantur, si nullae ibi Martyrum reliquiae essent, ut ab Episcopis everterentur: si plebs turbis obsisteret, ut ea admoneretur, ne talia loca celebraret, superstitionemque vitaret. aediculae item ceterae tollerentur, nisi in iis reliquiae Martyrum essent, aut eos ibidem habitasse quondam possessionemve usurpasse, sive crucia-

(9) *ibid. p. 987. can. 4.*

tuum perpessione sanctitatem loco intulisse constaret. cum his demum canones quoque recepti quidam esse videntur, quos Aurelius anno superiore in Concilio provinciae suae sanciendos curaverat (10). ceteris pariter adnectendus est canon Codicis LXXXI. *Vt si quis Episcopus heredes extraneos a consanguinitate sua, vel haereticos etiam consanguineos, aut paganos Ecclesiae praetulerit, saltem post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur. nec excusari possit, si intestatus decesserit: quia utique debuit, factus Episcopus, rei suae ordinationem congruam suae professioni nequaquam differre.* inter haec de Cresconio, quem accusatum scripsimus (11), quod relicta Ecclesia Villaregiensi in Tubuniensem invasisset, mentionem rursus inlatam accepimus (12), et Patres censuisse, quod ille decreto non obtemperasset, Primati Numidiae mandandum esse, ut litteris ad Cresconium datis proximo eum Concilio adesse juberet, moneretque, si renuisset, fore, ut sententia in eum pronunciaretur. actum quoque est de Episcopo Hipponis Diarrhyti creando in Equitii locum, qui pontificatu dejectus fuerat: designatique e Patrum qui aderant, numero *Reginus*, *Alypius*, *Augustinus*, *Maternus*, *Theasius*, *Evodius*, *Placianus*, *Vrbanus*, *Valerius*, *Ambivius*, *Fortunatus*, *Quodvultdeus*, *Honoratus*, *Ianuarius*, *Aptus*, *Honoratus* alter, *Ampelius*, *Victorianus*, *Evangelus*, *Rogatianus*, ut Concilio dimisso, omnes Hipponem Diarrhytum pergerent, et animis civium ad concordiam revocatis, ex communi consensu Episcopum ordinarent (13). ultima sanctio fuit, si quo litterae de Concilii sententia mittendae essent, ut venerandus Episcopus, qui Sedi Carthaginiensi praeesset, omnium ipse nomine dictaret subscriberetque: Episcopis autem, qui ad Donatistas legabantur, ut litterae darentur, quae quid ipsis mandatum esset, accurate explicarent.

VI. Post Concilium viginti Episcopi Hipponem Diarrhytum profecti, Florentinum, quem sibi cives Episcopum optarant, consecraverunt: qui decennio post Collationi Carthaginiensi interfuit. paullo post mortuus videtur Numidiae Primas, ad quem Concilium scribendum censuerat, ut Cresconium Villaregiensem in ordinem redigeret. subinde enim exorta controversia est inter Victorinum et Xanthippum, uter eorum Primati demortuo ordinationis antiquitate proximus esset, et gradum illum honoris sibi jure vindicaret. uterque autem epistolas scribens se Primatem appellabat; Victorinus vero, cujus Ecclesiam ignoramus, Concilium etiam indicere ausus est, Tractatoria ad Episcopos missa, cujus exemplum Augustinus quoque V. idus Novembres se ab eo accepisse, rescribens testatus est (14). quin par exemplum ad Mauretanias non minus miserat, quae Primates suos habebant; qua de re Augustinus valde se miratum ajebat, quum in illa epistola Primates earum non cierentur. ceterum hic

(10) *ibid. p.* 907. *can. Cod.* 82. 84.
(11) *ad annum* 397. *n. x.*
(12) pud Hard. *ibid. p.* 906. *n.* 77.
(13) *ibid. n.* 78.
(14) *epist.* 59.

se non adfuturum respondit, et quod incommoda valetudine esset, et quod angustia temporis et aliae graves necessitates eum impedirent: tum etiam, quia epistola erat ejusmodi, ut falsa merito videri posset. se autem auctorem esse, ut ipse et Xanthippus concordi animo collegas seniores convocarent, et ex horum sententia controversiam ante dirimerent. hanc porro epistolam mittere se ait signatam anulo, *qui exprimit faciem hominis adtendentis in latus;* unde discimus, Episcopos tum signatoriis anulis ad arbitrium usos esse. consilium vero Augustini placuisse apparet: nam brevi seniorum Episcoporum testimoniis planum factum est, Xanthippum antiquiorem Episcopum esse, et hic deinceps Primas Numidiae habitus est, quem Tagorensis Ecclesiae Episcopum fuisse novimus.

VII. Quaenam id temporis curae Augustinum exercerent, epistolae ejus nos docent. nam ut Hipponem suum rediit, Aurelio Carthaginiensi, a quo litteras acceperat, de Monachis duobus rescripsit, qui monasterium deseruerant, ut Clerici fierent, quod contra canonem erat, qui modo in Concilio magno Carthaginiensi conditus fuerat. sed quia Donatus ante in Clerum adlectus fuisset, quam ea lex promulgaretur, id enim erat uni nomen; se minime instare significat, ut eum in monasterium remitteret. at de socio addit (15): *De fratre vero ejus, cujus vel maxime caussa de monasterio etiam ipse Donatus abscessit, quum intelligas quid sentiam, nescio quid respondeam. contradicere autem prudentiae, honori caritatique tuae non audeo: et sane spero, id te facturum, quod membris Ecclesiae salubre perspexeris.* praefatus vero jam erat, *Non esse istam viam dandam servis Dei, ut se facilius putent eligi ad aliquid melius, si facti fuerint deteriores. et ipsis enim facilis lapsus, et ordini Clericorum fit indignissima injuria, si desertores monasteriorum ad militiam Clericatus eligantur, quum ex his, qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in Clerum assumere soleamus.* praeclarae vero ejusdem sunt litterae ad Possidium de cultu feminarum et virorum (16), ea notantis, quae ferenda non viderentur. *Nolo tamen,* inquit, *de ornamentis auri vel vestis praeproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debent, quomodo placeant Deo.* at minime decere ait, capillos nudare feminas, quas etiam caput velare Apostolus jubet, nec maritatas. fucari autem pigmentis, quo vel rubicundiores vel candidiores appareant, adulterinam fallaciam appellat: et verum ornatum Christianorum et Christianarum esse dicit non tantum nullum fucum mendacem, verum ne auri quidem vestisque pompam, sed mores bonos. de viris porro exsecrandam vocat superstitionem *ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensae deputentur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum daemonibus:* eosque graviter commonendos censet, qui *solvere inaures timent, et Corpus Christi cum signo Diaboli accipere non timent.* quia demum petierat Possidius,

(15) *epist. 60. n. 2.* (16) *epist. 245.*

an ordinari par foret, qui in parte Donati baptizatus esset, *auctor*, inquit, *tibi esse non possum: aliud est enim facere si cogaris, aliud consulere, ut facias.* alia item Augustino epistola ad Theodorum quemdam, quem fratrem nominat, scribenda fuit, ut is Donatistas edoceret, quomodo eos Catholici recepturi essent, si a schismate recessissent (17): constare enim volebat spargique in vulgus, quantum iis nuper in Concilio Episcopi omnes indulgendum esse censuissent. controversia praeterea illi fuit cum Severo Episcopo Milevitano de Timotheo hypodiacono, quem ille repetebat, quum hic tamen Lector in Ecclesiae Hipponensis dioecesi ab initio fuisset (18). tum Quintiano Presbytero plebis Vegeselitanae, cui Episcopus in Concilio nuper ademptus fuerat (19), monita eum tradere oportuit, ne offensioni esset Ecclesiae, *legendo in populis scripturas, quas canon Ecclesiasticus non recepit:* et Aurelio, Episcopo, uti arbitror, Macomadiensi, qui vacantem Vegeselae Ecclesiam curabat, et Quintianum ipsum a communione sua rejecerat, veniae impetrandae caussa scribere; eundemque de Clerico certiorem facere, qui apud se Monachus fieri vellet. sub anni exitum tristes de Presbytero nuncios accepit, quem Ecclesiae fundi Straboniani praefecerat. nomen huic erat Abundantio, cujus jamdiu haud bona fama quum esset, curae Augustino fuerat, ut certa de moribus ejus indicia reperiret. primum autem comperit, ut idem Xanthippo Primati suo postea scripsit (20), *eum pecuniam cujusdam rusticani divino apud se commendato intervertisse, ita ut nullam inde posset probabilem reddere rationem.* huic deinde crimini aliud accessit: quippe convictum eum confessumque narrat, *die jejunii Natalis Domini, quo etiam Gippitana Ecclesia, sicut ceterae, jejunabat, quum tamquam perrecturus ad Ecclesiam suam valefecisset collegae suo Presbytero Gippitano, hora ferme quinta, et quum secum nullum Clericum haberet, in eodem fundo restitisse, et apud quamdam malae famae mulierem et prandisse et coenasse, et in una domo mansisse.* haec autem ex Clerico Hipponensi cognoverat, qui forte in illud diversorium pervenerat. itaque tertio post die in judicium vocavit, et neglectis criminibus, quae ille inficiabatur, ob haec duo, quae negare non potuit, loco movit, nec diutius in ejus tutela Ecclesiam Strabonianam esse passus est: praesertim quod ea, ut ait, inter haereticorum circumlatrantium rabiem constituta esset. ceterum, *Quum me,* inquit, *rogaret, ut ad Presbyterum fundi Armemanensis in campo Bullensi, unde ad nos devenerat, caussa ejus insinuata litteras darem, ne quid de illo atrocius suspicaretur, ut illic vivat, si fieri potest sine officio Presbyterii correctior, misericordia commotus feci.* tot porro distentus curis magnum praeterea opus, quod dudum incohaverat, impiger urgebat contra Faustum Manichaeum, quem adolescens audierat (21). de hoc ipse opere haec deinde scripta re-

(17) *epist.* 61.
(18) *epist.* 62. *et* 63.
(19) *epist.* 64. *n.* 4.
(20) *epist.* 65.
(21) v. *an.* 382. *n.* 1.

liquit (22): *Contra Faustum Manichaeum blasphemantem Legem et Prophetas et eorum Deum et Incarnationem Christi; scripturas autem novi Testamenti, quibus convincitur, falsatas esse dicentem scripsi grande opus, verbis ejus propositis reddens responsiones meas. triginta et tres disputationes sunt, quas etiam libros cur non dixerim? nam etsi sunt in eis aliqui perbreves, tamen libri sunt.* et quae deinceps.

(22) *lib. 2. Retract. c. 7.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules ipsi Augusti processere, Imp. Fl. Arcadius v. Fl. Honorius v. numerum autem Augustorum auxit junior Theodosius, hoc anno a patre Arcadio appellatus Augustus, quum vix biennis esset: quo tempore Alaricus jam Italiae impendens Romae ipsi perniciem minitabatur; ubi Ecclesia Anastasii Pontificis maximi funus lugebat, cui deinde Innocentium successorem dedit; et ubi Caelestius Pelagii antesignanus communem haeresim scriptis tueri, et venena spargere coeperat, postea cum eo in Africam transmissurus, ut errores suos latius disseminarent. sed in Africa Ecclesias tum ii regebant Episcopi, quos illi fallere astu non possent: magni doctrina, vigilantia pari, atque iis semper intenti, quibus res Christiana defendi augerique posset. inter annuas autem Episcoporum curas recensenda est Catechumenorum institutio, quae quadragenarii jejunii tempore peragebatur. quo spectant Augustini verba ad Competentes (1): *Reddidistis quod creditis, audite, quid oretis.* ac rursum alibi (2): *Tenete ergo et hanc Orationem, quam reddituri estis ad octo dies. quicumque autem vestrum non bene Symbolum reddiderunt, habent spatium, teneant: quia die sabbati audientibus omnibus, qui aderunt, reddituri estis, die sabbati novissimo, quo die baptizandi estis. ad octo autem dies ab hodierno die reddituri estis hanc Orationem, quam hodie accepistis.* porro exstant adhuc sermones Augustini complures, qui eum laborem quotannis rediisse declarent, eamque diu consuetudinem perseverasse ostendant, ut plerique omnes salutari lavacro adulti abluerentur.

II. Interea Donatistarum studia scindebantur, et alii quidem Catholicis jam aequi, schisma suum agnoscebant; alii acerbiore in eos odio furentes, aestuabant in dies magis, et dolo ac vi, quos possent, ad sectam pertrahebant. Crispini vero Calamensis, Episcopi eorum, facinus in primis insigne fuit, de quo illae sunt apud Augustinum querelae adversus Petilianum rursus scribentis (3): *Quid nuper,* inquit, *quod ipse adhuc lugeo, nonne Crispinus vester Calamensis, quum emisset possessionem,*

(1) *serm. 59. c. 1.*
(2) *serm. 58. n. 1.*
(3) *lib. III. c. 83. n. 184.*

et hoc emphyteuticam, non dubitavit in fundo Catholicorum Imperatorum, quorum legibus nec in civitatibus esse jussi estis, uno terroris impetu octoginta ferme animas miserabili gemitu mussitantes rebaptizando submergere? cui propterea Augustinus ipse gravem omnino ac vehementem epistolam hoc anno scripsit, repetens ab eo, ut libertatem Mappaliensibus redderet, quo demum, timore dominationis remoto, eligerent ipsi, quod sequi vellent (4): in quo et Christum Dominum inducit cum Crispino agentem jubentemque animas ab eo sibi reddi, quas sanguine ipse suo redemisset.

II. At vero Catholici Episcopi non minus facilitate, quam pertinacia Donatistarum excitabantur, ut postremi Concilii decreta sequentes, quam plurimos possent, Ecclesiae reconciliarent. ea de caussa Aurelius Episcopus Carthaginiensis, quum forte hoc anno Carthaginem Augustinus se contulisset, et discessionem ejus imbres retardarent, otiosum eum esse minime passus est, jussitque tribus sermonibus explanare psalmum XXXVI. quorum secundo totam illc Donatistarum caussam complexus, prolatis eorum Conciliis, et quae in Maximianistas sectae desertores patrassent, luculenter expositis, inclusit vocem eorum, atque argumentorum, quibus contra Catholicos utebantur, vim omnem debilitavit, fregit (5). pari autem studio rem eandem urgentes Episcopi reliqui, quibus Augustini scripta magno usui erant, multos quidem ad bonam frugem traduxerunt; sed qui odio in Catholicos flagrabant, et contentionis magis, quam veritatis cupidi erant, eos multo acriores experti sunt, ut quos ratio defecisset, vim rursum et arma Circumcellionum cogitarent. eo enim fere hominum audacia prorumpit, qui errare, quam vinci malunt.

III. Sed tamen Catholici Episcopi nihilo secius in proposito susceptoque consilio permanebant: itaque, furore adversariorum contempto, synodum magnam hoc anno Milevi in Numidia, hoc est in medio Donatistarum regno celebrare instituerunt. convenere autem VI. kal. Septembres, adfuitque ipse Aurelius, qui pro Ecclesiae suae jure ac dignitate omnia moderaretur. illic enimvero in Secretario Basilicae quum, Diaconis ejus adstantibus, consedisset, et Episcoporum corona cinctus esset, nonnulla de uno sanctae Ecclesiae corpore, ac de utili omnium concordia praefatus, auctor primum fuit, ut Canones Hipponenses, quales jam Concilium Carthaginiense comprobaverat, in eo consessu relegerentur, et omnium item subscriptionibus confirmarentur (6): quod et Xanthippus Primas Numidiae, et Nicetius Primas Mauretaniae Sitifensis sententia sua sequuti laudaverunt. exinde Valentinus Episcopus Bajanensis in Numidia, qui controversiam anni superioris meminisset, quae Victorinum et Xanthippum inter se de Primatu provinciae commiserat; cavendum diligentius censuit, Aurelio ipso adsentiente, Ut unusquisque ordinem sibi decretum a Deo cognosceret, posterioresque anterioribus primas

(4) *epist.* 66.
(5) *in ps. XXXVI. serm. II.*
(6) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 910.

deferrent, nec eis inconsultis quidquam aggrederentur. ejus autem rei caussa hoc quoque placuit, ut laterculi Episcoporum Numidiae duplex exemplum exstaret, quorum alterum in tabulario Episcopi primae sedis adservaretur, alterum in metropoli, id est Cirtae Constantinae depositum perennaret: tum ut deinceps, quicumque per Africanas provincias Episcopi crearentur, litteras ab Ordinatoribus suis, manu eorundem subscriptas acciperent, in quibus et Consul et dies legeretur (7). ob litem vero, quae inter Severum Milevitanum et Augustinum exorta fuerat de Timotheo hypodiacono, quem ille repetebat, quum is apud Augustinum aliquamdiu Lectoris gradum tenuisset; placuit, Vt quicumque in Ecclesia vel semel legisset, eum sibi alia Ecclesia in Clerum adsciscere non posset (8).

V. Caussae praeterea quaedam Episcoporum relatae, decretumque est, Vt Quodvultdeus Episcopus Centuriensis dudum accusatus, etsi, qui nomen ejus detulerat, caussam postea deseruisset, non ideo absolutus haberetur: nec tamen Episcopatum emitteret, antequam, caussa ejus peracta, constaret, quid meruisset (9). de Maximiano autem Episcopo Bagajensi, qui, quum se minus acceptum civibus suis videret, studio publicae tranquillitatis, petebat, ut sibi pontificatu abire fas esset, censuere Patres, litteras ad eum atque ad ipsam plebem mittendas esse, ut et ille honorem deponeret, et hi novum sibi Episcopum legerent (10). atque hic ille est Maximianus, qui cum Castorio fratre Donatistas reliquerat: quem Alypius et Augustinus eo nomine magnopere laudant, per eumque ostensum ajunt inimicis Ecclesiae, *esse in visceribus ejus qui non sua quaerant, sed quae Iesu Christi* (11). *neque enim*, addunt iidem, *illud ministerium dispensationis mysteriorum Dei victus aliqua saeculari cupiditate deseruit, sed pacifica permotus pietate deposuit, ne propter ejus honorem foeda et periculosa, aut fortasse etiam perniciosa in membris Christi dissensio nasceretur.* quam in sententiam Episcopi Africani postea, quum Collatio Carthaginiensis haberetur, sic Augustino teste *exarserunt omnes, ut parati essent Episcopatum pro Christi unitate deponere, et non perdere, sed Deo tutius commendare.* quod utique aetate nostra Episcopis quibusdam documento esse debebat, ne praeclarum facinus detrectarent. quid vero insuper in Concilio Milevitano actum sit, non accepimus: et alia tamen pertractata esse credibile est; nam quae retulimus, ea tantum in Codice Canonum Ecclesiae Africanae exstant, qui non ipsa Conciliorum Acta comprehendit, sed excerpta ex iis exhibet, quae auctor ejus praeoptavit.

VI. Non multo post Bagajenses, quum litteras a Concilio accepissent, et Maximianus pontificatu se abdicasset, de successore deliberare coeperunt. adeo autem eos illa Maximiani modestia facilitasque permorat, ut,

(7) *ibid. p.* 911. *can.* 89.
(8) *ibid. can.* 90.
(9). *ibid. p.* 910. *can.* 87.
(10) *ibid. p.* 911. *can.* 88.
(11) apud Aug. *epist.* 69. *n.* 1. *et de gestis cum Emerito n.* 6.

quasi compensandae injuriae caussa, studia omnium in Castorium fratrem ejus inclinarint. sed quia is honorem illum defugiebat, Alypius et Augustinus exorandi fuerunt, ut litteris suis animum ejus flecterent, et auctoritate consilioque, quibus plurimum poterant, a proposito revocarent. neque illi officio defuerant, quippe qui Castorium probe nossent, et idoneum maxime arbitrareutur, ut ad Ecclesiam administrandam accederet. itaque communem epistolam ad eum miserunt, in qua Maximiano propter abdicationem pontificatus collaudato, ipsum Castorium gravissimis verbis cohortati sunt, ut morem Bagajensibus gereret. *Tu vero*, inquiunt (12), *fili carissime, non mediocre gaudium nostrum, qui nulla tali necessitate a suscipiendo episcopatu impediris, decet indolem tuam Christo in te dicare quod dedit. ingenium quippe tuum, prudentia, eloquentia, gravitas, sobrietas et cetera, quibus ornantur mores tui, dona sunt Dei: cui melius serviunt, quam ei, a quo tributa sunt, ut et custodiantur et augeantur et perficiantur et remunerentur? non serviant huic saeculo, ne vanescant cum illo atque dispereant.* his porro atque aliis hujusmodi cohortationibus effecisse illi putandi sunt, ut Castorius denique manus daret, et oblatum honorem non invitus susciperet: praesertim quum epistolam ei legi noluissent, antequam ipse a Bagajensibus teneretur, quo jam inutiliter repugnantem facilius pervincerent. ceterum Castorius haud diu pontificatu Bagajensi functus est: nam nomen ejus in Collatione Carthaginiensi desideratur, et ante hanc jam alius Episcopus Ecclesiam Bagajensem regebat.

VII. Quod reliquum est, perlata id temporis in Africam fuerant exemplaria veteris Testamenti, quod Hieronymus ex Hebraeo sermone Latinum fecerat: itaque Episcopus Oëensis, Marinianus, opinor, qui tum in ea urbe Donati partes sine adversario tuebatur, Latinis codicibus posthabitis, qui septuaginta interpretum translationi respondebant, Hieronymianam interpretationem in Ecclesia sua legi jusserat. quid tum? Augustini ad Hieronymum scribentis utar verbis (13): *Movit quiddam longe aliter a te positum apud Jonam Prophetam, quam erat omnium sensibus memoriaeque inveteratum, et tot aetatum successionibus decantatum. factusque est tantus tumultus in plebe, maxime Graecis arguentibus et inclamantibus calumniam falsitatis, ut cogeretur Episcopus, Oëa quippe civitas erat, Iudaeorum testimonium flagitare. utrum autem illi imperitia, an malitia, hoc esse in Hebraeis codicibus responderunt, quod et Graeci et Latini habebant atque dicebant. quid plura? coactus est homo velut mendacium corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe. unde etiam nobis videtur aliquando in nonnullis te quoque falli potuisse.* haec Hieronymus, qui opus illud summo labore intelligentique judicio perfecisset, aegre tulit, suspicatusque facile, quid illi potissimum reprehendissent, se de ea re in commentario Jonae Prophetae plenius respondisse rescripsit: petere

(12) apud Aug. *epist.* 69. *n.* 2. (13) in Hier. *epist.* 112. *n.* 21. v. *Sixti* Senens. *Bibl. lib. v. adnot.* 255.

jam, ut quiescentem senem olimque veteranum militare ne cogeret, et rursum de vita periclitari. *Tu, inquit, qui juvenis es, et in Pontificali culmine constitutus, doceto populos, et novis Africae frugibus Romana tecta locupletato. mihi sufficit cum auditore et lectore pauperculo in angulo monasterii susurrare.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATU functi Imp. Fl. Theodosius junior, Fl. Rumoridus. Africa Proconsulem habuit Septiminum, Vicarium Strategium: milites Bathanario Comiti parebant. his Consulibus apud Pollentiam victus est a Stilicone Alaricus, atque ultra Italiam remotus: ob quam victoriam Honorius Aug. quum ad urbem venisset, triumphavit. subinde vero memorabili lege (1) spectacula gladiatorum abolevit. idem, quia metus erat ab Alarico, et exercitus augeri oportebat, delectum, in Africa etiam, fieri jussit: cujus rei caussa turbatum in Numidia scimus, et tironum tumultu prohibitos Episcopos, ne Carthaginem, quo ad synodum vocabantur, iter susciperent (2).

II. Verum a Donatistis quoque gravia rursus pericula impendebant. ac multa jam a Calamensi Crispino Possidius, multa alii ab aliis pertulerant: Augustinus vero in discrimen capitis venerat, nisi divinitus servatus esset. erat ipse e numero Episcoporum, quos Concilium Carthaginiense biennio ante ad Donatistas Legatos proficisci voluerat, qui eos ad Catholicam Ecclesiam allicerent, et communi nomine invitarent. his vero potissimum duces Circumcellionum indixerant bellum, et insidias secus viam, qua transituri essent, moliebantur. multos ab his jam vexatos caesosque adnotum erat; sed Augustinus semper evaserat, quum plures jam urbes ob eam legationem adiisset. itaque eo diligentius latrones illi de proximo itinere ejus perquisierant, et insidias rursus in via instruxerant. quam tum urbem peteret, non scripsit Augustinus, sed quo pacto mortem vitaverit, sic testatum reliquit: *Nobis ipsis,* inquit (3), *accidit, ut in quodam bivio falleremur, et non iremus per eum locum, ubi opperiens transitum nostrum Donatistarum manus armata subsederat: atque ita factum est, ut eo, quo tendebamus, per devium circuitum veniremus; cognitisque insidiis illorum, nos gratularemur errasse, atque inde gratias ageremus Deo.* ceterum Augustino elapso, furorem illi suum in alios converterunt, et in Presbyterum ejus in primis, nomine Restitutum, Villae Victorianensi praepositum: quem, ut Clerici Hipponenses narrant (4), quia propria et libera voluntate unitatem Ca-

(1) Theodor. *H. E. lib. v. c.* 26.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 914. Baron. *ad hunc annum. p.* 180.
(3) *in Enchir. c.* 17.
(4) apud Aug. *epist.* 88. *n.* 6.

tholicae communionis elegerat, *de domo sua raptum, et pro arbitrio immaniter caesum, in gurgite etiam caenoso volutatum, buda,* id est storea e juncis intexta, *vestitum, quum quibusdam dolendum, quibusdam ridendum in pompa sui facinoris ostentassent, abductum inde quo voluerunt, vix post dies duodecim dimiserunt.* pari crudelitate saeviisse eos in Marcum Presbyterum Casphaliensem, qui a secta defecerat, testatur Augustinus, qui prope semianimem, concursu Catholicorum facto, de manibus eorum ereptum ait (5). eandem ob caussam Marcianum Episcopum Vrgensem aggressi sunt; et quia is arrepta fuga eluserat, impetum in Hypodiaconum ejus fecerunt, quem ad mortem caesum lapidibus denique obruere (6).

III. Inter haec tamen Aurelius, quum maxime interesset, Episcopos ad res gravissimas pertractandas convenire, synodi cogendae consilium non distulit: quae indicta est in diem VIII. kal. Sept. nec vero in tanta rerum perturbatione tamque infestis itineribus irrita ea convocatio fuit. adfuere enim pro temporum conditione satis multi, et stato die Concilium Carthagine incohatum est in Basilica regionis secundae (7). primum autem Aurelius de eorum legationibus retulit, quos biennio ante ad transmarina legaverant, inductique Legati ipsi sunt, qui res a se gestas in consessu Patrum exponerent; ut eae demum, quoniam in congressu diei superioris explicatae fuerant, etiam in Concilii Acta referrentur. deinde legationis suae litteras obtulere, qui a provincia Byzacena missi fuerant, Philologius, Geta, Venustianus et Felicianus; quique a Mauretania Sitifensi venerant, Lucianus et Silvanus: quas item Aurelius in Acta referri jussit. tum e senioribus Episcopis provinciae Proconsularis Numidius Maxulitanus interloquutus, de legatis Numidiae et Tripolitanae et Mauretaniae Caesariensis edoceri voluit. hic vero Legati Sitifenses testati sunt, Tractatoriam in Mauretaniam Caesariensem serius esse perlatam, quam opus erat, ut inde Legati mitti possent: sperare se tamen propediem adfuturos, vel certe, quidquid in Concilio decretum esset, consensu omnium probatum iri. de Numidia autem advenerant Alypius, Augustinus et Possidius. sed absentiae Legatorum eam Alypius excusationem attulit (8), quod Xanthippus, Tractatoria accepta, ob tumultum tironum, quem superius commemoravimus, synodum ea de re vocare non potuisset. nec caussam rejecit Aurelius, sed illud tantum adjecit, non dubitare se, quae Concilium sanxisset, ea Numidicis Episcopis vel absentibus accepta fore: sibi autem curae futurum, ut decreta omnia ad eos perferrentur. de Tripolitanis demum Episcopis ipse Aurelius cognovisse se affirmavit, legatum ab illis esse Dulcitium; qui quidem se mari commisisset, sed, ut ex iis audierat, qui recens ex ea provincia venerant, tempestate retardatus moram interponere coactus esset: itaque videri sibi, ad eos etiam decreta Concilii transmittenda esse.

(5) *epist.* 105. *n.* 3.
(6) Aug. *ibid. n.* 3.
(7) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 912.
(8) *ibid. p.* 914.

universi autem Episcopi Aurelio assensi sunt, et ad ea jam, quorum caussa convenerant, curam omnem contulerunt.

IIII. Actum inter Episcopos Carthagine modo fuerat, quanam ratione Donatistae ad concordiam invitandi viderentur. quumque privatim quisque quod optimum videbatur, in medium attulisset, jam inter omnes convenerat, ut singuli in sua civitate, adscito sibi collega vicinae Ecclesiae, siquidem soli non auderent, Donatistarum praepositos adirent, aut si opus esset, interposita magistratuum vel decurionum auctoritate, eos ad colloquium adigendos curarent. hoc igitur Aurelius in Concilio ut confirmaretur, postulavit. Episcopi vero nihil cunctati, placere id omnibus responderunt, ac simul petiere, ut epistolis, quae ad judices Concilii nomine mittendae erant, ipse Aurelius pro universis subscriberet. sed ille formulam ante perscribendam censuit, ut ne quid in re tanta alter ab altero discreparet, et impetratis a Proconsule Vicariove publicis litteris, singuli eodem modo Donatistas in suis civitatibus ex Catholici Concilii sententia adloquerentur: quae ut exarata fuit, a Laeto Notario coram Patribus recitata est, et omnium suffragio comprobata. in ea autem praescribebatur, ut Episcopus quisque magistratus urbis suae adiret, exhiberetque litteras, quibus Proconsul aut Vicarius audiri eum a Donatistis juberet; illos simul rogaret, ut de his Acta conficienda curarent: tum denique Concilii mandata Donatistis exponeret conceptis verbis, quibus petebatur, ut e numero suo deligerent, qui certo loco ac tempore ad disputandum cum Catholicis convenirent, et quae caussae suae patrocinari crederent, candide libereque proferrent: quo denique tanta dissensio tolleretur, ac finem veternosus error acciperet. atque haec sunt, quae in hoc Concilio pertractata ex Codice Canonum novimus: nam ipsa Acta vetustatem non pertulerunt. paullo post, id est idibus Septembribus, litterae ab Aurelio scriptae sunt Concilii nomine, quibus a Proconsule jus conveniendi Donatistas, et Magistratuum Municipalium ad eam rem auxilium petebatur (9): rescriptumque est a Septimino, *Antistitibus legis venerabilis in quolibet loco ob quietis imperium gestorum conficiendorum tribui facultatem.* par autem rescriptum a Vicario Africae impetratum esse, ambigendum non est: nam Proconsulis auctoritas provinciae ejus finibus circumscripta erat: ceterarum autem provinciarum rectores Vicario suberant.

V. Enimvero Episcopi, quos jam et Concilii sanctio impellebat, et summarum potestatum rescriptum confirmabat, muneri suo minime defuerunt, et Donatistas passim ad colloquium adducere conati sunt. *Factum est,* inquit Augustinus (10), *conventi sunt:* quid tamen inde? quum pacis studium ubique Catholici praeseferrent, nec aliud, quam commune bonum salutaremque concordiam quaererent, Donatistae non modo non consenserunt, sed aperte etiam recusarunt: *quibus verbis,* addit Augustinus, *quo dolo, maledictione, amaritudine plenis, nunc longum est demon-*

(9) *ex Coll. Carth. diei III. c. 174.* (10) *contra Cresc. lib. III. c. 45.*

strare: ut jactare etiam plerique auderent, se Catholicorum congressum vitare, ne *cum peccatoribus* loqui cogerentur: quibus jam Primianus impudenti plane responso praeiverat. nam quum per magistratum Carthaginis ab Aurelio invitatus ad congressum esset, Diacono suo mandaverat, ut apud Acta responderet (11), *Indignum esse, ut in unum convenirent filii Martyrum, et progenies traditorum.* ipse Proculejanus, qui Donatistis Hipponis Regii praeerat, et spem aliquam Augustino fecerat, se cum eo congressurum (12), Concilio suorum vocato, mutavit sententiam, fidem non praestitit. quapropter Augustinus, quum tantam hominum pertinaciam gravissime ferret, et conspirationem illam restinguere maxime vellet, praeclaram quoque epistolam sub persona Ecclesiae Catholicae emisit, errores eorum refutantis (13), et Maximianistarum exemplo urgentis, quos antea damnatos sic receperant, ut etiam baptismum eorum probarent.

(11) Aug. *epist.* 105. *n.* 13. *et ad Donat. post Coll. c.* 1.
(12) *idem epist.* 88. *n.* 7.
(13) *epist.* 76.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt Imp. Fl. Honorius VI. Fl. Aristaenetus, ille Romae, hic Constantinopoli. Africam magistratus iidem administrasse videntur, qui anno superiore missi fuerant. multa hoc anno Possidius vir sanctus a veteri adversario Crispino ferre coactus est, postquam eum bis, publica Decurionum Calamensium auctoritate interposita, ad congressum colloquiumque invitasset, nec aliud ab eo, quam insanum impudensque responsum impetrare potuisset (1). nam paucis post diebus quum in fundum Figulinensem proficisceretur, ut Catholicos quosdam dioecesis suae inviseret, et Donatistas, quos unitatis cupidos invenisset, Ecclesiae reconciliaret (2); paratas sibi a Crispino insidias comperit, in quas ne incideret, divertit in fundum Livetensem. verum illi, ut rescivere, quo confugisset, continuo illuc facto agmine contenderunt: *Tum domum,* inquit Augustinus (3), *in qua cum suis se Possidius incluserat, sepire armatis, lapidibus circumtundere, ambire flammis, aditum ex omni parte moliri.* haec autem omnia Crispini Presbyter, Crispinus et ipse dictus, imperabat, urgebatque. sed *quae aderat incolentium multitudo,* addit Augustinus, *memor periculi sui, si in eo loco aggressum tantum facinus impleretur, partim illum deprecabatur, ut parceret, quem resistendo non audebat offendere, partim vero ignes suppositos exstinguebat. quum ille nihilo segnius coeptis fervidus atque inexoratus instaret, cessit aliquando ictibus janua, ingressi sunt, sauciatisque caede jumentis, quae*

(1) Aug. *contra Cresc. lib.* III. *c.* 46.
(2) *idem epist.* 105. *n.* 4.
(3) *contra Cresc. ibid.*

in inferiore domus parte compererant, de superioribus Episcopum deposuerunt, afficientes plagis et contumeliis: ubi ne gravius saevirent, intercessit ipse Crispinus, velut aliis rogantibus flexus; quorum non tam videbatur in ira sua curare deprecationem, quam in facinore testimonium formidare. tam crudelis facti perlata illico fama est Calamam. expectabant omnes, quo pacto Crispinus Episcopus in Presbyterum suum animadversurus esset: praesertim quum et magistratus Calamenses publice questi essent, et ex Theodosii magni lege, qui multam librarum auri decem in omnes haereticos constituerat (4), nomen ejus se delaturos minitarentur. at Crispinus nec pudore nec metu adduci potuit, ut gravius quidquam in Presbyterum illum suum statueret, et Catholicos, qui quotidie in discrimen vitae veniebant, praesidium legum et praesidum auctoritatem implorare coëgit. itum ad Proconsulem est: credo, quod Consularis Numidiae tum abesset: *Exhibitus Crispinus*, ut apud Augustinum legimus (5), *et quod se esse Proconsuli quaerenti negaverat, facillime convictus haereticus,* multam solvere jussus est. ceterum Possidius, qua erat mansuetudine etiam erga inimicos, precibus exoravit Proconsulem, ut Crispinus ea poena liberaretur: hoc enim unum ille quaerebat, de hoc laborabat, ut aliquando resipisceret. nihil tamen profecit Possidius: nam, teste Augustino, *mitissima sententia non contentus Crispinus, nescio quo consilio,* inquit idem, *quod displicuisse vestris omnibus dicebatur, ad ejusdem Theodosii filios provocandum putavit. acceptatum est, rescriptum est: quid aliud, nisi quod pars Donati jam sciret, se ad illam poenam aurariam cum ceteris haereticis pertinere?* quamquam ne tum quidem, supplicantibus pro eo Catholicis Episcopis, poenam legis subire coactus est.

II. Nondum vero haec Carthagine peracta fuerant, quum illuc Episcopi ad Concilium vocati, undique conveniebant. maturius autem hoc anno coactum videtur, ne Legati, qui ad Principes mittendi erant, sub hyemis tempus, mari jam procellis infesto, navigare deberent. ante diem XVI. kal. Iulias incohata synodus dicitur (6) in Basilica regionis secundae: ipsa vero synodi Acta non habemus; sed illud potissimum a Patribus disputatum novimus, quanam ratione Donatistarum vim reprimi, et reditum iis, qui in Catholicae Ecclesiae gremium confugere vellent, patefieri munirique par esset. constabat enim, post superioris anni curas et invitationes epistolasque Episcoporum, magnam Donatistarum partem schismatis sui pertaesam de defectione cogitare: unum esse, quod maxime obstaret, minas et vim Circumcellionum, qui crudelissime in eos saevire pergebant, qui sectam deseruissent: eos, nisi legum severitate et militari manu coërcerentur, magno semper impedimento futuros, ne Catholicorum numerus illorum accessione augeretur. ergo Legatos ea de re ad Principes mitti placuit, eamque legationem dari Theasio Memblo-

(4) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. V. L. 21.*
(5) *contra Cresc. lib. III. c. 47.*
(6) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 915.

sitano et Evodio Uzalensi, magnis et spectatae virtutis Episcopis, qui eo munere egregie fungi posse viderentur. subinde vero Commonitorium perscribendum censuerunt, quod iis proficiscentibus traderetur, ne quid nisi ex Concilii sententia vel peterent vel susciperent. sed gravis erat dissensio inter Episcopos, quum alii, quibuscum sentiebat Augustinus, negarent, quemquam ad Catholicam professionem vi cogendum esse; alii contra ne vim quidem, si cetera non proficerent, praetermittendam contenderent (7), et exemplis etiam non modo id alias factum, sed utiliter quoque ac magno Ecclesiae bono factum esse demonstrarent. nam Macarianis temporibus integrae urbes armorum terrore perculsae schisma ita abjecerant, ut ab ea die Catholicae adhuc essent, nec Donatistam ullum in finibus suis latitare paterentur. horum tamen brevi sententiam vicisse accepimus, et Augustinus ipse se eorum judicium sequutum esse postea testatus est. *His*, inquit (8), *exemplis a collegis meis mihi propositis cessi. nam mea primitus sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi esse cogendum: verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos haereticos noveramus. sed haec opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. nam primo mihi opponebatur civitas mea, quae quum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestrae animositatis perniciem detestari, ut in ea numquam fuisse credatur. ita aliae multae, quae mihi nominatim commemorabantur; ut ipsis rebus agnoscerem etiam in hac caussa recte intelligi posse quod scriptum est* (9), *Da sapienti occasionem, et sapientior erit.* haec Augustinus, Vincentio Episcopo schismatis Rogatiani scribens, et mutatae sententiae caussam defendens, quam in Concilio omnes amplexi fuerant.

III. Mandatum igitur in Commonitorio Legatis est, simul atque ad piissimos Imperatores admissi essent, accurate exponerent, quae singuli Episcopi ex superioris Concilii Decreto cum Donatistis egissent, ut eos ad colloquium pertraherent, et quaedam pacis concordiaeque fundamenta jacerent: tum eos, quam irritus labor et vana ea cura fuisset, edocerent, commemorarentque armatorum audaciam, insidias, vim, scelera omnia, quae ab illis instaurata essent. quidquid jam spei restaret, in Augustorum clementia totum esse positum: ipsos efficere posse, ut Ecclesia Catholica, quae eos genuit, eductosque in sinu suo aluit atque firmavit, providentia eorundem atque praesidio munita sit; temerarii autem homines, qui terrore labefactare conantur, quos dolo corrumpere nequeunt, commovere se contra Ecclesiam non possint. multis jam legibus insanas furiosasque Circumcellionum cohortes damnatas esse, gravissimisque poenis revinctas: contra eos fas quidem esse, Paulli etiam Apostoli exemplo

(7) Aug. *epist.* 93. *c.* 5. *n.* 16.
(8) *ibid. c.* 5. *n.* 17.
(9) *Proverb. c.* VIII. *n.* 9.

praesidia quaerere, et factiosorum conspirationem militari auxilio submovere: sed Africanos Episcopos illud poscere, *Vt Catholicis Ecclesiarum ordinibus per civitates singulas et vicinorum quorumque possessorum per diversa loca sine ulla dissimulatione tuitio praebeatur.* simul autem ab Augustis Legati petere jubebantur, ut Theodosianam legem, quam superius indicavimus, ita confirmari praeciperent, *Vt in eos valeret, contra quos propter eorum insidias Catholici provocati contestationem deposuissent:* nec minus rogare, ut quae lex haereticis vel ex donationibus vel ex testamentis aliquid capiendi vel relinquendi denegabat facultatem, ea quoque ab eorum pietate instauraretur, *Vtique eis relinquendi vel sumendi jus adimerent, qui pertinaciae furore coecati, in Donatistarum errore perseverare voluissent:* ita tamen, ut ne quid ea lex iis obesset, qui deinde ad Ecclesiam Catholicam transiissent. eorundem autem partes fore admonebantur, ut ea sine praesidio potestatum praestari non posse ostenderent, ob eamque caussam quidquid in Ecclesiae utilitatem cedere intelligerent, ut ipsi libera legatione persequerentur.

IIII. Post haec litteras scribi placuit *ad gloriosissimos Imperatores et eminentissimas potestates,* quibus Legatos commendarent, eosque a Concilio et communi omnium consensu missos testarentur: quibus litteris Aurelius totius synodi nomine subscriberet. ne qua vero molestia, dum Legati redirent, a Donatistis afficerentur, litteras per Africam quoque ad judices mittendas censuerunt, *Vt tuitiones per ordines civitatum et possessores praediorum Ecclesiae Catholicae impertirent:* eosque de Equitio etiam rogandos, *Vt improbitas ejus, qua sibi jus sacerdotum vindicabat, ab Hipponis Diarrhyti dioecesi secundum decreta Augustorum repelleretur.* denique epistolam et ad Innocentium Pontificem maximum scribendam esse, qua Legatos ei pariter commendatos se plurimum optare significarent, itemque ad alios, qui apud Honorium Aug. auctoritate et gratia valerent: quas epistolas ab Augustino perscriptas fuisse, indicat non obscure Possidius, qui in epistolarum ejus censu numerat ab eo scriptas *Innocentio Episcopo, Imperatoribus, Stiliconi, Praefectis Italiae:* quamquam eas jamdiu amisimus. hic vero Concilii Carthaginiensis, quod nonum quidam vocant, exitus fuit: Episcopi enim, quum decretis subscripsissent, dimissi, ad Ecclesias suas redierunt.

V. Jam multum Patres vidisse, qui a rectoribus provinciarum postulandum sanxerant, ut Catholicorum tutelam contra Donatistas susciperent, brevi eventus comprobavit. nam quum illi, ut arbitror, rescivissent, quid Episcopi Carthagine adversus sectam eorum deliberassent; rebus suis prope desperatis facti insaniores, arma rursum tractare, et vim Catholicis inferre coeperunt. ac primum Thubursicubure in provincia Proconsulari, ubi Servus Dei Episcopus Catholicus locum, quem Donatistae invaserant, destinato procuratore a Proconsule repetebat, repentina Circumcellionum irruptio facta est, tanto impetu, ut ille vix vivus aufu-

geret; pater vero ejus Presbyter jam grandis natu, post paucos dies e vivis excederet (10). Bagai deinde in Numidia Maximianus Episcopus Catholicus, qui dicta inter partes judiciaria sententia, Basilicam fundi Calvianensis evicerat (11), et Donatistis cedere jussis retinebat, quum in eam confugisset, et sub altari lateret, irruentibus armatis, ita caesus vulneratusque est, ut totum eum locum et altare ipsum subversum sanguine impleret. inde, quum et grande in inguine vulnus accepisset, ex quo cruor large manabat, semivivum pronumque pertraxerunt, nudato jam magna ex parte corpore, ut pulvis adhaerescens vulnerum cruorem stitisse feratur. quum denique nefarii latrones tamquam mortuum reliquissent, et a Catholicis elatum, paullo post vivere eum et spirare cognovissent, rursus in eum irruentes abreptum gravius multarunt, et noctu de excelsa turri praecipitem egerunt. qui tamen substrato forte cinere fimoque exceptus, sensu quidem amisso, sed vivus jacuit, repertusque mox et in pauperis oppidani domum portatus, mirabili curatione convaluit, quippe qui in corpore suo plures cicatrices, quam membra numeraret. similia vero alii nonnulli, vel non multo inferiora, teste Augustino, perpessi sunt: qui omnes, quum ad propria revertendi nulla facultas patere videretur, ad transmarina navigarunt, testes immanium facinorum, quae Donatistae in Africa patravissent.

VI. Inter haec ne Augustinus quidem vexationis expers fuit, quae illi gravior accidit, quod non corpus ejus, sed animum vulneravit, nec a Donatistis, sed a suis illata est. Hipponem ille nondum redierat, quum inde litteras accepit, quae illic monachum quemdam nomine Spem a Bonifacio Presbytero impudicitiae accusatum significarent, magna populi offensione, praesertim quum monachus crimen deinde in ipsum Bonifacium rejecisset, nec satis constaret, uter eorum reus nocens habendus esset. atque ille quidem factum celari voluisset; sed quia in vulgus emerserat, populum de ea re litteris quam tristissimis admonuit (12), ne judicio suo quemquam damnarent, et qui olim adversus Donatistas gloriati fuerant, nihil tale in Clericis Catholicis exstitisse, ii jam intelligerent, nihil esse haereticis objiciendum, nisi quod Catholici non essent. tum ne se quidem facti judicem esse voluisse professus est, in eamque deliberationem venisse, ut medium quid eligeret, nempe *ut certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se perrecturos, ubi terribiliora opera Dei non sanam cujuscumque conscientiam multo facilius aperirent, et ad confessionem vel poena vel timore compellerent.* proficisci autem jusserat Nolam ad sepulcrum celeberrimum sancti Felicis: *quia inde*, inquit (13), *nobis facilius fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum.* erat enim illic Paullinus sanctitate clarissimus, jamtum Presbyter, quem sibi amicitia conjunctissimum norat. ceterum quinam profectionis illius exitus fuerit, ignoramus: nisi quod Bonifacium,

(10) Aug. *contra Cresc. lib.* III. *c.* 43.
(11) Aug. *ibid. n.* 47.
(12) *epist.* 78. *n.* 6.
(13) *epist.* 86.

quem potiora indicia innocentem prodebant, Episcopum Cataquensem postea factum esse, quidam opinantur (14).

vI. Sub anni finem Augustini lacrimas moeroremque victoria detersit, quam de Felice Manichaeo retulisse scimus. Hipponem hic se contulerat, ut ante eum alii, sectae suae propagandae caussa; et erat hic, ut Possidius testatur (15), de numero eorum, quos Electos appellabant, et unus e doctoribus, quamvis ineruditus, teste Augustino (16), liberalibus litteris, sed tamen versutior Fortunato. enimvero quum apud Curatorem Coloniae haeresis accusatus esset, et scripta ejus omnia ex auctoritate publica ablata fuissent (17), libellum Curatori dedit, et clamitare non destitit, paratum se cum codicibus suis incendi, si quid mali in ipsis fuisset inventum (18): posse autem se Manichaei scripturas defendere, et asserere, quod veritatem haberent (19). quare Augustinus libentissime disputationis hujusmodi occasionem adripuit, quae coepit vII. idus Decembres, populo adstante habita in templo maximo Hipponensium, notariis ea excipientibus, quae utrinque dicerentur: unde gemini exstitere libri, qui in operum Augustini censu numerantur. porro Felix quum eo die ab Augustino interrogationibus premeretur, dilationem petiit, custode accepto, ne fugam meditari crederet: et adfuit rursus pridie idus Decembres, quo die quum se varias in partes vertisset, et vim argumentorum sentiret, adversariumque victorem agnosceret, manus denique dedit, et sectam suam detestatus, rejecit ac subscriptione damnavit (20). subinde etiam, ut in veteri codice scriptum est (21), Manichaeos prodidit, qui in Africa latitabant: apud Caesaream feminas duas Mariam et Lampadiam uxorem Mercurii argentarii, et Electum Eucharistum, apud quem Felix ipse cum illis ad preces fundendas convenerat: tum alias mulieres, Caesariam cum Lucilla filia, et Candidam, quae Thipasae degeret, Victorinam Hispanam, Simplicianum Antonini patrem, Paullum cum sorore, qui Hippone essent.

(14) Tillem. *M. E. T. xiI. p.* 411.
(15) *in vita Aug. c.* 16.
(16) *Retract. lib. iI. c.* 8.
(17) Aug. *in Felic. lib. iI. c.* I.
(18) *ibid. lib. I. c.* 12.
(19) *ibid. c.* I.
(20) *ibid. lib. iI. c.* 22.
(21) apud Bar. *Ann. T. x. p.* 952. I. *edit.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCV.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Fl. Anthemius, Fl. Stilico iterum, hic in Occidente, ille in Oriente: iisque Consulibus rex Rhadagaisus, qui immensum Gothorum exercitum, tamquam Imperio Romano finem adlaturus esset, in Italiam infuderat, divina plane virtute apud Florentiam victus captusque est (1). porro Africa Proconsulem habuit Diotimum (2), cujus

(1) Aug. *de C. D. lib. v. c.* 23 *et serm.* 105. c. 10. Orosius *Hist. lib. vII. c.* 37.
(2) *Chron. Cod. Theod. p.* 171.

opera hoc anno Ecclesiae perutilis fuit. nam ut Legati Concilii Africani Theasius et Evodius Ravennam ad Honorium Aug. pervenerunt, et quae a Patribus mandata accepissent, ex commonitorii praescripto exposuere; nihil pientissimo Principi antiquius fuit, quam ut opem Ecclesiae ac praesidium Episcopis, quod petebatur, afferret, legibus iis ad rectores Africae datis, quae, Donatistarum audacia coërcita, optatam jamdiu Catholicis securitatem tranquillitatemque praestarent. quin ante ipsorum adventum, quum edoctus fuisset, quae contra Maximianum Bagajensem aliosque Episcopos a Circumcellionibus per summum scelus patrata fuerant (3), lex jam aliqua ab eo emissa in Africam afferebatur, quae graves poenas nefariis illis latronibus constitueret. at Legatis auditis, edictum ab eo his verbis promulgatum est (4): *Nemo Manichaeum, nemo Donatistam, qui praecipue, ut comperimus, furere non desistunt, in memoriam revocet: una sit Catholica veneratio, una salus sit: Trinitatis par, sibi congruens, sanctitas expetatur. quod si quis audeat interdictis sese inlicitisque miscere, et praeteritorum innumerabilium constitutorum et legis nuper a mansuetudine nostra prolatae laqueos non evadat: et si turbae forte convenerint, seditionis concitatos aculeos acrioris commotionis non dubitet exerendos.* prodiit autem Edictum hujusmodi pridie idus Februarias (*), in eoque et de eorum poena constitutum videtur, qui Baptismum iterarent: nam quae id vetant leges, eodem die editae dicuntur (5), nec magistratus nomen cui missae fuerint, praeferunt, ut omnino Edicti partes esse videantur, quas deinde junior Theodosius, quum Codicem suum adornaret, rejecerit in alium titulum. ita porro Edictum ab Honorio vulgatum est, ut simul Hadriano Praefecto Praetorii mandata daret (6), ne quid impune contra illud admitti pateretur. *Adversarios*, inquit, *Catholicae fidei exstirpare hujus decreti auctoritate prospeximus. ideoque interdicendam specialiter eam sectam nova constitutione censuimus, quae ne haeresis vocaretur, appellationem schismatis praeferebat.* refutata autem perversa Donatistarum doctrina, addit: *Hac lege sancimus, ut quisquis posthac fuerit rebaptizasse detectus, judici, qui provinciae praesidet, offeratur, ut facultatum omnium publicatione multatus, inopiae poenam, qua in perpetuum afficiatur, expendat.* bona tamen filiis servat, qui paternam pravitatem deseruerint: contra domos et praedia eorum, qui coetus Donatistarum apud se celebrari passi fuerint, adjudicat fisco: qui operam in eam rem tantum praebuerint, carcere et exsilio puniri jubet: haeresi infectis testandi jus adimit, legati et hereditatis adeundae, contractuum agitandorum copiam in perpetuum denegat. demum *Moderatores*, inquit, *provinciarum, si in contemptum sanctionis hujusmodi consensum putaverint commodandum, sciant se viginti librarum auri poena esse multandos:*

(3) Aug. *ad Bonif. epist.* 185. *n.* 26.
(4) *Cod. Theod. lib. xvI. Tit. v. L.* 38.
(*) *in vet. lib. de Geneal. Patriarch. scriptum est:* Data pridie kal. Febr.
(5) *ibid. Tit. vI. L.* 3. *et* 5.
(6) *ibid. L.* 8. v. Sirm. *op. var. p.* 417. *T. I.*

Officia etiam sua simili condemnatione subjuganda: Principales vel Defensores civitatum, nisi id, quod praecipimus, fuerint exsequuti, vel his praesentibus Ecclesiae Catholicae vis fuerit illata, eadem multa se noverint adtinendos.

II. His jam Praefecto Praetorii mandatis, cui Vicarius Africae et Consulares ac Praesides suberant, reliquum erat, ut et Diotimo Proconsuli Africam provinciam summo jure administranti Edicti promulgandi cura deferretur: quod Honorius III. nonas Martias lege ad eum data praestitit. *Edictum*, inquit (7), *quod de Unitate per Africanas regiones clementia nostra direxit, per diversa proponi volumus, ut omnibus innotescat, Dei omnipotentis unam et veram fidem Catholicam, quam recta credulitas confitetur, esse retinendam.* enimvero ut Edictum Augusti a Diotimo Carthagine primum, deinde passim per Africae urbes propositum est, apparuit illico, providentissime opem Principis esse imploratam, nec utilius quidquam excogitari potuisse, ut qui errore potius quam voluntate schisma sequebantur, depulso metu, veritatem agnoscerent, et ad Ecclesiam Catholicam reverterentur. ipse Augustinus, mitiorum antea consiliorum auctor, sic postea scripsit (8): *Quum ipsae leges venissent in Africam, praecipue illi, qui quaerebant occasionem, aut saevitiam furentium metuebant, aut suos verecundabantur offendere, ad Ecclesiam continuo transierunt. multi etiam, qui sola illic a parentibus tradita consuetudine tenebantur, qualem vero caussam ipsa haeresis haberet, numquam antea cogitaverant, numquam quaerere et considerare voluerant; mox ubi coeperunt advertere, et nihil in ea dignum invenire, propter quod tanta damna paterentur, sine ulla difficultate Catholici facti sunt. docuit enim eos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat. istorum autem omnium praecedentium auctoritatem et persuasionem sequuti sunt multi, qui minus idonei erant per se ipsos intelligere, quid distaret inter Donatistarum errorem et Catholicam veritatem.*

III. Carthagine in primis non jam pauci aliquot clam accedere, sed magna palam Donatistarum agmina confluere ad Ecclesiam Catholicam visa sunt, qui publica laetitia et sollemnibus caeremoniis recepti, annum hunc memorabilem reddidere. quare postea Idatius hujus anni Consules quum recenseret, adscripsit (9), *His Consulibus inter Catholicos et Donatistas Vnitas facta*: quam utique Carthagine maturius Aurelii studio et Proconsulis opera incohatam, reliquae subinde urbes, quantum per rebellantes factionis duces licuit, amplexae sunt. itaque Aurelius ante mensem Septembrem ea cura defunctus, X. kal. mensis ejusdem Concilium, quod de more indixerat, celebrare potuit. actum id quoque est in Basilica regionis secundae, et multa in eo pertractata dicuntur, quae ratio temporum in controversiam adducebat. sed de his nihil ad nos pervenit. ceterarum sanctionum haec summa fuit (10), Vt libera legatio

(7) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. L.* 2.
(8) *ad Bonifac. epist.* 185. *n.* 29.
(9) apud Sirmond. *T. II. p.* 266.
(10) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 919.

ab omnibus provinciis ad Concilium dirigeretur: cujus rei caussa delecti, qui cum litteris ad Mizonium Primatem provinciae Byzacenae proficiscerentur, ut eum repugnantem, ut opinor, et liberae legationi adversantem de Concilii sententia commonerent. deinde, quia tum apud Carthaginem tantum Vnitas facta erat, Vt litterae darentur ad judices, quo per alias item provincias et civitates eorum opera Vnitas celebraretur. tertio Vt Carthaginiensis Ecclesia pro universa Africa gratias Honorio per litteras ageret, quibuscum et Episcopi ceteri suas mitterent, plurimum se Augusto debere testantes, quod Donatistas denique ex orbe Romano exclusisset. post haec recitatae sunt litterae Innocentii Pontificis maximi Patres admonentis, ne Episcopos ad Comitatum aulamve Principis facile itare paterentur: quamobrem monitis ejus obsequuti, quum mittendi essent qui gratias Augusto Ecclesiae nomine redderent, ejus rei caussa Clericos duos legaverunt.

IIII. Absoluto Concilio, ac litteris acceptis, quas ad civitatum magistratus judicesque perferrent, celeriter ad Ecclesias suas Episcopi rediere, daturi operam, ut resipiscentes Donatistas, quos leges ad Catholicam professionem impellebant, benevolo animo et officiosa sedulitate reciperent: simul autem caverent, ne ab iis, quibus voluntas esset obstinatior, pax turbaretur, atque in tanta illa Ecclesiae laetitia tristes repente caussae moeroris ac luctus exsisterent. et magna quidem agmina populorum in sinum redeuntia Ecclesia mater complexa tum est (11): sed multi etiam obduruere, nec sociorum exemplo, nec Catholicorum pietate deliniti: alii etiam, terrore legum contempto, ad arma rursum et caedes incitati, Catholicos et maxime Episcopos et Clericos horrenda et dura perpeti coëgerunt: *Quae commemorare*, inquit Augustinus (12), *longum est; quando quorundam et oculi extincti sunt, et cujusdam Episcopi manus et lingua praecisa est, nonnulli etiam trucidati sunt. taceo crudelissimas caedes et domorum depraedationes per nocturnas aggressiones et incendia non solum privatorum habitaculorum, verum etiam Ecclesiarum, in quas flammas non defuerunt qui et codices Dominicos mitterent.* haec ille tot malorum non modo spectator, sed etiam particeps: nam in Numidia potissimum debacchati tum sunt Donatistae illi desperatae factionis vindices, et Hipponensem tractum in primis vastaverunt. quapropter Augustinus ipse Praesidis auxilium implorare non dubitavit. erat hic Caecilianus vir pietate et virtute clarissimus, qui Vnitatis caussa diligentem operam multis jam Episcopis navaverat, Vicarius Africae, aut provinciae Sitifensis, quae proxima Numidiae erat, Praeses; nam ipsa Numidia a Consulari regebatur. cujus egregia facta Augustinus commemorans, *Quantum*, inquit (13), *per alias Africae terras te Vnitati Catholicae mirabili efficacia consuluisse gaudemus, tantum dolemus regionem Hipponensium Regiorum et ei vicinas partes confines Numi-*

(11) *ad Bonif. epist.* 185. *n.* 30.
(12) *ibidem.*
(13) *epist.* 86.

diae Praesidiali edicti tui vigore nondum adjuvari meruisse, Domine eximie. credibile quippe est, Honorium id temporis sanxisse, ut adversus Donatistas rectoris cujusque nullis circumscripta finibus esset auctoritas. et addit subinde, *Quantum etiam in campo Hipponensi haeretica praesumat audacia, si ex fratribus et collegis meis, qui haec tuae sublimitati narrare poterunt, vel ex Presbytero, quem cum litteris misi, fueris audire dignatus, adjuvante Domino Deo nostro, procul dubio providebis, ut tumor sacrilegae vanitatis terrendo sanetur potius, quam ulciscendo resecetur.* verum quaecumque summarum potestatum vel auctoritas vel diligentia fuerit, multa etiamtum a Catholicis aspera et crudelia ferenda fuerunt, quae sexennio post in Collatione Carthaginiensi ab Episcopis, qui ea toleraverant, adversus Donatistas prolata legimus: nisi quod Ecclesiae Catholicae ea vexatio plurimum profuit, ut et virtutum exemplis et Martyrum gloria nobilitata, caelo beatos insereret, quoscumque adversariorum crudelitas sustulisset. *Nos,* ajebat Augustinus (14), *hujusmodi afflictos malis consequens consolatus est fructus. nam ubicumque a perditis ista commissa sunt, ibi ferventius atque perfectius Vnitas Christiana profecit, et uberius laudatur Dominus, qui donare dignatus est, ut servi ejus passionibus suis lucrarentur fratres suos, et oves ejus mortifero errore dispersas in pacem salutis aeternae suo sanguine congregarent.*

V. Sub anni finem Honorius Aug. Africam denuo respexit, edoctusque jam, qui rerum illic status esset, et quam multi Donatistarum sectam suam pertinaciter tuerentur; Theodosianam legem, quam Legati superioris Concilii Africani confirmari ab eo postulaverant, ut, quemadmodum Theodosius manifestos haereticos decem auri libris multaverat, eadem poena Donatistae tenerentur, quicumque Catholicos molestia affecissent, non modo iterum tulit, sed etiam in omnes valere voluit, quos ea labe infectos esse constaret. sic enim VI. idus Decembres edixit (15): *Donatistae superstitionis haereticos, quocumque loci vel fatentes vel convictos, legis tenore servato, poenam debitam absque dilatione persolvere decernimus.* porro lex ad Diotimum Proconsulem data dicitur: eamque promulgatam esse veri omnino simile est. verum neque contra tot millia Circumcellionum cohortes et turmae Romanae sine magno periculo educi poterant; et ipsi Episcopi Catholici, quum de Donatistae poena agebatur, misericordia permoti, veniam homini atque impunitatem petebant (16). itaque legum exigua fere vis erat, etiam quum magistratus servari eas et vigere maxime vellent.

(14) *ad Bonif. epist.* 185. *n.* 31.
(15) *Cod. Theod. lib. xvI. Tit. v. L.* 39.
(16) Aug. *epist.* 88. *n.* 7.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCVI.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATU functi sunt Imp. Fl. Arcadius vI. Sex. Anicius Petronius Probus: Africam Diotimus Proconsul continuato imperio rexisse videtur. at Vicaria praefectura Sapidiano data est; Comes et Dux limitis Tripolitani Nestorius fuit: utrumque enim leges hoc anno ad eos datae designant. jamvero inter Donatistas, quos Edicta Augusti plurimum urebant, gravis erat commota dissensio: quum alii odiis incensi apertum latrocinium amarent, ac vi et armis obsistendum ducerent; alii contra mitioribus consiliis utendum, et Principem legationibus placandum arbitrarentur (1). atque hi quidem, dum ceteri de more furerent, Legatos in Italiam ea de caussa miserunt, quos III. kal. Februarias Longinianum Praefectum Praetorii adiisse scimus (2), et enixe ab eo flagitasse, ut audirentur: quum autem forte tum Ravennae esset Valentinus Episcopus Bajanensis, e senioribus provinciae Numidiae, Catholicus, se non recusare professos esse, ut eo praesente audirentur (3). sed neque ille ea a suis mandata acceperat, ut in ejusmodi contentionibus interesset; neque Praefectus quod petebant, concedere poterat, quippe qui jam secundum leges, quae contra eos constitutae erant, judicabat. sed tamen hic eam petitionem in tabulas referri jussit: quod brevi Catholicis usui fuit, quum ab Augusto postularunt, ut conventus ille celeberrimus Carthagine haberetur, in quo denique de Donatistis triumpharunt.

II. Ergo Legati re infecta rediere: sed uni tamen ex illis tantum itineris profuit, ut errorem abjiceret, et Catholicam veritatem, ad quam eum Augustinus invitarat, amplecteretur. is fuit Maximinus Sinitensis Episcopus: cujus deliberatione Donatistae perculsi, tanta iracundia exarsere, ut praeconem mitterent, qui clamaret Siniti (4), *Quisquis Maximino communicaverit, incendetur domus ejus.* hunc certe hoc anno e transmarinis, consilio jam mutato, rediisse tradit Augustinus, ut ex Legatorum illorum numero habendus esse videatur. porro Donatistas, postquam eos spes legationis frustrata est, acrius in Catholicos excanduisse apparet, in Numidia praesertim, ubi efferatae illae Circumcellionum cohortes impune dominabantur. declarant hoc litterae, quas Clerici Hipponenses Ianuariano Donatistae miserunt, qui provinciae Primas inter suos habebatur, et Casarum Nigrensium Episcopus erat. in iis enim gravissime de Circumcellionum saevitia questi sunt, quam illi tum omnem in Catholicos expromebant (5): *Non tantum*, inquiunt, *nos fustibus quassant, ferroque concidunt; verum etiam in oculos exstinguendos calcem mixto aceto, incredibili excogitatione sceleris, mittunt. domus insuper nostras compi-*

(1) Aug. *epist.* 88. *n.* 9. *et* 10.
(2) *ex Coll. Carth. diei* III. *c.* 141.
(3) Aug. *epist.* 88. *n.* 10.
(4) *idem epist.* 105 *n.* 4.
(5) *ibid. epist.* 88. *n.* 8.

lantes, arma sibi ingentia et terribilia fabricarunt, quibus armati per diversa discurrunt, comminantes atque anhelantes caedes, rapinas, incendia, caecitates. rogant deinde Ianuarianum, ut qua erat apud suos auctoritate, modum aliquem crudelitati eorum furorique poneret; tum auctor sectae suae Episcopis esset, ut ex eorum sententia, qui Catholicorum colloquium expetiverant, cum his aliquando pacati convenirent, et errore, apud quos esset, invento ac sublato, tot jam malis tantisque finem afferrent.

III. Inter haec vero Aurelius, qui non modo Ecclesiae suae, sed ceterarum etiam, quae per Africam vexabantur, curam adsiduam gerebat, maximisque occupationibus distinebatur; quum de Ioannis Chrysostomi exsilio cognovisset, et de ea discordia edoctus esset, qua tum Orientis Ecclesiae flagrabant: ipse etiam operam suam cum Innocentio Pontifice maximo contulerat, ut Ioanne revocato pax Ecclesiis redderetur. itaque hoc anno, quum in ipso exsilio, quanta erga eum Aurelii officia fuissent, ex amicorum litteris didicisset, epistolam ille amoris plenam ad Aurelium misit (6), qua et gratiam ei plurimam pro tanto studio se habere testatur, et labores ejus egregiamque curam mirifice extollit, spe caelestium praemiorum proposita hortatus, ut pari animo de omnibus Ecclesiis benemereri pergeret. id autem praestiterat Aurelius auctoritatem Concilii sequutus, in quo decretum fuerat (7), Placere, ut de dissensione Romanae atque Alexandrinae Ecclesiae ad sanctum Papam Innocentium scriberetur, id est, ut ipse Aurelius litteris Concilii nomine missis, Theophilum Alexandrinum Ioanni inimicum et Ecclesiae Romanae ea de caussa invisum auctoritate Pontificis maximi in ordinem redigendum curaret: quo pax denique dissidio sublato firmaretur. ceterum, quod rideas, ex eo canone homo quidam malae mentis plane evincere sibi visus est, tantam Conciliorum esse potestatem, ut non modo reliquis Episcopis, sed etiam Pontifici maximo imponere legem possint (8). at vero Augustinus Hippone eodem tempore cum Aurelio et virtutis constantia et laborum perpessione certabat: quumque Episcopis in Donatistarum admissione occupatis, Concilii convocatio in annum proximum rejecta esset; otii aliquid nactus, multam et utilem in scribendo operam posuit. primum autem Cresconium Grammaticum Donatistarum patronum aggressus est: de quo ille, quum libros suos retractaret, haec tradidit (9): *Cresconius, quum invenisset epistolam meam, qua primas partes, quae in manus nostras tunc venerant epistolae Petiliani, redargui, putavit mihi esse respondendum, et hoc ipsum scripsit ad me. cui operi libris quatuor respondi: ita sane, ut tribus peragerem quod universa responsio flagitabat. sed quum viderem de sola Maximianensium caussa, qua suos schismaticos damnaverunt, et eorum aliquos rursus in suis honoribus receperunt, baptismumque ab eis extra suam communionem datum non repetiverunt,*

(6) Chrys. *epist.* 149. *ed. Montf.*
(7) apud Iustell. *p.* 278. *can.* 101.
(8) Launojus *T. v. P.* 1. *p.* 162. *n.* 24.
(9) *Retract. lib. II. c.* 26.

responderi posse ad cuncta, quae scripsit, etiam quartum librum addidi, in quo id ipsum, quantum potui, diligenter atque evidenter ostendi. post haec edidit idem librum *Probationum et Testimoniorum contra Donatistas*, quem et in parietibus Basilicae, quae Donatistarum fuerat, proponendum curavit: item alios hujusmodi libellos (10), in quibus per summa capita quidquid Donatistae schismatis tuendi caussa jactabant, accurate refellebat. nec intacti hoc anno Manichaei fuerunt; nam auditorem eorum Secundinum refutavit peculiari volumine, *Quod*, inquit, *mea sententia omnibus, quae adversus illam pestem scribere potui, facile praepono* (11). cum Ariano item homine pugnandum ei fuit, quem dignitas auctoritasque nimium vallabat. is erat Pascentius Comes domus regiae, vehementissimus fisci exactor, qui, ut ait Possidius (12), *fidem Catholicam atrociter ac jugiter oppugnabat, et quam plurimos sacerdotes Dei simpliciori fide viventes, dicacitate ac potestate exagitabat et perturbabat.* cum eo autem Carthagine jam disputaverat, sed impetrare non potuerat, ut notarii, quae utrinque dicerentur, exciperent. itaque factum erat, quod ipse praedixerat, ut de ea disputatione falsa quaedam in vulgus spargerentur, ac Pascentius victum a se Augustinum gloriaretur. idcirco Augustinus, quum haec rescivisset, totam colloquii illius seriem litteris mandavit, et quid ille objecisset, quid contra ipse reposuisset, exstare voluit (13).

IIII. Sub id tempus Episcopum suum Proculejanum Donatistae Hipponenses amiserunt: ac spes inde aliqua ostensa Catholicis est, fore, ut abjecto errore Augustinum Episcopum alii cuicumque praeferrent. sed brevi adfuere Circumcelliones, qui cum cuneis suis deducebant Macrobium successorem designatum, *Deo laudes* inter cantica conclamantes; nam eae voces, teste Augustino (14), in omnibus latrociniis quasi proeliorum tuba illis erant. eos tamen Macrobius, postquam honore potitus est, factis eorum irritatus magis, quam delectatus obsequiis, male habuit, ac per Punicum interpretem adloquutus, honesta et ingenua libertatis indignatione increpavit: quae caussa fuit, ut se illico e concione proripientes, furentium more diffugerent. ceterum Macrobius nihilo aequiorem se erga Catholicos praebuit, et Augustino pertinaciter adversatus est.

(10) *ibid. c.* 27. *et seqq.*
(11) *ibid. c.* 10.
(12) *in vit. Aug. c.* 17.
(13) *epist.* 238.
(14) *epist.* 108. *n.* 14.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCVII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processere Augusti, Imp. Fl. Honorius VII. Imp. Theodosius junior iterum. Proconsul in Africam missus Porphyrius. rursum hoc

anno Honorius Ecclesiae caussa severitatem in haereticos adhibuit. nam viiI. kal. Martias data lex ejus est ad Senatorem Praefectum Praetorii his verbis (1): *Quid de Donatistis sentiremus, nuper ostendimus: praecipue tamen Manichaeos vel Phrygas sive Priscillianistas meritissima severitate persequimur. huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune cum ceteris:* et quae sequuntur. unde liquet, quanto ille studio Catholicae veritatis teneretur. nam et graves poenas in eos sanxit, qui coetus haereticorum apud se haberi passi essent, et in rectores provinciarum, qui crimina ejusmodi ad se delata vel dissimulatione vel gratia distulissent, aut eadem convicta temere neglexissent. quod perutile Africae fuit, in quam Manichaeorum haeresis eorumque soboles jamdiu pervaserat.

iI. Episcopi interea, Donatistis passim resipiscentibus, Ecclesias suas non modo piorum numero augeri, sed etiam Basilicarum accessione nobilitari in dies magis confirmarique plurimum laetabantur. eas autem, ut rei memoria exstaret, *Basilicas Restitutas* appellare solebant (2). nec, si Episcopus quispiam sectam reliquisset, eum honoris socium habere recusabant, quamdiu Ecclesia vacaret, quae ei committeretur. Clerici eodem modo Presbyterique, si in gremium Catholicae Ecclesiae confugissent, ordinis dignitatisque suae gradum tenebant. sic enim sapienti consilio in superioribus Conciliis praescriptum fuerat, ne quid esset, quod imbecilles Donatistarum animos a proposito retardaret. sed in tanta illa Cleri frequentia rari ad Ecclesiam ejusmodi homines adspirabant; neque paucorum annorum opus erat efficere, ut Episcopus vel Presbyter in Africa nullus, nisi Catholicus inveniretur.

iiI. At vero Aurelius, quum provincias fere pacatas, et Ecclesias quietas esse cognovisset, Concilium denique indicendum putavit. cujus caussa legati e provinciis Carthaginem maturissime advenere: idibus enim Iuniis incohatum esse constat (3). actum autem est in Basilica regionis secundae, in quam Aurelius Diaconis suis stipatus Patres ad consessum deduxit. atque illic primus eos adloquutus, gravem eatenus molestiam Episcopis exhibitam esse dixit, qui quotannis ex Concilii Hipponensis decreto tantum itineris suscipere coacti essent, nec Carthaginem solum, sed in alias quoque provincias convocati, tamdiu ab Ecclesiis suis abesse debuissent. itaque viderent ipsi, num e re Christiana esse ducerent, ut Concilia magna ob caussam tantum Africae communem vocanda esse decernerent. canonem porro sanciri placuit, ut si gravis caussa exsisteret, quae ad omnes pertineret, Episcopus Carthaginiensis, litteris de ea re acceptis, Concilium in eam urbem indiceret, quae opportuna magis videretur; at si controversiae communes non essent, in iis eae provinciis, ubi ortae fuissent, dirimerentur. constitutum deinde, ut si forte a judicio Episcoporum provocatum esset, ac postea inter

(1) *Cod. Theod. lib. xvI. Tit. v. L. 40.*
(2) *de Mir. s. Steph. lib. I. c. 7.*
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 919.

utramque partem convenisset, ut certi judices iterum de caussa cognoscerent, ab horum sententia nulli jam provocare fas esset. Legatos ad Principem legatione libera mittendos censuerunt Vincentium Culusitanum et Fortunatianum Siccensem, qui nomine provinciarum omnium peterent, ut Defensores Ecclesiarum sibi legere possent Scholasticos in forensibus actionibus exercitatos; ita enim Advocati tum nominabantur: utique iis, postquam delatum munus suscepissent, pro negotiis Ecclesiarum contra adversarios agere, atque secretaria judicum adire fas esset. item ut *Exsequutores* quinque postularent, id est administros earum rerum, quas Ecclesiae caussa Episcopi praestare nec possent nec deberent.

IIII. Post haec auditi sunt Legati Mauretaniae Caesariensis Primosum Episcopum Thigavensem accusantes, quod Decurionum litteris admonitus, ut se ad Concilium conferret, non paruisset, nec a Diaconis requisitus, usquam inveniretur; quumque iidem a Concilio litteras ad Innocentium Primatem poposcissent, quae Primosum non comparuisse testarentur, eas Legatis dari placuit. Legatus Numidiae aliam intulit controversiam: is erat Placentinus Episcopus Madaurensium, qui eam de scripto recitavit: ea vero agitabatur inter Maurentium Episcopum Tibursicensem et Decuriones Novae Germaniae: sed hi, quamquam eos Primas provinciae Xanthippus ad Concilium proficisci jusserat, pedem domo non extulerant. igitur Maurentius, qui se per calumniam accusatum diceret, eosque accusationis suae desertores ostenderet, sententiam a Concilio pronunciari postulabat. Patres vero praefati, jus sibi esse sententiae ferendae, et mansuetudinis tamen, quae Episcopos maxime deceret, servandae caussa se a judicio abstinere, litteras ad senem Xanthippum dandas censuerunt, unde intelligeret delectos a Concilio judices, qui in civitate Tibursicensi de ea controversia cognoscerent. Maurentius vero, *Iudices, inquit* (4), *peto sanctum senem Xanthippum, sanctum Augustinum, Florentium, Theasium, Sampsucium, Secundum et Possidium: hos decerni jubeatis.* quos Concilium ultro concessit, ac reliquos, qui a Decurionibus sive senioribus Novae Germaniae petendi erant, Xanthippi cura destinari voluit.

V. Iam quae totius Ecclesiae Africanae caussa rursum sancita sunt, haec fuere. de Ecclesiis, quae proprios Episcopos numquam habuissent, placuit, neminem usquam constitui Episcopum, nisi id in frequenti totius provinciae Concilio, Primate et Episcopo dioecesis illius consentientibus, decretum esset. at ubi Donatistae Episcopum habuissent, ibidem, si forte omnis populus Catholicus factus esset, ut Episcopum habere pergerent. sicubi tamen, Episcopo defuncto, novum sibi dari nollent, indulgendum iis visum est, ut in alterius Episcopi dioecesi censerentur. Donatistas, quos ante edictum Vnitatis singuli Episcopi ad Ecclesiam Catholicam ipsi adduxissent, ad eosdem pertinere debere voluerunt. qui post Edictum illud Honorianum Catholici esse coepissent, in ejus dioecesi censendos

(4) *ibid. can.* 100. *p.* 923.

statuerunt, ad quem locus ille et tractus omnis ante spectabat: ac si quis forte partem sibi aliquam vindicasset, ut eam rogatus restitueret (5). injecta deinde mentio est de dissensione, quae tum ob infaustam Ioannis Chrysostomi damnationem inter Romanam et Alexandrinam Ecclesiam exorta erat. nam Innocentius Pontifex maximus Ioannem restitui jubebat, et Theophili Alexandrini, qui nefario judicio praefuerat, communionem repudiabat. scribendum autem ad Innocentium censuerunt, ut pax denique inter Ecclesiam utramque conciliaretur.

VI. Postrema decreta fuerunt, Vt ex Evangelica atque Apostolica disciplina neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungeretur: sed vel ita manerent, vel sibimet reconciliarentur: id qui contempsissent, ad poenitentiam redigerentur: eaque de re etiam lex ab Augustis peteretur. Vt in peractione sacrorum eae preces ab omnibus iique ritus celebrarentur, quae in Concilio probata essent, et prudentiorum cura in volumen congesta. Vt si quis ab Imperatore petiisset cognitionem judiciorum publicorum, is honore proprio privaretur: non item si Episcopale judicium postulasset. Vt qui Catholica communione in Africa exclusus ad transmarinorum communionem obrepsisset, nullus ei locus in Clero esse posset. Vt qui aulam Principis adire vellet, litterae huic ad Ecclesiam urbis Romae darentur, quibus alias inde litteras impetraret, quas ad aulam perferret: ac si celata itineris sui caussa, et litteris tantum acceptis, quae eum Romam proficisci permitterent, ad aulam recta perrexisset, ut a communione removeretur. ceterum si dum Romae esset, repentina eidem aulae adeundae necessitas obvenisset, de ea Pontificem maximum edoceret, ab eoque rescriptum ferret. Vt quae litterae a Primatibus aut ab Episcopo quocumque Clericis darentur, in his dies Paschae scriptus esset, vel si nondum notus is dies esset, ut Paschae superioris dies efferretur, quemadmodum ignotis anni ineuntis Consulibus, anni proxime exacti Consules enunciabantur. denique Vt Legatis ad Principem proficiscentibus integrum esset, quidquid adversus Donatistas et Paganos utile visum foret, ab eo ipsos impetrare. quidquid autem epistolarum Concilii nomine dandum erat, iis ut Aurelius solus subscriberet.

VII. Concilio dimisso, Legati cum liberis mandatis Romam petierunt, ubi tum Honorius Aug. diversabatur, ac suscepti muneris partes egregie sustinuere. nam XVII. kal. Decembres data lex est ad Porphyrium Proconsulem, quae Episcoporum Africanorum optatis plane responderet: *Privilegia*, ajebat Honorius (6), *quae Ecclesiis et Clericis Legum decrevit auctoritas, hac quoque praeceptione sancta et inviolata permanere decernimus. atque hoc ipsis praecipuum ac singulare deferimus, ut quaecumque de nobis ad Ecclesiam tantum pertinentia specialiter fuerint impetrata, non per Coronatos, sed ab Advocatis eorum arbitratu et Judicibus innotescant et sortiantur effectum. Sacerdotes vero provinciae erunt solliciti, ne sub hac scilicet privilegii excusatione etiam*

(5) *ibid. can. 99. p. 922.*

(6) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. L. 38.*

contra eorum utilitatem aliquid his inferatur incommodum. qua lege Honorius Episcopos et Clerum universum de populi numero eximebat, cujus veluti curatores et patroni erant, qui etiamtum antiquis Paganorum nominibus *Sacerdotes et Coronati* sive minores Sacerdotes appellabantur (7): quorum primos cavere etiam jubebat, ne illi molestia ulla afficerentur. atque eodem die lex quoque prodiit ad eundem Proconsulem (8), quae Donatistas et Manichaeos ipsos ad errorem deserendum incitaret. poena enim omni eos liberabat, si Catholicam fidem et meritum simplici confessione suscepissent. *Quae ideo*, inquit, *sanximus, quo universi cognoscant, nec profanis hominum studiis deesse vindictam, et ad rectum redeunti cultum Legum quoque adesse suffragium.* habita serius ratio eorum est, quae Legati de Paganis questi erant, contra quos anno proximo legem ab Augusto latam esse ostendemus, qualem Legati petiisse putandi sunt. itaque hos sub anni finem Roma in Africam rediisse credibile est. cum his porro, aut certe non multo post, eodem navigavit Melania senior, de qua subinde Augustinus ad Paullinum Nolanum scripsit (9), luctus ejus modum laudans, quo nuncios de filii Poblicolae morte acceperat, et tantam calamitatem salva virilis animi fortitudine pertulerat.

VIII. Quod reliquum est, non ante hunc annum collocánda initia videntur Lerinensium Monachorum, quos Leontio Episcopo Forojuliensi primum coaluisse constat (10). clarissimae hujus familiae exordium quidam olim ab Augustino repetebant, quod Hilarium Lerinensem Monachum eundemque Pontificem Arelatensium non alium ab Hilario Massiliensi putabant, qui se Augustini auditorem in Africa fuisse gloriabatur: ipsumque ex Africa Augustini praescripta in eam insulam intulisse arbitrabantur. verum nec Augustinus usquam eos ad se Monachos pertinere significavit, nec qui ejus instituti monumenta complexus est (11), ulla ejus originis indicia prodidit. de utroque autem Hilario infra nobis dicendum erit (12).

(7) v. Maff. *M. V. p.* 248. *n.* 5.
(8) Cod. *Theod. ibid. Tit. v. L.* 41.
(9) *epist.* 94. *n.* 2.
(10) Noris *Hist. Pel. lib. II. c.* 3. v. *Diar. Ital.* Montfauc. *p.* 9.
(11) Barral. *Chronol. Ins. Lerin.*
(12) v. *an.* 429. *n.* 6.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCVIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus in Occidente Fl. Philippum, in Oriente Anicium Bassum, infaustus plane reipublicae Arcadii Aug. morte, Stiliconis caede, provinciarum defectione, obsidione urbis, Vandalorum incursu. nec annus idem sine tumultu in Africa exactus est, maxime ex quo illuc nuncii Stiliconem sublatum esse pertulerunt. sed ante haec etiam Calamae in Numidia Paganorum contra Catholicos magna seditio fuit.

rem Augustinus ob oculos ponit his verbis (1): *Contra recentissimas leges kalendis Iuniis festo Paganorum sacrilega sollemnitas agitata est, nemine prohibente, tam insolenti ausu, ut quod nec Iuliani temporibus factum est, petulantissima turba saltantium in eodem prorsus vico ante fores transiret Ecclesiae. quam rem illicitissimam atque indignissimam Clericis prohibere tentantibus, Ecclesia lapidata est. deinde post dies ferme octo, quum leges notissimas Episcopus Ordini replicasset, et dum ea, quae jussa sunt, velut implere disponunt, iterum Ecclesia lapidata est. postridie nostris ad imponendum perditis metum, quod videbatur apud Acta dicere volentibus publica jura negata sunt: eodemque ipso die, ut vel divinitus terrerentur, grando lapidationibus reddita est; qua transacta, continuo tertiam lapidationem et postremo ignes Ecclesiasticis tectis atque hominibus intulerunt: unum servorum Dei, qui oberrans occurrere potuit, occiderunt, ceteris partim ubi potuerant latitantibus, partim qua potuerant fugientibus: quum interea contrusus atque coarctatus quodam loco se occultaret Episcopus, ubi se ad mortem quaerentium voces audiebat, sibique increpantium, quod eo non invento, gratis tantum perpetrassent scelus.* atque haec gesta ait ab hora ferme decima usque ad noctis partem non minimam: quum nemo ex iis, qui auctoritate aliquid possent, turbas illas compesceret, uno excepto peregrino homine, qui multos a caede servavit, et quae rapta auferebantur, de praedonum manibus extorsit.

II. Haec interea Aurelius rescierat, et alia ejusmodi mala impendere videbat, quae sine Principis auctoritate prohiberi non possent. quamobrem XVI. kal. Iul. Episcopis provinciae suae convocatis auctor fuit, ut Legatus iterum ad Augustum mitteretur (2): cui Patres assensi, Fortunatianum Siccensem, qui anni superioris legatione functus erat, rursum designarunt, eique mandata dedere, ut Ecclesiae periclitanti praesentem opem praesidiumque contra Paganos et Haereticos imploraret. nec dubitandum est, Fortunatianum omni festinatione ad Principem properasse. sed jam Honorius Roma discesserat, et Mediolani aut Ravennae versabatur. itaque ante quam ille Honorium adiisset, fama in Africam Stiliconis casum attulerat, qui Ravennae X. kal. Septembres interfectus est. nec multo post consequuta Bathanarii Comitis mors, qui Stiliconis sororem in matrimonium duxerat (3), novi in Africa tumultus caussa fuit. nam Pagani et Donatistae, qui dum Stilico apud Augustum gratia valebat, severis legibus coërciti fuerant, disseminare in vulgus coeperunt, eas leges Stiliconis fuisse, eoque sublato, infectas habendas esse: utque fides dictis haberetur, edictum etiam Honorio affingere ausi sunt (4), quo veteres leges in eos latas se abrogare profitebatur. exinde vero multis in urbibus furere, nova inire consilia, vexare Catholicos, Episcopis ipsis perniciem minitari. nec diu vita eorum tuta fuit: occisi Severus et

(1) *epist.* 91. *n.* 8.
(2) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 296.
(3) Zosim. *lib. v. p.* 813.
(4) Aug. *epist.* 105. *n.* 6.

Macarius, Evodius et Theasius et Victor fustibus caesi sunt (5). quum periculum in dies cresceret, ac terrore omnia complerentur, Concilium Aurelius rursum vocandum duxit, quod III. idus Octobres actum est in Secretario Basilicae Restitutae, in quod tribus ante mensibus pari de caussa convenerant. porro novos ad Augustum legatos mitti placuit, Restitutum et Florentium, qui crudelia Paganorum et Donatistarum facta Principi renunciarent. fore enim sperabant, ut optimus Princeps geminatis nunciis perculsus ad severitatem excitaretur. cum iis autem et Possidius Calamensis profectus videtur, quem aliquot ante mensibus Pagani furentes in discrimen capitis adduxerant: alii quoque non pauci fugam arripuerunt (6), fracti ac debilitati metu, ne mortem quotidie sibi imminentem timere cogerentur.

III. At Augustinus in urbis suae custodia, tamquam in specula collocatus, perstabat, miseratusque collegarum vicem, quae una illi ratio juvandi erat integra, opem litteris afferre conatus est. Magistrum officiorum Stiliconis loco, virum pietate insignem, Olympium creatum norat: cui paullo antea pro Bonifacio Episcopo Cataquensi scripserat (7), ut agelli decessoris culpa fisco obligati, debito remisso, Ecclesiae ejus redderentur. enimvero huic rursum scribere aggressus est, ut qui plurimum gratia et auctoritate apud Principem posset, unus maxime Ecclesiarum Africanarum patrocinium susciperet. nec defuit qui litteras ferret: forte enim Severus Milevitanus, qui Presbyterum suum in Italiam mittebat, Hipponem Regium accedere jusserat, ut eam epistolam cliceret, quam quum simul essent, ad Olympium omnino scribendam esse censuerant. summa autem earum litterarum erat, ut quam celerrime fieri posset, diligentem in eo operam poneret, ut qualis esset Honorii animus erga Ecclesiam manifesto constaret: Quo, inquit (8), *noverint inimici Ecclesiae, leges illas, quae de idolis confringendis, et haereticis corrigendis vivo Stilicone in Africam missae sunt, ex voluntate Imperatoris piissimi et fidelissimi constitutas: quo nesciente vel nolente factum sive dolose jactant, sive libenter putant; atque hinc animos imperitorum turbulentissimos reddunt, nobisque periculose ac vehementer infestos.*

IIII. Ceterum Honorius, quem hoc anno respublica in multis plane variisque casibus exercuit, res Africae minime negligebat. jam et Bathanario Comiti Heraclianum suffecerat, et Donatum probum virum Proconsulem miserat. at XVII. kal. Decembres, Patrum Africanorum legationibus auditis, leges quoque tulit, quae tum postulabantur, et omnia seditiosorum commenta uno edicto delevit. *Omnia*, inquit (9), *quae in Donatistas, qui et Montenses vocantur, Manichaeos sive Priscillianistas, vel in Gentiles a nobis generalium legum auctoritate decreta sunt, non solum manere decernimus, verum in exequutionem*

(5) apud Hard. *Conc. T. I. ibid.*
(6) Aug. *epist.* 97. *n.* 2.
(7) *epist.* 96. *n.* 2
(8) *epist.* 97. *n.* 2.
(9) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. V. L.* 43.

plenissimam effectumque deduci: ita ut aedificia quoque vel horum vel Caelicolarum etiam, qui nescio cujus dogmatis novi conventus habent, Ecclesiis vindicentur. poena vero lege proposita veluti convictos tenere debebit eos, qui Donatistas se confessi fuerint, vel Catholicorum communionem refugerint scaevae religionis obtentu, quamvis Christianos esse se simulent. Paganos deinceps aggressus, omnibus modis revinxit, ut se jam commovere non possent. *Templorum*, inquit (10), *detrahantur annonae, et rem annonariam juvent, expensis devotissimorum militum profuturae.* tum simulacra, si qua in templis fanisque reliqua essent, e suis sedibus evelli jubet, ipsaque templorum aedificia, quae usquam starent, aris eversis, in usum publicum vindicari; quae item privati haberent, ab ipsis dominis destrui. denique, quod tunc maxime intererat, *Non liceat,* inquit, *omnino in honorem sacrilegi ritus funestioribus locis exercere convivia, vel quidquam sollemnitatis agitare. Episcopis quoque locorum haec ipsa prohibendi Ecclesiasticae manus tribuimus facultatem. Judices autem XX. librarum auri poena constringimus, et pari forma Officia eorum, si haec eorum fuerint dissimulatione neglecta.* atque haec quidem omnia Curtio Praefecto Praetorii indicta, per quem rectoribus provinciarum Africae, Vicarii ejus opera, nota fierent. sed non multo post, id est VIII. kal. Dec. Proconsulem quoque Donatum admonuit, ne pestem illam manare latius pateretur. *In eos igitur,* ait (11), *qui aliquid, quod sit Catholicae sectae contrarium adversumque, tentaverint, supplicium justae animadversionis expromi praecipimus.* demum quia jam Curtio successurus erat Theodorus, V. kal. Dec. nova eum lege edocuit, quibus adjutoribus Catholicam Ecclesiam tueri deberet. *Defensorum,* inquit (12), *Curialium, omniumque Officiorum specula custodiat, ne quis intra aliquam civitatem vel ulla territorii parte secreta, qui ab Ecclesiae Catholicae Sacerdote dissidet, inlicitae coitionis habeat facultatem.* ipsa rursum loca juri publico addici, et qui disputare contra Catholicos, ac defendere, quae institutioni divinae adversarentur, auderent, eos proscriptos in exsilium detrudi jussit.

V. Nondum annus exactus erat, quum Augusti leges magna Catholicorum laetitia in Africam pervenere. apparebat enim, Proconsulem in primis spectatae virtutis virum summo studio effecturum, ut earum valeret auctoritas, nec sera eos, qui violare ausi essent, poena sequeretur. quae res mitem illum ac misericordem Augustini animum adeo commovit, ut ad Donatum mature scriberet, ne in criminibus vindicandis ita severitati indulgeret, ut Christianam mansuetudinem oblitus esse videretur. *Neque enim,* ajebat (13), *vindictam de inimicis in hac terra requirimus, aut vero ad eas angustias animi nos debent coarctare quae patimur, ut obliviscamur quid nobis praeceperit, pro cujus veritate ac nomine patimur: diligimus inimicos nostros, et oramus pro eis. unde ex occa-*

(10) *ibid. Tit. x. L.* 19.
(11) *ibid. Tit. v. L.* 44.
(12) *ibid. L.* 45.
(13) *epist.* 100. *n.* 1.

sione terribilium judicum ac legum ne in aeterni judicii poenas incidant, corrigi eos cupimus, non necari; nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis, quibus digni sunt, exerceri. sic igitur eorum peccata compesce, ut sint, quos poeniteat peccasse. huic autem Augustini curae alias hoc anno accessisse, epistolae ejus declarant, quibus ad questiones varias a multis propositas respondet (14). eaedem etiam ostendunt, vel in tantis illis Donatistarum motibus, non exiguum eorum fuisse numerum, quos errorem detestatos in Ecclesiam Catholicam recepisset. nam ad Vincentium schismatis Rogatiani sectatorem, eundemque Episcopum Cartennensem, longam epistolam scribens, ut eum a veteri sententia dimoveret, et recte imploratam a Catholicis legum auctoritatem confirmans, ne plures perirent; diserte auctum Catholicorum nomen demonstrat. *O si possem,* inquit (15), *tibi ostendere, ex ipsis Circumcellionibus quam multos jam Catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristinam vitam et miserabilem errorem, quo se arbitrabantur pro Ecclesia Dei facere, quidquid inquieta temeritate faciebant: qui tamen ad hanc sanitatem non perducerentur, nisi legum istarum, quae tibi displicent, vinculis tamquam phrenetici ligarentur.* sunt et litterae ejus ad Nectarium decurionem Calamensem, Paganum hominem, qui civibus suis ob facinus in Catholicos perpetratum vehementer metuebat (16): et quas de divinis rebus ad Paullinum Nolanum scripsit (17): item quae ab eo ad Italicam matronam Romanam missae sunt, consolatoriae, postquam de urbis obsidione cognoverat, quam aegre hoc anno Romani, nec, nisi Alarico magna auri vi placato, depulerunt (18). pertinet ad hunc annum Vticense ostentum, quod in altero Tironis Prosperi Chronico legimus: *Vticae,* inquit ille, *in foro Trajani terra diebus septem mugitum dedit* (19).

(14) *epist.* 98. 101. 102. *etc.*
(15) *epist.* 93. *n.* 2.
(16) *epist.* 104.
(17) *epist.* 95.
(18) *epist.* 99.
(19) apud Labb. *Bibl. T. I. p.* 57.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCVIIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum Augusti iniverunt, Imp. Fl. Honorius VII. Imp. Theodosius junior III. at Africam Proconsul administravit Donatus, Vicaria praefectura functus est Gaudentius. rursum autem Donatistae, ac simul haeretici omnes et Iudaei et Pagani lege nova coërciti sunt: poena item in Iudices et administros eorum constituta, si qui negligentius se gererent, neque in eos ex lege animadverterent (1). lata haec dicitur XVII. kal. Febr. nec multo post Augustinus, quos Princeps metu ab errore revocare conabatur, cohortatione litterarum suarum (2) ad studium cognoscendae veritatis excitare conatus est. longam enim ad omnes Dona-

(1) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. V. L.* 46.
(2) *epist.* 105. *ad Donatist.*

tistas epistolam emisit, quae singulas eorum difficultates dissolveret; et Catholicorum Episcoporum erga eos animum et communia vota explicaret. cujus extrema haec erant verba: *Vindicet nos Deus de vobis, ut ipsum errorem vestrum in vobis occidat, et nobiscum de veritate gaudeatis.* eodem tempore quum cognovisset, hypodiaconum suum ad Macrobium, quem Hippone adversarium habebat, transfugisse, idque jam agi, ut apud nefariam sectam baptismo iterato pollueretur; certos homines ad Macrobium cum litteris misit, ut eum a tanto scelere deterreret: quumque ille tale responsum dedisset, *Non possum nisi ad me venientes suscipere, et iisdem fidem, quam postulaverint, dare:* alia epistola refutare non destitit, ac simul quis esset, quem reciperet, ac baptizare vellet, edocuit. *Iste,* inquit (3), *de agro Subdiaconus Rusticianus, cujus caussa haec ad te scribere magno cum dolore ac timore compulsus, propter reprobos et perversos mores excommunicatus a Presbytero suo, multorum etiam in illa regione debitor factus, et contra Ecclesiasticum vigorem et contra creditores suos aliud praesidium non quaesivit, nisi ut abs te iterum plagaretur, et ab ipsis quasi mundissimus amaretur.* cum Festo praeterea viro primario, qui tum in Numidia negotium publicum agebat, consilium iniit, quo pacto, auctoritate ejus interposita, quidam e Donatistis Hippone habitantibus, quum ad familiam ejus pertinerent, ad Ecclesiam Catholicam adduci possent (4). his enim compendiis Augustinus maxime delectabatur, nec alia eum victoria juvabat, quam quae victis libertatem et salutem afferret.

II. Iam quae Hippone Augustinus persequebatur, ut schisma omne, si fieri posset, de medio tolleretur, multi quoque Episcopi suis in urbibus exemplum ejus imitati urgebant, quos neque armorum terror, neque collegarum caedes a proposito revocare potuerant. Aurelius vero, quum res Ecclesiae Carthagine, egregii Proconsulis opera, quietis plus aliquid et tranquillitatis haberent, cetera etiam, quae ad provinciam suam spectabant, ordinare facile potuit. quippe et Concilium ab eo celebratum accepimus (5) XVIII. kal. Julias in Basilica regionis secundae: quamquam ex omnibus diei illius decretis unum ad nos tantum pervenit, quo sancitum est, ne Episcopus sibi solus cognitionem vindicaret: nam qui Codicem Canonum confecit, ea consulto a se omissa testatur, quod in Concilio unius provinciae Proconsularis facta essent, nec ad universam Africae Ecclesiam referri possent. multum porro viderat Aurelius, qui Patres Iunio mense convocarat: reliqua enim anni pars armorum strepitu non caruit, et periculorum plena fuit. ac dudum quidem defectionibus provinciarum debilitatum Imperium nutare coeperat, tyrannis Gallias sibi atque Hispanias vindicantibus. modo autem, dum Honorius Ravennam incolebat, Romae Alarici opera Attalus Imperator renunciatus erat: qui statim Africa potiri conatus est. id primum legatione se impetrare

(3) *epist.* 105. *n.* 19.
(4) *epist.* 89. *n.* 8.
(5) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 926.

posse existimaverat: sed ea infecta, et legato occiso, exercitum submisit, et bello rem geri jussit (6). ceterum Heraclianus, qui rei militari praeerat, copiis eductis, omnem Africae accessum intercluserat; itaque Attalianos vim inferentes et proelium committere ausos facile omnes disjecit: tum ne frumentum Romam conveheretur, prohibuit; idemque magnam pecuniae vim ad Honorium perferendam curavit, qua ille militibus suis distributa revixit, et vires paullatim recepit.

II. Enimvero rebus in Africa tam fausto belli exitu celeriter pacatis, Catholici in primis, quorum maxime intererat Honorium imperare, laetitia omnes gestiebant, eamque pecuniam, quam in Principis pientissimi subsidium contulerant, optime collocatam existimabant. verum non multo post magnus per totam Africam gemitus fuit, nunciis adlatis, legem ab Honorio promulgatam esse, quae omnes haereticos et Paganos ipsos veteri legum metu liberaret. in illa enim rerum perturbatione, quum pericula undique nunciarentur, et aditus malis quoque consiliariis pateret, nihil tum utilius reipublicae jactabatur, quam ut omnia animorum dissidia tollerentur. subinde Principi graviora in dies metuenti facile persuasum fuerat, quamdiu in Africa dissensiones essent, Imperium in ambiguo futurum: et aequum tamen esse, ut liberae forent hominum voluntates, nec ea quisquam sequi amplectique cogeretur, quae liber animus respueret ac recusaret. ita impetratum denique fuerat, ut lex proponeretur, Donatistis non minus, quam Paganis accepta (7), *Vt libera voluntate quis cultum Christianitatis exciperet:* qua una lege quidquid eatenus contra adversarios Catholicorum constitutum erat, nihil jam valere, et inutile esse omnes intelligebant. quamobrem incredibile dictu est, quanto ea lex dolore Catholicos Episcopos affecerit; qui nempe, Donatistarum caussa, magnis plane laboribus exantlatis, diem jam adesse speraverant, qui nefariae sectae finem afferret, et Catholicam Ecclesiam latissime propagaret: repente autem, tamquam tempestate coorta, se e portus conspectu in altum abreptos videbant, incerti post tantam rerum conversionem quinam eventus futurus esset.

III. At post haec alia etiam impendentium calamitatum haud levis significatio fuit. nunciatum enim est, Vandalos in Hispaniam irrupisse: unde illis trajectus in Africam futurus erat. tum graves domi hostes ferre rursum oportuit, quibus nova lex audaciam addiderat. de quibus Augustinus Victoriano Presbytero, qui eum de exterarum provinciarum vastatione edocuerat, haec sub anni finem rescribebat: *Sed quid longe,* inquit (8), *imus? ecce in regione nostra Hipponensi, quoniam eam barbari non attigerunt, Clericorum Donatistarum et Circumcellionum latrocinia sic vastant Ecclesias, ut barbarorum fortasse facta mitiora sint.* commemoratisque cladibus, quas multis intulerant, illud quoque addit: *Pridie, quam ista ad te dictavi, ex uno loco per hujusmodi*

(6) Oros. *lib. vII. c.* 42. Zosim. *etc.*
(7) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 926.
(8) *epist.* III. *n.* I.

terrores quadraginta et octo animae mihi rebaptizatae nunciatae sunt. atque haec quidem atrocia: sed graviora imminebant, quae Augustinus vix sensit, posteri diutissime ferre coacti sunt, Ariana subinde Vandalorum tyrannide dominante, qui jamdiu ab Septemtrione in Occidentis regiones irruperant (9). nam accolae antea erant Maeotidis paludis, quos fames primum in Germaniam atque ad Rhenum compulerat, mox ne Europa quidem reliqua, Alanis praesertim in societatem e Sarmatia vocatis, satiatura videbatur.

(9) Procop. *B. Vand. lib. I. c. 3.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCX.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Signant hunc annum Consules Fl. Varanes, Fl. Tertullus: quamquam hunc, quem Attalus tyrannus Romae renunciaverat, nec Oriens agnovit, neque Occidentis provinciae, quae Honorio parebant, receperunt. Donato autem Africae Proconsuli dudum successerat Macrobius, qui ante anni finem Palladium successorem habuit. Heraclianus Comes Imperii limites tuebatur: Numidia Consularem Generosum acceperat, cujus administrationem laude et praedicatione celebratam Augustinus affirmat (1). atque idem Donatum, quem ortu Afrum credere licet, positis fascibus in Africa subsedisse ostendit (2). nam eum hoc anno ad pietatem impensius colendam litteris hortatus, haec praeterea rogat: *Te obsecro,* inquit, *ut rescribas mihi, tuosque omnes, quos in Sinitensi vel Hipponensi habes, ad Catholicae Ecclesiae communionem comiter et benigne adhorteris: in cujus gremio etiam patrem tuum laudabilem et egregium virum abs te genitum esse cognovi; quem ut debito meritis ejus a me officio salutes, peto, et nos visere non graveris.*

II. At vero Episcopi cum eo omnes, quibus Ecclesiae salus ac dignitas cordi erat, dolebant jamdiu ac vehementer angebantur, nova Honorii lege se de spe conatuque depelli, ut schisma denique deleretur, cujus tollendi caussa tantopere adlaboraverant. jamque Aurelius, quum in re tanta diutius cunctandum non duceret, ipsamque moram Ecclesiae universae detrimento esse videret, litteras ad Primates provinciarum miserat, ut legati undique ad Concilium magnum convenirent, et ex omnium sententia quod maxime expediret, mature decerneretur. porro Acta quidem ejus synodi desiderantur, sed Patres in Basilicam regionis secundae convocatos constat (3) XVIII. kal. Iulias, eosdemque censuisse, ut legatio ad Augustum mitteretur: quae mandata dicitur Florentio, Possidio, Praesidio et Benenato. eos autem cum liberis mandatis profectos esse, ut non modo recentem legem aboleri postularent, sed etiam, si quid praeterea

(1) *epist.* 116.
(2) *epist.* 112.
(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 926.

tempori idoneum, et dissidio Donatistarum oppositum videretur, ultro urgerent impetrarentque, paullo post eventus demonstravit. quo legati appulerint, ut se Ravennam conferrent, ignoramus: sed Romam eos non adiisse manifestum est: jam enim ab Alarico rursum obsessa, in extremo discrimine versabatur: quam et captam VIIII. kal. Sept. et direptione incendiisque vastatam, quum Ravennam pervenissent, audierunt. ceterum ante quam infausti illi nuncii ad Principem perferri potuissent, legatione sua praeclare functi, negotium confecerant. quippe VIII. kalendas easdem promulgatam ab Honorio legem scimus, quae superioris anni indulgentiam abrogaret. ea Heracliano Comiti scripta erat his verbis (4). *Oraculo penitus remoto, quo ad ritus suos haereticae superstitiones obrepserant, sciant omnes sanctae legis inimici, plectendos se poena et proscriptionis et sanguinis, si ultra convenire per publicum execranda sceleris sui temeritate tentaverint.* hoc pacto sanatum est vulnus, quod Ecclesiae impositum fuerat, compressique Donatistarum motus, qui jam ad ingenium redierant, et veteri more atque audacia furebant. laudanda vero in primis Honorii pietas est, qui officii sui putavit esse, ut quod deceptus peccasset, cognito errore emendaret, neque existimationi suae detractum iri metuit, si religioni dignitatem posthabuisset.

III. Lex interea in Africam perferebatur, nec dubium erat, Catholicos omnes, ea promulgata, laetitiam ac voluptatem incredibilem percepturos. verum Legati nondum de reditu cogitabant, optime de Ecclesia merituros se existimantes, si ante a Principe impetrassent, ut Donatistae, quod jamdiu erat in votis, ad colloquium denique ac disputationem convenire cum Catholicis cogerentur. nec caussa rogandi deerat: nam quadriennio ante Legati eorum Ravennae apud Longinianum Praefectum Praetorii se audiri paratos esse professi erant: eamque professionem in Acta relatam esse constabat (5). rursum igitur Principem adiere, Conciliique Africani vetus decretum proferentes, quo Episcopis omnibus praescriptum fuerat (6), ut adversarios suos, in sua quisque civitate, ad colloquium invitarent, enixe ab eo petierunt, ut parti utrique publicum conventum indiceret: hanc unam restare viam, qua dissensiones tollere, et animos distractos in concordiam, quam optabat, reducere ipse posset: Catholicos Episcopos nihil vehementius cupere, nec Donatistas recusare congressum posse, quem olim ultro postulassent. enimvero Honorius, qui pacis studiosissimus erat, et Catholicam Ecclesiam unice amabat, in Legatorum sententiam perlibenter venit: nec jam illi quidquam antiquius fuit, quam ut virum legeret prudentia et aequitate praestantem, qui tanto coetui praeesse, et omnia graviter ac sapienter gubernare moderarique posset. nec diu quaerendus is fuit: parem enim muneri tanto in Consilio suo habebat, in quo etiam religio inerat maxima, et summa animi virtus eminebat. erat is Marcellinus vir clarissimus, Tribunus et

(4) *Cod. Theod. lib. XVI. Tit. V. L.* 51.
(5) V. *ann.* 406. *n.* I.
(6) V. *ann.* 403. *n.* III.

Notarius, quo tum nomine negotiorum publicorum curatores designabantur. huic pridie idus Octobres litteris amplissimis ea cura commissa est (7): in quibus ambo Augusti testabantur, se studio pacis et gratiae venerabilium virorum Episcoporum legationem libenter admisisse, qua congregari Donatistas Episcopos ad coetum celeberrimae civitatis postulabatur: ut electis etiam sacerdotibus, quos pars utraque designasset, et disputationibus habitis, superstitionem ratio manifesta confutaret. tempus deinde praescribebant, ut intra quatuor menses transigeretur: ac si Donatistae conventum declinassent, trini edicti vocatione, id est duobus mensibus contumacium tempora concluderentur; post quae victos eos caussa cecidisse pronunciaretur. Marcellini autem auctoritatem summam esse volebant, ejusque rei caussa Proconsuli et Vicario Africae mandata se dedisse affirmabant, ut administros suppeditarent, quotquot opus esse viderentur: ipsum autem admonebant, si quid impedimenti afferretur, ne id Principes diu celaret, quo celerius, irrogata poena, institutae rei exitum expedirent: nec minus diligenter, quae constituta essent, ad eos perscriberet, ut omnia cognoscere et auctoritate sua confirmare tuerique possent. haec litterarum summa erat: hisque acceptis et Marcellinus et Legati, nulla interposita mora, iter in Africam suscepisse putandi sunt.

IIII. Ceterum fama illuc velocior jam omnia attulerat, utque Catholicos maxima laetitia affecerat, sic Donatistas caussae suae metuentes haud levi moerore afflixerat. exinde Episcopi tamquam ad pugnam instruere sese, ac domi meditari coeperunt, quae in magno illo conventu prodesse possent. qui forte alio vocati peregre abierant, ad sedes suas rediere: quos inter Alypius erat, qui hoc anno in Mauretaniam excurrerat (8): et Augustinus ipse, qui valetudinis caussa, atque ut vires reciperet, in agrum secesserat (9). quamquam hic veteranus erat miles, qui exercitatione non egeret; et quotidianis occupationibus distinebatur, quae eum otiosum esse non sinebant. responsis nihilo minus ad eos datis, qui eum consuluerant, maturius se impedimentis explicare nisus est, quo ad certamen illud liberior accederet. nam sub anni exitum quaestiunculas Dioscori Graeci hominis singulas longa epistola dissolvit (10): Consentio procul in insula vitam solitariam agenti rescripsit, et quae de Trinitate augusta minus recte cogitabat credebatque, accuratissimis litteris explicavit (11): Paullino denique suo, jam Episcopo Nolanorum, quaestionibusque ab eodem (12) de vera quorundam locorum interpretatione propositis, quos in divinis litteris perlegendis sibi obscuros esse fatebatur, hoc item anno satisfecit: quamquam eae litterae (13) Paullino redditae non sunt, bienniоque post, quum earum exemplum Augustinus nullum haberet, necesse fuit, ut ad quaesita rursum responderet.

(7) *Coll. Carth. Cognit. I. c. 4.*
(8) Dioscor. *apud Aug. epist.* 117.
(9) *epist.* 118 *n.* 34.
(10) *ibid. cap.* 5.
(11) *epist.* 120.
(12) apud Aug. *epist.* 121.
(13) *ibid. epist.* 149. *n.* 2.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXI.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Vnus hoc anno Consul cietur Imp. Theodosius junior, qui quartum Consulatum suscepit. neque enim Roma alterum aut Italia sufficere potuit, ubi non jam de honoribus, sed de vita certabatur. quin jam nobilissimus quisque ante ipsam urbis obsidionem profugerat, et multi in proximas insulas, non pauci in Africam se contulerant: quos inter tota Melaniae senioris domus fuit, Albina nempe, quae Poblicolae uxor fuerat, et Melania junior horum filia, et Pinianus, qui hanc in matrimonium duxerat. quum enim in Siciliam pervenissent, et seniorem Melaniam Hierosolyma redeuntem cum lacrimis dimisissent, ipsi proximo periculo admoniti, quod jam barbari Rhegium cepissent, Carthaginem navigarunt, atque inde hyeme ineunte Thagastam ad Alypium venerunt. quorum quidem adventus Ecclesiae Thagastensi jocundissimus fuit: quae tantorum hospitum non modo exempla suspexit, sed etiam liberalitatem experta est (1). nam et templa donariis ornarunt, praediisque adtributis locupletarunt, et ipsi oppido decus addidere, monasteriis duobus ibidem conditis, quorum alterum octoginta viros aluit, alterum centum triginta virgines (2). at Augustinus interea, cujus visendi desiderio magnopere illi flagrabant, quum ipse adire Thagastam et cum eis colloqui non minus cuperet, domi tamen ob Hipponensis Ecclesiae pericula manere, et absentiam suam litteris excusare coactus est (3). nec multo post, quum ad eum Pinianus venisset, gravem subiit molestiam, quod hunc populus sacris in templo adstantem ex improviso Presbyterum fieri postulaverit, et jurare coegerit, se Hippone non discessurum, nec alibi, si quando in Clerum adlegi voluisset, quam apud illos eum se honorem esse suscepturum. quae res Albinam in primis et Melaniam offendit, quibus Hipponenses pecuniam magis, quam virtutem Piniani spectasse visi sunt, quamquam eos Augustinus litteris suis purgare nisus est (4): ac se in primis neque conspirationis illius conscium, neque ulla ejusmodi cupiditate tentatum facile ostendit.

II. Porro alios per id tempus in Africam transmisisse, de quorum adventu laetari Ecclesia minime posset, satis compertum est. ex his fuit, qui se urbis Romae Episcopum jactabat, Felix Donatista Montensium hierarcha; quem Collationi Carthaginiensi cum gregalibus suis interfuisse liquet. duo alii, quos illuc numquam appellere, plurimum profuisset, Pelagius et Caelestius fuerunt. Siciliam hi primum ab urbe profugi adierant, in eaque erroribus suis disseminatis multos deceperant. inde Africam petiere, et Hipponem Regium attigerunt, quo tempore jam Augustinus Collationis, ut arbitror, Carthaginiensis caussa discesserat. nec diu illic morati, Carthaginem profecti sunt: qua in urbe faciem se

(1) Aug. *epist.* 126. *n.* 7.
(2) apud Sur. 31. *Decembr. ex Metaphr.*
(3) *epist.* 124.
(4) *epist.* 125. *et* 126.

Pelagii semel aut iterum vidisse ait Augustinus. ceterum ibi Pelagius caute versari coepit, Caelestius contra garrire impudentius, et quae sentiret, negligentius dissimulare, ut jam magistrum superasse videretur. quare, etsi tum Episcopos, qui Carthagine frequentes aderant, Donatistarum controversiae ac proximi conventus disputationes occupabant, nonnullis tamen prava illa doctrina suboluit, nec multo post magna omnium indignatione damnata est, sed postquam Pelagius se subduxerat, et in Orientem profectus erat (5).

III. Nam ante quidem omnes Episcoporum curae eo spectabant, ut ex Augusti praescripto cum Donatistis convenirent, et longo schismati optatum denique finem afferrent. ea de caussa Fl. Marcellinus, mense Ianuario vertente, edictum per omnes provincias promulgaverat, quo Imp. Honorii consilium et jussa complexus, Episcopos utriusque partis Carthaginem undique convocabat. *Cunctos,* ajebat (6), *per Africam tam Catholicae, quam Donatianae partis Episcopos hujus edicti tenore commoneo, ut intra tempus lege praescriptum, id est intra quatuor menses, qui dies intra diem kalendarum Iuniarum sine dubio concludetur, ad civitatem splendidam Carthaginiensem Concilii faciendi gratia convenire non differant, ne eam partem de merito propriae fidei appareat judicasse, quam defuisse constiterit.* atque idem universos provinciarum curatores, et magistratus quosque atque Ordines cujusque loci admonebat, ut Episcopos ipsi publica auctoritate urgerent, et qui rure essent, perquirerent, nec uspiam latere paterentur. quo autem Donatistas facilius adliceret, iis, qui se adfuturos polliciti essent, Basilicas, quas olim proprias habuissent, reddi jubebat: paratum se quoque profitebatur, si forte alium secum judicem in congressu sedere voluissent, eum sive superioris sive similis dignitatis socium accipere; et sive cum hoc, sive solus esset judicaturus, se summa fide, atque ex iis, quae prolata et demonstrata essent, pronunciaturum: nec eos molestiam ullam subituros esse: sed ad Ecclesias suas liberos intactosque redituros jurejurando confirmabat. eos demum, qui contra Donatistas publica auctoritate missi fuerant, cohibebat, ne quid jam in eos sibi permissum putarent, et jus Donatistis largiebatur, ut si quid injuria passi essent, nomen eorum deferre, et lege agere possent. porro tam aequa conditione effecit, ut magno plane numero convenirent: quamquam et multitudinis suae ostentandae caussa frequentissimi adfuisse videntur; quum, ut hoc ipsum populus Carthaginiensis et Catholici omnes animadverterent, uno agmine XV. kal. Iunias in urbem ingressos esse (7) sciamus, eaque pompa, quae tantae civitati spectaculo esse posset.

IIII. Plena jam Episcopis Carthagine, officii sui putavit esse Marcellinus, ut coetus illius celebrandi et disputationis habendae rationem normamque praescriberet. itaque edictum ea de re proposuit, in quo, de

(5) Aug. *de gest. Pelag.* c. 22. *Donat. P.* 2. c. 13.
(6) *Coll. Carth. Cogn. I.* c. 4. v. Noris. *Hist.* (7) *ibid.* c. 14. et Aug. *in Brev.* c. 11.

Episcopis quaedam honorifice praefatus, consilium suum aperiebat. *Omnes,* inquit (8), *utriusque partis Episcopos censui commonendos, ut ante cognoscant, non amplius quam septenos ambarum Episcopos partium mutuae inter se disceptationis habituros esse colloquium, quos in officium disputandi suarum partium subrogarit electio: siquidem certum deligi ex partibus numerum praeceperit Imperialis auctoritas. aderunt alii quoque septeni, delecti judicio suae cujusque partis Episcopi: qui servata primitus per omne colloquium moderatione silentii, ad hoc se tantum intelligant interesse, ut si qui ex disputantibus utrinque septenis conferre consilium cum suorum quoque voluerit, cum eodem illic secedat in partem, atque ibi communicata patienter ratione tractandi, proprium revertatur ad locum, fidem servaturus officii, ut alter, cui id necesse est, tacendo audienda commendet: alter, cui id munus est, loquendo suscepta confirmet.* locum subinde Collationi, sic enim appellarunt, valde idoneum, Thermas Gargilianas designabat, magnificentissimum urbis illius aedificium, quo kalendis Iuniis soli ii Episcopi convenirent, quos pars utraque elegisset; atque adeo nullus eo concursus populi fieret, nullusque turbarum strepitus esse posset. sic autem convenire electos volebat, ut reliqui omnes utriusque partis Episcopi ante eum diem scripto confirmarent, ratum se habituros, quidquid utrinque a septenis Coëpiscopis suis actitatum esse constaret, idque ipsum singuli subscriptione sua testarentur. tum eorum, quae agerentur, ut summa esset auctoritas, et fraudis suspicio omnis abesset, hoc servari praecipiebat, non modo ut quae quisque diceret, litteris mandarentur, sed ut etiam simul atque scripta essent, ea quisque recognosceret subscriberetque: deinde ut iis, qui dicta exciperent, praeter publica Officia, quaterni de singulis partibus notarii adstarent Ecclesiastici, alterna vice: ac praeterea custodes adderentur Episcopi ab utraque parte quatuor, qui per vices adessent, et scriptionem moderarentur. praeterea die primae Collationis elapso, postridie redire Episcopos jubebat, ut Acta coram describerentur atque subscriberentur: quae postea ipsius Marcellini et octo custodum signis obsignarentur: cetera, de quibus rursus disputandum foret, in diem tertium rejicerentur. Maximianistas demum conventui interesse vetabat, quod ii neque in Catholicorum neque in Donatistarum numero censerentur, quos solos ad disputandum Principum lex coire jusserat. a Primatibus autem petebat, ut, auditis Episcopis suis, litteras ad se mitterent, quibus profiterentur omnium nomine, singulos in edictum consensisse; eisque litteris ut iidem subscriberent, ceteris, quae Actores electos et probatos testari debebant, omnes omnino Episcopi, ut jam monuerat, manu sua subscriptionem apponerent. qui haec amplexi non essent, satis eos ostensuros, quid molirentur; et populum Carthaginiensem, qui tum testis esset, quanto singula consilio, quantaque fide constituta fuissent, mox judicem fore eorum caussae, qui repugnarent.

(8) *Coll. Carth. ibid. c.* 10.

V. Ceterum Donatistas ea clausula non deterruit. ut promulgatum edictum est, clamare coeperunt, frustra se e suis sedibus excitos esse, nisi omnibus Concilio illi interesse permitteretur: litterasque ad Marcellinum misere plenas querelarum, quod primum edictum altero immutatum esset: *In quo*, ajebant (9), *quum multa nos moveant, tum praecipue magnam sollicitudinem facit, quia nos ipsos edicto tuo epistolis nostris adstipulari oportere censuisti, quum hoc nec mos publicus habeat, nec judicum consuetudo. qua de re sinceritatem tuam plurimum exhortamur, ut prioris edicti fide servata, cunctos nos ad te venire praecipias, ut quamprimum de numero nostro constet, quos adversarii paucos esse saepe mentiti sunt, ut rite omnibus ordinatis, quae nostris partibus competunt, disceptatio subsequatur; ne aut edicta se tuae sinceritatis impugnent, aut nobis quidquam praejudicet, ut quum omnes venire praeceperis, paucos nunc adesse velle videaris. hoc enim decet et expedit, ut cunctis praesentibus commune negotium pauci loquantur.* haec illi, exemplum se harum litterarum apud se retinuisse admonentes: subscripserantque Januarianus et Primianus sectae antesignani, ille Casarum Nigrensium, hic Carthaginis Episcopus, ambo Primates inter suos, alter Numidiae, alter provinciae Proconsularis. at vero Episcoporum Catholicorum longe alia epistola fuit. nomina haec praeferebat Aurelii Carthaginiensis et Silvani Summensis Numidiae Primatis: qui omnium nomine testabantur (10), probari sibi singula, quae ipse Marcellinus statuisset *de loco et tempore ipsius Collationis, et de numero eorum, quos praesentes esse oporteret:* tum se ratum id esse habituros, quod ii egissent, quibus conferendi officium delegarent; idque subscriptione confirmaturos: operam etiam daturos, ut populo remoto et quieto ea disceptatio haberetur. quin et multo majora promittere non dubitarunt, ut caussae suae quantum omnes fiderent, appareret, et Donatistae intelligerent, haec una esse Catholicorum vota, ut discordia tandem tolleretur. *Illo etiam*, ajebant (11), *nos vinculo conditionis obstringimus, ut si nobis ii, cum quibus agimus, demonstrare potuerint, quum secundum Dei promissa populi Christiani usquequaque crescendo jam magnam partem orbis implerent, et in cetera dilatarentur implendam, subito Ecclesiam Christi nescio quorum, quos isti accusant, periisse contagio, et in sola remansisse parte Donati: si hoc, ut dictum est, demonstrare potuerint, nullos apud eos honores Episcopalis muneris requiremus, sed eorum sequemur pro sola aeterna salute consilium, quibus tanti gratiam beneficii pro cognita veritate debebimus. Si autem nos potius valuerimus ostendere, Ecclesiam Christi omnium non solum Africanarum, verum etiam transmarinarum provinciarum multarumque gentium spatia feracissima populorum copia jam tenentem, et sicut scriptum est, toto mundo fructificantem atque crescentem, nullorum*

(9) *Coll. Carth. Cogn. I. c. 14.*
(10) *ibid. c. 16.*
(11) *ibid. cap. eod.*

hominum sibi commixtorum peccatis perire potuisse : si denique ipsorum, quos tunc accusare voluerunt potius, quam convincere valuerunt, quaestionem demonstraverimus esse finitam, quamvis non in eis Ecclesiae caussa consistat ...... sic ejus nobiscum teneant unitatem, ut non solum viam salutis inveniant, sed nec honorem Episcopatus amittant. atque haec Catholici Episcopi tanta animorum consensione decreverant, ut, quum in Concilio prope trecenti essent, vix duos Augustinus inventos scribat (12), quibus id displiceret, quos etiam fraterna omnium correptione obrutos ac mutatos ait. itaque Marcellinum, quanto moerore Donatistae affecerant, tanta Catholici laetitiae voluptate perfuderunt.

vI. Sed tamen Donatistae, qui ea VIII. kal. Iunias scripserant, eodem die Actores caussae suae, ut edicto jubebantur, communi consensu designarunt, et Mandatum in synodo sua his verbis scripserunt (13) : *Ianuarianus, Primianus, Felix, Donatus, Candorius, Optatus, Donatianus, Antonianus, Victorianus, Fortis et ceteri Primiano, Petiliano, Emerito, Protasio, Montano, Gaudentio, Adeodato coëpiscopis nostris praesentes praesentibus salutem. Mandamus vobis Ecclesiae Dei caussam, defensoresque vos facimus adversus traditores persequutoresque nostros, qui nos in judicio viri clarissimi, spectabilis Tribuni et Notarii Marcellini, per supplicationem suam proposito edicto inquietare voluerunt, ut eorum intentionibus respondeatis. quidquid egeritis pro statu sanctae Ecclesiae ; ratum nos habituros, nostra subscriptione profitemur.* serius paullo Episcopi Catholici ejusdem rei caussa convenere: nam Mandatum hi suum ediderunt III. kal. Iunias, cujus titulus erat, *Mandatum factum in Ecclesia Carthaginiensi ab universo Concilio Episcoporum Catholicorum, praesidente Aurelio Episcopo Ecclesiae Carthaginiensis, et Silvano Primate Numidiae* (14). sed oratione illi longiore usi, Actores, quos lecturi erant, de tota controversia edoceri voluerunt, ac simul exstare vulgarique monumenta, quibus tota adversariorum doctrina everteretur. his autem fusius expositis addiderunt, quibus totam caussam committerent: *Haec*, inquiunt, *eo modo, quo conscripta sunt, et si quid uberius et firmius eis Dominus dederit, exsequenda mandamus fratribus et coepiscopis nostris Aurelio, Alypio, Augustino, Vincentio, Fortunato, Fortunatiano et Possidio : quod Mandatum se suscepisse testantur subscriptionibus suis, sicut nos mandasse testamur subscriptionibus nostris, ratum habituri quidquid, adjuvante Domino, in hac defensione peregerint. his autem adjungimus, cum quibus ubi opus fuerit consilium habeant, Novatum, Florentium, Maurentium, Priscum, Serenianum, Bonifacium et Scillatium : ad custodiendam vero conscriptionem gestorum Deuterium, Leonem, Asterium et Restitutum.* post haec Patres, quum dies Collationis appropinquaret, quieti urbis consulendum duxerunt, jussusque est Augustinus ad

(12) *de gest. cum Emer. n.* 6.
(13) *Coll. Carth. ibid. c.* 148.
(14) *ibid. c.* 45.

populum de pace et caritate dicere (15): quo in sermone illud quoque postulavit, ne ad Thermas Gargilianas ullo modo accederet: *Ad Collationis, inquit, locum nullus vestrum irruat, fratres mei: prorsus, si fieri potest, etiam per illum locum transitum devitate, ne forte aliquis contentionis et litis aditus inveniatur, vel occasio aliqua praebeatur, et inveniant ipsam occasionem, qui quaerunt occasionem.*

VII. Kalendis Iuniis Thermae Gargilianae, locus in urbe media spatiosus, lucidus, refrigerans (16), conventui denique tanto patuerunt. aderat Marcellinus, summae potestatis ornatus insignibus, stipatusque militum, scribarum, apparitorum corona, quos Proconsul et Vicarius et Legatus, Augusti jussu, submiserant: cumque his Notarii quoque gemini erant, quos Catholici dederant e Clero suo, Iannarius et Vitalis, et qui a Donatistis lecti fuerant, Victor et Cresconius. primi post hos in secretarium Thermarum ingressi magno agmine Episcopi omnes Donatistarum, ducenti, ut ferebatur, et septuaginta novem; nam ante, opinor, quod petierant, a Marcellino impetraverant. de Catholicis tamen ii solum pedem intulerunt, quos edictum adesse jubebat, Actores septem cum totidem Consiliariis et quatuor Custodibus tabularum. initium autem a lectione ductum Rescripti Augusti, Edictorum Marcellini et litterarum, quas et Donatistae et Catholici ad ipsum caussae Cognitorem dederant, in quibus Mandata continebantur. inter haec tergiversari Donatistae, et caussas nectere coeperunt ex forensi consuetudine petitas, ne ad disputationem traherentur, quam Catholici divinis auctoritatibus peragi volebant. sed quum hoc Catholici pervicissent, aliam interposuere moram, petentes, ut census institueretur Episcoporum Catholicorum, qui Mandato subscripsisse dicebantur. sperabant enim, manifestum fore, se numero plures esse. id Actoribus Catholicis displicebat, quod sine turbis ea res transigi vix posse videretur, metuebantque, ne id crimini Catholicis verteretur. at Marcellinus Donatistis indulgendum ratus, Episcopos Catholicos vocavit omnes: qui deinde, quum eorum nomen de scripto cieretur, singuli in medium progressi, se praesto esse respondebant: Donatistae autem, qui eorum in singulis urbibus adversarii erant, sibi eos cognitos esse testabantur. tum vero apparuit, Catholicos Episcopos, qui Carthaginem advenerant, esse numero ducentos octoginta sex, atque adeo septem superare. et addidit Alypius, centum viginti esse absentes (17), ac Fortunatianus subjecit, Cathedras praeterea vacuas numerari sexaginta quatuor (18). unde constabat, Ecclesias in Africa Catholicas tum fuisse quadringentas quinquaginta. porro grave hoc ac molestum Donatistis fuit: quique antea professi erant, usque adeo se omnes venisse Carthaginem (19), *ut nec gravissimos senes aetas et labor potuerit deterrere, eosque solos non venisse, quos adversa valetudo in suis sedibus vel*

(15) *serm.* 358. *n.* 6.
(16) Aug. *ad Donat. post Coll. c.* 25. *et* 35.
(17) *Coll. Carth. Cogn. I. c.* 217.
(18) *ibid.*
(19) Aug. *in Brev. Coll. I. diei c.* 14.

in itinere tenuisset; modo affirmare non dubitarunt, multo plures e suis absentes esse, multasque esse Cathedras viduatas, quas numerare ipsi possent. verum quum subinde numerus eorum, qui aderant, recognosceretur, inventi sunt quidam, pro quibus absentibus alii subscripserant: unus quoque repertus est, quem, quia nomine ejus recitato nemo respondebat, in itinere defunctum esse dixerunt: mirantibus Catholicis, quo pacto subscribere ille Mandato potuisset, quem mors in itinere oppresserat itaque compertum est pauciores adesse, quam qui Mandato eorum subscripsisse dicebantur, et saepe eos mentitos esse, ut numero Catholicos superare viderentur. sic dies Collationis primus exactus est, Donatistis ad finem usque sedere recusantibus, qui Davidicum illud usurpare audebant, *Non sedi cum concilio vanitatis* (20), vel illud, *Cum impiis non sedebo* (21). egressis autem omnibus, quos jam praesentes esse nil opus erat, consensu eorum, quibus Collatio commissa fuerat, in perendinum diem dilata est.

VIII. Ergo III. nonas Iunias, Marcellinus in secretario Thermarum cum cohorte sua rursum consedit, et delectos utriusque partis Episcopos admitti jussit. quum autem precatus esset, ut sederent, Petilianus Donatista omnium suorum nomine respondit (22): *Patribus nostris absentibus non sedemus, maxime quum lege divina consessus prohibeatur, ne cum hujusmodi adversariis nostris considere velimus.* cui Marcellinus, *si petitionem, inquit, meam sanctitas vestra audire neglexit, hoc mihi extorqueri non poterit, quominus stando cognoscam:* ac sellam removeri jussit. quare Catholici quoque Episcopi surrexerunt, et stantibus cunctis litterae Donatistarum lectae sunt pridie ad Cognitorem scriptae, quibus petebant exemplum dari sibi Mandati ejus, quod Catholici obtulerant. hoc prolato, exemplum quoque eorum postularunt, quae primo Collationis die gesta fuissent. nam quae semel audita essent, facile omnia avolare: sibi autem necessarium esse, accurate singula perpendere, et qui sensus verborum esset, diligenter cognoscere (23). his nempe artibus disceptationem vitare conabantur. nam, quum Acta notis excepta fuissent, neque ea describi per tempus licuisset, exhiberi minime poterant. quare eos Marcellinus sic perstrinxit (24): *Studium dilationis agnosco, et mutatae voluntatis indicium. potuerat enim sanctitas vestra ex magnitudine gestorum, ut hodie negotium differretur, superiori judicio postulare.* primo quippe Collationis die responderant, se etiam consentire, ut perendie negotium perageretur (25). illi tamen eadem urgere, justissimam esse petitionem suam, ac se multo faciliores fuisse, qui legitimo caussae tempore transacto, nihilominus in aliud tempus consensissent. nam et hoc ante jactaverant, Catholicos caussa cecidisse, quod quarto jam mense elapso adfuissent, contra, atque in edicto praescriptum fuerat:

(20) *psal. xxv. n. 4.*
(21) *ibid. n. 5.*
(22) *Cognit. II. c. 4.*
(23) *ibid. c. 28.*
(24) *ibid. c. 36.*
(25) *ibid. c. 44.*

quum tamen ipsi etiam post eum diem Mandatum suum conscripsissent, et kalendis item Iuniis se adfuturos polliciti essent. sed haec nugae erant, nec aliud eos quaerere apparebat, quam ne ad disputationem cogerentur. ceterum Catholici, qui se nihil altercando proficere intelligerent, a Cognitore petierunt, ut dilatio concederetur. *Et concessa est*, inquit Augustinus (26), *sex dierum dilatio, respondentibus exceptoribus, quando editio gestorum posset occurrere: et illis promittentibus, quum Gesta edita fuerint, se suis prosequutionibus subscripturos.*

VIII. Enimvero VI. idus Iunias Episcopi utriusque partis tertium denique convenerunt: sed Donatistae quidem eodem animo, ac nullo veritatis cognoscendae studio adfuere. nam, quum Catholici, Cognitore ipso jubente principale negotium proponi, hoc se agere velle dixissent, atque hoc esse, ut crimina Donatistae, quae in Ecclesiam toto orbe diffusam dicere solerent, aliquando, si possent, probarent: illi contra contendere coeperunt, ut prius quinam essent, qui agerent, quaereretur: nam Catholicos petitores fuisse Collationis; sibi vero jus esse requirendi, quinam ad Augustum legati missi essent, quod ii mandatum adtulissent, quae Principi de ipsis exposuissent: et alia hujusmodi, in quae si forensi ratione inquireretur, hic quoque dies totus inanibus concertationibus absumptus esset quum responsum esset, minime haec ad caussam pertinere: et Collationem Catholicis petentibus ab Imperatore concessam esse, sed ut superstitionem manifesta ratio confutaret; aliam illi quaestionem intulere, quinam Catholici dicendi essent: negare ausi, Catholicum nomen ad provincias vel ad gentes esse referendum, et hoc esse affirmantes, quod sacramentis plenum esset, quod perfectum, quod immaculatum. sed Marcellinus litem diremit, professus se non posse Catholicos non habere, quos in edicto suo Princeps Catholicos appellasset. quum ad personas petitorum relaberentur, et Catholici reponerent, se petisse Collationem, non ubi objicerent diluenda, sed ubi objecta diluerent, ipse autem Cognitor objecta a se crimina probare juberet; jamque pronunciasset, si Collationem pars utraque petivisset, eum esse petitorem, qui crimina objiceret: postulatum rursus est, ut probaretur a Catholicis, utrum Collationem utrique petivissent. at quia Catholici parati erant ea proferre, quae in judicio Praefecturae apud Longinianum gesta a Legatis eorum fuerant, ad praeterita redierunt, et personas ac Mandatum edi oportere clamitarunt. *Hoc autem agebant*, inquit Augustinus (27), *quantum intelligebatur, timentes ne Gesta Praefectoria legerentur, ubi suam caussam quibusdam inconsideratis et temerariis responsionibus vulneraverant.* quare quum legi ea coepta essent, et dies ac Consules recitati essent, Acta exstare antiquiora dixerunt, quae ante legi oporteret. ea autem designabant, quae apud Proconsulem et Vicarium scripta fuerant, quum ex Concilii decreto (28) Episcopi Catholici petierant, ut Episcopi

(26) *in Brev. Coll. diei II. c.* 3.
(27) *ibid. in Coll. diei III. c. 4.*
(28) v. *ann.* 403, *n. III.*

Donatistae ad colloquium et disputationem per municipales magistratus convenire cogerentur. his ostendere volebant, Catholicos se petitores manifestasse: qui tamen ideo se etiam tunc Collationem flagitasse dicebant, ut contra eorum crimina pro Ecclesia responderent. sed longum est omnes Donatistarum ambages anfractusque persequi. nihil illi quidem intentatum reliquerunt, quod ad judicii moram valeret, et quam vitare vellent, disputationem differre posset. verum Catholici patientia et constantia singulari effecerunt, ut ad quaestionem primariam aliquando veniretur. lectae sunt litterae Donatistarum, quibus Mandato Catholicorum, cujus exemplum poposcerant, respondere conabantur, plane futiles, sine nervis, ridiculae, falsae: nam pleraque Catholicorum argumenta silentio praeteribant, testimonia e divinis libris petita perperam interpretabantur, exemplis, quae opposita fuerant, nullo modo satisfaciebant. neque id ipsi non videbant: qui sane responsa Catholicorum declinare conati, sermonem cujusque contradicendo interrumpebant. sed tamen, ut Augustinus scribit (29), *Flagitantibus patientiam eorum Catholicis, et per multas Cognitoris interloquutiones vix impetrantibus, responderunt litteris eorum, ostendentes multis sanctarum scripturarum testimoniis et exemplis, malos in Ecclesia nunc sic esse permixtos, ut quamvis debeat vigilare Ecclesiastica disciplina ad eos non solum verbis, sed etiam excommunicationibus et degradationibus corripiendos; tamen non solum in ea latentes nesciantur, sed plerumque propter pacem unitatis etiam cogniti tolerentur.* neque vero Prophetas veteres, qui tanta dixerant in malos, idcirco aliud sibi templum, alia sacrificia, alios sacerdotes constituisse. falso ab ipsis dictum, ad peccata parentum etiam filios pertinere (30); neque id divinis in libris scriptum esse, nisi de filiis, qui parentum nequitiam imitarentur. itaque in summa populi Iudaici perversitate sanctos fuisse Prophetas, sanctos Zachariam, Elisabetam, Ioannem, Simeonem, Annam: inde autem apparere, quam impie, quam calumniose objicerentur Catholicis toto orbe diffusis crimina Caeciliani; quum Simeoni et Annae et ceteris talibus objicii non possent crimina illius populi, in quo nati fuerant. jam et illud addiderunt, quomodo Esaiae dictum esset intelligendum (31), *Exite de medio eorum, recedite inde, et immundum ne tetigeritis:* vitae nimirum et morum dissimilitudine id fieri praecepisse: quod et David nos docuerat dicens, *Non sedi in concilio impiorum* (32); ac male eos interpretatos esse, quum sedere in conventu illo noluissent; nam si verba, ut sonant, sequi volebant, ne illuc quidem accedere fas illis fuerat: scriptum enim ibidem esse, *Et cum iniqua gerentibus non introibo.* quod si cum iis, quos impios putarent, ingressi erant, sedere etiam cum iisdem potuisse. *Commemorata est etiam*, inquit Augustinus, *caussa Maximianistarum totiens jam illis objecta, ubi et se et illos, quibus dilationem dederunt, in Ma-*

(29) *in Brev. Coll. ibid. c.* 9.
(30) *ibid. n.* 17.
(31) *Esai. c.* 52. *n.* 11.
(32) *psal.* 25. *n.* 4.

ximiani schismate positos, ejusdem in damnatione Primiani socios, tamen illius contagio dixerunt non esse pollutos; qui Caeciliani criminibus orbem Christianum usque ad terminos terrae periisse contenderent.

x. His quae opponerent Donatistae non habebant; quumque ad ea redirent, quae saepe iteraverant, Cognitor de iis, quae jam satis audisset, se pronunciaturum promisit: reliquum esse, ut quaereretur, unde prima dissidii caussa exstitisset. tum vero novum inter utramque partem certamen fuit: nam quum Catholici petiissent, ut ea, quae ipsi offerrent, recitarentur, primum Donatistae premi ea omnia volebant; deinde postularunt, ut prius legeretur, quod de caussa Caeciliani ab ipsis afferebatur. contra quos Catholici, rem a prima origine exorsi, secessionem Donati, et prima adversus eum judicia exposuerunt: sed illis acrius reclamantibus datum denique est, ut et ipsi monumenta sua proferrent: contra quae postea Catholici, reliqua persequentes, magnis auctoritatibus decertarunt, nihil ut jam Donatistae Cognitori omnia, quae pro se facerent, expromere jubenti, exhibere ulterius possent, et a capite, quae saepius audita fuerant, incoharent. quare etiam admoniti sunt, ut eos jam pigeret eadem repetere, quae peracta et transacta jam fuerant. demum Marcellinus, *Si contra nihil est*, inquit (33), *quod legatis, exire dignamini, ut possit plena de omnibus scribi sententia.* utque omnes exiere, sententiam scripsit praeclaram, omnia complexus, quae longa trium dierum actione disputata gestaque fuerant, eamque intromissis rursum partibus recitavit. ac praefatio quidem ejus fuit, quae clementem judicem ostenderet, ac nihil magis desiderantem, quam ut laetitiam demonstratae veritatis, mutatae sententiae gratulatio sequeretur. tum ea breviter argumenta delibavit, quae Catholicorum caussae patrocinari, et calumniam Donatistarum ac falsas criminationes depellere videbantur: post quae jam, si morbo inveterato medicina afferri non posset, gravioribus remediis, ne latius serperet, utendum dixit; sic enim fieri posse, ut aliquando sanari vellet. *Declaratae igitur*, inquit (34), *veritati detecta falsitas colla submittat. unde universos ordinis viros, dominos etiam fundorum, actores, conductores tam domus divinae, quam etiam privatarum possessionum, senioresque omnium locorum hujus edicti auctoritate commoneo, quatenus memores legum, dignitatum, aestimationis salutisque propriae, Donatistarum conventicula in omnibus civitatibus et locis prohibere contendant: ita ut Ecclesias, quas eis humanitate mea absque Imperiali praecepto usque ad diem sententiae constat indultas, Catholicis tradere sine ulla dilatione festinent, ni malunt tot sanctionum laqueis inretiri: quas quidem, si unitati Catholicae consentire voluerint, eorum esse sat certum est.* exinde poenam Imperiali arbitrio constitutam iis comminatus, qui principe loco post agnitae Catholicae reverentiam legis, ad profanos Donatistarum coetus communionemque rediissent; adjecit quae eorum animos mulcere ac flectere possent;

(33) Aug. *in Brev. Coll. c. ult.* (34) *post Gesta Collat.* apud Pin.

manere nempe, etiam post victoriam, Catholicorum sententiam, qui aditum eis ad Ecclesiam suam sine ulla honoris imminutione patere voluerant: manere quoque superioris edicti fidem, ut Episcopus quisque ad loca propria sine ulla molestia remearet; quo post reditum vel sponte professionem Catholicam amplecteretur, vel quae legibus praescripta erant, impleret. postremo adversus Circumcelliones sanxit, ut qui eos in praediis suis degere paterentur, nec comprimendos curarent, praedia amitterent, eaque fisco cederent. ac simul et Edictum proponi jussit, et ipsa Collationis Acta proferri voluit, unde populus omnis edoceretur, errorem Schismatis a Donatistis exstitisse, et Caecilianum ac ceteros, quos illi improbe accusandos crediderant, fuisse purgatos.

xI. Iudicio absoluto Donatistas victos discessisse, compertum omnibus fuit: neque id ipsi non sentiebant; at fateri atque ultro manus dare, hoc vero, quae hominum malitia et superbia erat, omnino nolebant. quin jam conspirantes, quod saepe comminati erant, patientissimi et justissimi judicis sententia contempta, ad Augustum provocaverunt. tum querelas suas apud vulgus deplorare ausi, negatum sibi a Cognitore dictitarunt Catholico homine et Catholicorum fautore, ut ea dicerent, quae vellent: se in Thermis illis tamquam in carcere inclusos fuisse: sententiam contra se nocte esse prolatam (35): eamque auro emptam (36): vi denique, non auctoritate se victos ac superatos (37). ceterum minus horum improbitas maledictis, quam luce sua veritas valuit. multi illico de plebe Donatistarum Carthagine, quanto in errore versati essent, agnoverunt, Augustino in primis auctore atque adjutore, quem Aurelius non semel orationem ad populum id temporis habere voluit. nam apud eum mansisse usque ad Cypriani Martyris sollemnia apparet (38). formula etiam ab eodem Augustino conscripta tum esse videtur, quam Donatistae coram populo redderent, quum in Ecclesiam recipiebantur: nam inter sermones ejus occurrit (39): quae *ad vigilias Maximiani*, seu potius *Maximiliani* Martyris, quem prope Cyprianum esse compositum, superius diximus (40), pronunciata dicitur hoc initio: *Deo gratias, fratres, congratulamini fratri vestro, qui mortuus erat, et revixit, perierat et inventus est.* atque idem in tanta Ecclesiae laetitia, Donatistas pertinaces non leviter perstringens, populum admonere non destitit, ut inania adversariorum dicta contemneret: *Non vobis,* inquit (41), *fumos vendant qui dicunt, Sancti sumus, non portamus sarcinas vestras, ideo vobis non communicamus. majores isti portant sarcinas divisionis, majores portant sarcinas praecisionis, sarcinas schismatis, sarcinas haeresis, sarcinas dissensionis, sarcinas animositatis, sarcinas falsorum testimoniorum, sarcinas calumniosarum criminationum.*

(35) Aug. *ad Donat. post Coll. c.* 12.
(36) *idem ibid. c.* 23. *n.* 29.
(37) *de gest. cum Emer. n.* 2.
(38) Aug. *epist.* 140. *c.* 5. *n.* 13.
(39) *serm.* 360.
(40) *ad an.* 295. *n.* 2.
(41) *serm.* 144. *n.* 10.

XII. Inter haec Episcopi Catholici, postquam Acta Collationis a Marcellino vulgata sibi describenda curassent, magna ex parte ad Ecclesias suas optati exitus nuncii redierant. nec multo post Augustinus quoque, exemplo sibi eorum Actorum comparato, Hipponem reversus est. omnibus autem curae fuit, ut populum quisque suum de celebratae Collationis ordine, controversiis, disputationibus, judicii denique forma sententiaque edoceret. fuere etiam qui non multis paginis totam rerum seriem, quae in Actis fusa oratione descripta erat, repraesentari voluerunt: in quo operam suam navavit Marcellus quidam cognomento Memorialis, capitibus rerum singularum per numeros indicatis, ut quem quisque locum cognoscere maxime vellet, nullo negotio inveniret (42). ipse vero Augustinus brevem veluti historiam totius facti, quae omnium manibus teri posset, quam citissime potuit, conscriptam emisit, quam Breviculum Collationis appellavit. at Episcopos, qui nondum Carthagine discesserant, gravis caussa vertente jam anno apud Aurelium congregavit. multos jam menses in ea urbe agebat Caelestius, et quamquam Pelagianae haeresis assertor erat apertus atque impudens, tamen errore hominum et simulatione virtutis ad Presbyteri honorem subrepere coeperat (43). nam et facundiae non parum in eo inerat, quae incautos decipere posset, et sermonem ejus probabilem reddere. sed tandem, ut ab Augustino accepimus, *fidelissima libertate fratrum propter has ipsas contra Christi gratiam disputationes usque ad judicium Episcopale perductus est.* primus autem Caelestii accusator Paullinus Diaconus fuit, is qui Ambrosii vitam scripsit. nam id temporis in Africam se venisse, ipse testatur (44). enimvero quum Caelestii nomen delatum esset, nihil cunctatus Aurelius Episcopos ad Concilium vocavit, et Caelestium cum Paullino adesse jussit. illic singula, quae Pelagianae doctrinae patrocinator asserere ac disseminare ausus esset, de scripto recitata sunt, atque ad singula, quid sentiret, respondere coactus est. Acta quidem ejus Concilii amisimus, sed particulam ejusdem servavit Augustinus (45); ex qua intelligimus, manifesto deprehensum, hanc ejus esse doctrinam, Peccatum Adae ipsi soli obfuisse, et non generi humano: itaque qui nascuntur infantes, in eo statu esse, in quo ille ante culpam fuisset: quamquam idem affirmabat, infantes egere baptismo, ac baptizari oportere. quum autem haec se a Presbyteris Ecclesiae Catholicae didicisse praetexeret, et Paullinus urgeret, ut nomina eorum proferret, Rufinum Pammachii hospitem nominasse dicitur, *Ego audivi,* inquiens, *illum dicentem, quia tradux peccati non sit:* alios, qui eadem tradidissent, ciere rogatus nescivit. sed alios eidem errores objectos testatur synodus, quae Diospoli in Palaestina Pelagii caussa celebrata est (46): nam haec quoque tum ab Aurelio cum reliquis Episcopis audita et commemorata ait: *Adam mor-*

(42) *epist. ante Coll. Carth.*
(43) Aug. *epist.* 157. *c.* 3. *n.* 22.
(44) *in vit. Ambr. n.* 54.
(45) *lib. II. contra Pel. et Cael. c.* 2.
(46) *ibid. c.* 11.

talem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset: Legem sic mittere ad regnum, quemadmodum et Evangelium: Ante adventum fuisse homines sine peccato: Neque per mortem vel praevaricationem Adae omne genus hominum mori, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgere. multa porro adversus eum a Patribus disputata, multa opposita sunt, quibus edoctus resipisceret, atque doctrinam suam primus ipse damnaret. sed quum medicinam respueret, et convictus errorem tamen tueretur (47), Concilii sententia a sacris remotus est (48). exinde quum dicis caussa ad Pontificem maximum provocasset, neglecta appellatione profugit ex Africa, et se Ephesum contulit.

(47) Merc. *in common. c.* 1. Oros. *etc.*

(48) Aug. *Retr. lib. II. c.* 33. *etc.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Augusti, Imp. Fl. Honorius VIIII. Imp. Fl. Theodosius junior V. Africa Proconsulem acceperat Eucharium. porro faustus Honorio annus hic fuit, Iovino et Sebastiano tyrannis in Gallia exstinctis, quorum capita in Africam missa, et prope Carthaginem contis praefixa esse legimus (1). interea Augustinus Hippone vicem dolens rudium Donatistarum, quos Episcopi eorum, falsa multa contra Catholicos de nupera Collatione vulgantes, in errore retinebant, egregium ad eos librum perscripsit, cui hoc fecit initium (2): *Quid adhuc, Donatistae, seducimini ab Episcopis vestris, quorum fallaces tenebrae clara luce discussae sunt? quorum apparuit error, quorum pertinacia superata est? quid adhuc vobis jactant vana mendacia? quid adhuc creditis hominibus victis? quum vobis dicunt, judicem praemio fuisse corruptum, quid novum faciunt?* totam vero caussam accurate complexus, fraudes eorum malitiamque detexit, levitatem, inconstantiam, amentiam exagitavit.

II. Verum et crudele aliquod facinus id temporis a Donatistis adversus Catholicos Episcopos patratum esse, lex indicat Honorii Aug. data XVIII. kal. Febr. *Per provinciam*, inquit (*), *Africam tantum quorundam temeritati licuisse comperimus, ut Christianae legis Antistites de propriis domibus raptos, vel quod est atrocius, de Ecclesiae Catholicae penetralibus protractos, cruciatibus diversis afficerent.* jam vero gravissimis verbis segnitie Praesidum castigata, haec addebat: *Provinciae moderator sacerdotum et Catholicae ministrorum, loci quoque ipsius et divini cultus injuriam capitali in convictos vel confessos reos sententia noverit vindicandam. nec expectet, ut Episcopus injuriae propriae ultionem deposcat, cui sacerdotii sanctitas ignoscendi solam gloriam de-*

(1) Photh. *ex Olympiod. p.* 186.

(2) *ad Donatist. post Collat.*

(*) Sirm. *op. var. T. I. p.* 412.

reliquit. nec multo post perlata opportune alia in Africam Principis lex; quae seditiosorum omnium mire fregit audaciam. nam Donatistas tota petebat, contra quos et veteres leges instaurabat, et graves pro conditione hominum poenas in eos statuebat, qui se Catholicae Ecclesiae, a qua sacrilege desciverant, non reddidissent. sed Clerum in primis, qui dissidium atque odium renovabat, severissime insectabatur: *Clerici,* inquit (3), *ministrique eorum, ac perniciosissimi sacerdotales ablati de Africano solo, quod ritu sacrilego polluerunt, in exsilium viritim ad singulas quasque regiones sub idonea prosecutione mittantur: Ecclesiis eorum vel conventiculis praediisque, si qua in eorum Ecclesias haereticorum largitas prava contulit, proprietati potestatique Catholicae, sicut jamdudum statuimus, vindicatis.* haec Honorius III. kal. Februarias sanxerat. postridie vero ejus diei alia lege Afros solatus est (4), iis a tributi pensitatione liberatis, qui steriles desertosque agros excolerent: proximoque mense pridie kal. Martias cavit, ne Exactores per provincias inlationem auri argentique poscerent, sed Carthagine tantum, ubi provinciales contra fraudem judicis tribunal adire possent: ac demum eodem die ad Constantium, quem Magistrum militum in Africam miserat, mandata dedit, ut Tribunos omnes, qui vagorum et desertorum requirendorum caussa regiones circum obibant, submoveret, ne sub ejusmodi professione provinciam vastarent (5). quamobrem nemini obscurum fuit, quae Honorius adversus Donatistas, provocatione eorum rejecta, constituisset, eodem pacis communisque boni studio praescripta esse, quo reliquis Africae incommodis rationibusque prospexerat.

III. Hinc factum est, teste Possidio (6), ut ex Episcopis ipsis Donatistarum permulti cum Clericis et plebibus suis sectam deserentes Catholicis accenserentur. sed illud simul consequutum est, ut qui deserebantur, incredibili in novos Catholicos odio, in Episcopos potissimum Presbyterosque, flagrarent: itaque eos non modo detestarentur, sed lapidibus etiam et ferro et insidiis appeterent. *Insani atque furiosi,* ajebat, hospites peregre adloquens, Augustinus (7), *armati vagantur hac atque illac, quaerentes quos occidant, quos excoecent. nova enim nobis nunciata sunt, cuidam Presbytero nostro linguam exsecuerunt.* atque idem ad Marcellinum Tribunum hoc anno scribens, *Circumcelliones,* inquit (8), *illos et Clericos partis Donati, quos de Hipponensi ad judicium pro factis eorum publicae disciplinae cura deduxerat, a tua nobilitate comperi auditos, et plurimos eorum de homicidio, quod in Restitutum Catholicum Presbyterum commiserunt, et de caede Innocentii alterius Catholici Presbyteri, atque de oculo ejus effosso et de digito praeciso fuisse confessos.* a quo tamen magnis precibus petiit, ne eos tanta legum severitate plectendos censeret, ut qualia fecissent, talia paterentur. quid

(3) *Cod. Theod. lib. xvI. Tit. v. L.* 52.
(4) *ibid. lib. xI. Tit. I. L.* 31.
(5) *ibid. lib. vI. Tit. xvIII. L.* 17.
(6) *in vit. Aug. c.* 13.
(7) *serm.* 359. *n.* 8.
(8) *epist.* 133. *n.* 1.

alibi Donatistae ausi essent, non accepimus; nisi quod Carthagine in Basilicas sibi ereptas ignem intulisse dicuntur (9): qui si celeberrima in urbe ac tota prope Catholica, in oculis Proconsulis tantum facinus patrare potuerunt, quis eos sibi temperasse putet, ubi neque summarum potestatum auctoritas metum incuteret, et minor Catholicorum numerus audaciam augeret? Basilicas certe, quae post Collationem Marcellini jussu ac subinde Augusti lege clausae fuerant, ubique aperire ac sibi rursum vindicare conabantur, in Numidia praesertim, unde Delphinus Episcopus hoc anno Carthaginem a collegis missus est, qui Marcellinum de Donatistarum motibus certiorem faceret (10), et Catholicos a tantis periculis, ope ejus implorata, liberaret.

IIII. Enimvero Carthagine, dum Marcellinus in Donatistas judicia sedulo exercebat, et Actis ad Basilicam Theoprepiam, quae olim ad eos spectaverat, propositis, scelera eorum aperta cuique ac manifesta ut essent, summo studio curabat (11); Aurelius Episcopus aliis quoque curis angebatur, grave detrimentum Ecclesiae suae ab iis timere coactus, quos nuper Caelestius errorum suorum labe infectos reliquerat. ob eam rem Augustini opera sibi maxime opus esse existimavit. quamquam autem Augustinus id temporis magnis in primis scribendi et respondendi occupationibus distinebatur, repugnare ei, quem summa observantia reverebatur, non potuit; et Carthaginem, ut primum licuit, profectus est. illic edoctus, quae superiore anno in Concilio acta essent, et haeresis dudum serpentis malitiam perscrutatus, sermones ad populum crebros habere coepit, quibus tota Pelagii Caelestiique doctrina everteretur: confluentibus ad eum non modo antiquis Catholicis, sed iis etiam, quos proxime Ecclesia receperat, et in lucris numerabat (12). mire autem jamtum iis disputationibus praeludebat, in quibus postea summa cum laude versatus, se ipsum dicendo scribendoque superavit. *Nullus hominum*, ajebat (13), *in ista, quae ex Adam defluit massa mortalium, nullus omnino hominum non aegrotus, nullus sine gratia Christi sanatus. quid de parvulis pueris, si ex Adam aegroti? nam et ipsi portantur ad Ecclesiam; et si pedibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt, ut sanentur. accommodat illis mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur: ut quoniam quod aegri sunt, alio peccante praegravantur, sic quum hi sani sunt, alio pro eis confitente salventur. nemo ergo vobis susurret doctrinas alienas. hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit: hoc a majorum fide percepit: hoc usque in finem perseveranter custodit.*

V. Haec porro et multa hujusmodi Augustini ore prolata, quem omnes suspiciebant, et suorum doctissimum norant, plurimum apud populum Carthaginiensem valuere, animisque omnium in doctrina Catholica con-

(9) Aug. *contra Gaud. lib. I. c.* 6.
(10) *idem epist.* 139. *n.* 4.
(11) *ibid. n.* 1.
(12) *serm.* 174. *n.* 2.
(13) *serm.* 176. *n.* 2.

firmatis, facile effecerunt, ut fraudem cavere posset, et Caelestii discipulos plene aversaretur. interea Delphinus, quem Episcopi Numidiae Carthaginem legaverant, cum Aurelio egerat, ut in tanta provinciae illius trepidatione consilium daret, quae illi ratio ineunda videretur. ille autem expeditissimum, opinor, duxerat, ut ex Ecclesiae consuetudine Concilium Primas cogeret, et collegarum sententias audiret: jamque auctoritate sua permoverat, ut rem illam judicio plurimorum permitteret. nam synodum in idus Iunias indictam novimus, quae Zertae in Numidia celebrata est. quare Augustinum, qui synodo illi interfuit, Iunio ineunte Carthaginem reliquisse constat. quot tum Patres Zertam convenerint, Actis deperditis, indicare non licet: hoc scimus, praefuisse Silvanum Summensem, cujus tum primae in provincia erant: ac praeter Augustinum eodem se contulisse Valentinum Bajanensem, Aurelium Macomadiensem, Innocentium Germaniensem, Maximinum Enerensem, Optatum et Donatum ignotarum sedium, et alios praeterea, quorum et nomina ignoramus. at conveniendi eam potissimum caussam fuisse apparet, ut Donatistarum placandorum via aliqua inveniretur: quippe qui ab Episcopis suis decepti, in eam opinionem adducti fuerant, quidquid Carthagine in Collatione gestum perfectumque esset, judice a Catholicis corrupto, per vim esse factum, religione, aequitate, jure contemptis. itaque non se caussa cecidisse, sed violentia oppressos esse; eoque acrius Catholicis esse obsistendum, quod major in dies suorum ad eos accessio fieret. haec nos Patrum epistola docet, quae tum ab Augustino perscripta, ad omnes Donatistas Concilii nomine missa est (14). nihil enim mitigandis eorum animis idoneum magis fore censuerunt, quam si eos de tota judicii illius ratione accurate edocerent. *Quum, inquiunt, in auribus nostris fama crebresceret, hoc vobis vestros Episcopos dicere, Cognitorem praemio fuisse corruptum, ut contra eos sententia proferretur; vos autem ista facile credere, ac propterea multos vestrum adhuc nolle adquiescere veritati: placuit nobis, cogente Domini caritate, ex Concilio nostro haec ad vos scripta dirigere, quibus primitus admoneremini illos vobis victos atque convictos haec mendacia jactare.* post quae Patres totam Collationis seriem, et ipsas auctoritates exponebant, quibus adversariorum commenta refutaverant, tanta fide ac diligentia, ut qui adfuerant, nihil inficiari aut reprehendere jure possent. addebant postremo, *Si nobis non vultis credere, Gesta ipsa legite, aut vobis ut legantur, admittite, et an vera sint quae scripsimus vobis, ipsi probate:* eosque hortati, ut, cognita veritate, sacrilego schismati Catholicam pacem praeponerent, epistolam his verbis claudebant: *Haec ad vos scripsimus XVIII. kal. Iulias, piissimo Honorio Augusto VIIII. Consule, ut quando possunt, ad quosque vestrum istae litterae pervenirent.*

VI. Brevi autem compertum est, bene ab Episcopis operam collocatam esse. nam ex quo epistola in Donatistarum manibus esse coepit, mirabiles

(14) *inter epist. Aug. n.* 141.

animorum conversiones exstitere. ipse Augustinus nondum Hipponem redierat, quum adlati ei nuncii sunt, Saturninum et Euphratem Presbyteros cum aliis e Clero Donatistarum in Catholicae Ecclesiae gremium confugisse (15). subinde litteras a Cirtensibus accepit, quae nunciabant, totam paene factionem Donatistarum, quae illic potentissima erat, Petiliano relicto, Catholicam esse factam (16). ceterum et Honorii lex jam per provincias promulgata impulisse multos putanda est, ut se poenarum metu liberarent. accedebat Marcellini vigilantia, cujus opem Catholici Numidiae Episcopi per Delphinum Legatum petierant: qui quidem, adveniente jam in Africam fratre ejus Apringio Proconsule, plus etiam auctoritatis habiturus videbatur. nisi quod Augustinus severitatem hujus mollire nisus est, litteris ad eum datis (17), quibus eum ad mansuetudinem et misericordiam erga Donatistas studiosissime hortabatur, quemadmodum Marcellino ipsi auctor fuerat, ne quem eorum cruento supplicio afficeret. in vincula eos duci, virgis etiam, si gravius deliquissent, caedi, non improbabat Augustinus: at vitam omnino servari volebat, ne quam de eorum salute spem Ecclesia haberet, ea repente animadversionis severitate eriperetur. *Quum aliquid*, ajebat (18), *fieri possit, quo et mitis commendetur Ecclesia, et immitium cohibeatur audacia, cur non flectas in partem providentiorem lenioremque sententiam, quod licet judicibus facere etiam non in caussis Ecclesiae?* itaque quum in villa Mutugenna Presbyter Donatista plurimum fureret, eum quidem comprehendendum curavit; sed eundem postea pertinaci animo repugnantem, paratumque vitam potius, quam sectam relinquere, custodibus appositis tueri institit, et litteris (19) delinire conatus, salutem ejus, non poenam urgere perrexit.

VII. Quod reliquum est, ad hunc annum pertinet Innocentii Pontificis maximi epistola ad Aurelium, qua eum de ratione Paschali consulebat, scire cupiens, quo die Pascha anno CCCCXIIII. celebrandum videretur. morem enim veterem, ut haec ab Episcopo Alexandrino peterentur, servare Innocentius noluit, quod tum esset Theophilus, cujus communionem, ob damnatum ab eo Ioannem Chrysostomum, aversabatur. opinionem autem suam efferebat his verbis (20): *Nam quum ante diem undecimum kalendarum Aprilium paene luna XVI. colligatur; nam quidpiam minus est: itemque quum in ante diem quartum kalendarum earundem veniat vicesima tertia; existimavi XI. kalendarum memoratarum die festa Paschalia celebranda: quoniam in vicesima tertia luna nullum Pascha unquam ante hos Pascha factum esse cognoscimus.* petebat porro ab Aurelio, ut de ea re ad Episcopos suos, ubi Concilium indixisset, referret, rescriberetque quid Patribus visum esset, quo deinde Paschalem diem Ecclesiis de more nunciare posset. nec ambigendum est, Patres Afri-

(15) *ibid. epist.* 142.
(16) *ibid. epist.* 144.
(17) *ibid. epist.* 134.
(18) *ibid. n.* 4.
(19) *ibid. epist.* 174.
(20) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1009. *epist.* 11.

canos in ejusdem venisse sententiam: nam a Concilii Nicaeni temporibus Silvester edixerat (21), *Omnibus Episcopis et Presbyteris praeceptum est Paschae observantiam custodire a luna XIIII. usque ad XXI. ita ut Dominicus dies coruscet.* erat autem eo anno terminus Paschalis XII. kal. Apriles: quare postridie Pascha esse oportebat. nam quod Cyrillus Alexandrinus, qui Octobri mense anni hujus Theophilo successit, in diem alterum Dominicum transtulerit (22), sive in diem IIII. kal. Apriles, id fortasse factum est, quod eo anno apud Alexandrinos intercalatum esset, atque adeo terminus Paschalis sive luna XIIII. incideret in diem undecimum kalendas easdem.

VIII. Hoc item anno libellum suum misit Augustinus (23) ad Honoratum catechumenum de Gratia novi Testamenti, in quo et quaestiones quinque ab eo propositas dissolvit, totidem Evangelii loca interpretatus, ad quae ille haerebat. ex eodem autem libello ediscere licet, legem de Arcano, quae superioribus aetatibus in Ecclesia passim obtinuerat, in Africa etiamtum viguisse. rem enim sic indicat. *Haec est gratia, quae gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum sacramentum in sacrificio novi Testamenti, quod ubi et quando et quomodo offeratur, quum fueris baptizatus, invenies* (24). mysteria enim nostra catechumeno minime prodebantur, ne dum ethnico: quemadmodum Augustinus ipse alibi non semel significavit (25).

(21) *ibid. p.* 527.
(22) *Art de verif. les dat. p.* 9.
(23) *epist.* 140.
(24) *ibid. c.* 19. *n.* 48.
(25) v. Schelstrat *de Discipl. Arc. ed. Romae* 1685.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM susceperunt Fl. Lucius ex Oriente, Fl. Heraclianus ex Occidente. sed hujus deinde nomen e Fastis erasum est. hic enim est, qui Comes Africae postquam praeclare rem gesserat contra Attalum tyrannum, operamque suam Honorio Aug. ita probaverat, ut Consulatum adeptus jam esset; hoc demum anno tyrannidem affectavit, et maxima classe comparata in Italiam contra Honorium transmisit (1). ceterum quum exercitum exposuisset, et per Flaminiam contenderet, proelio ad Ocriculum commisso, a Marino Comite victus est, amissoque exercitu poene solus una navicula in Africam rediit. illic, quum Carthagine latitaret, promulgatum Honorii edictum est, quo Heraclianus hostis publicus judicabatur (2). eo autem e vivis sublato, lex prodiit (3), quae Heracliani vocabulum, nec privatim nec publice, ulla memoria teneri vetabat,

(1) Oros. *lib. VII. c.* 42. *etc.*
(2) *Cod. Theod. lib. VIII. Tit.* XXXX. *L.* 21.
(3) *ibid. lib. XV. Tit. XIIII. L.* 13.

jamdiu graviora utique meriti. is enim est, de quo Hieronymus in epistola cxxx. scripsit ad Demetriadem: *Quem*, inquit, *nescias, utrum avarior, an crudelior fuerit: cui nihil dulce praeter vinum et pretium: et qui sub occasione partium clementissimi Principis saevissimus omnium exstitit tyrannorum.* et quae deinceps.

II. At vero incredibile dictu est, quantum hic annus cum Africae toti exitialis, tum Ecclesiae ipsi fuerit luctuosus. nam post Heracliani necem Marinus Comes eo navigare jussus est, ut in perduelles animadverteret, ac terrore suppliciorum nutantem Imperii auctoritatem firmaret. delatores autem lex ipsa prope incitabat, ne sontes latere paterentur: sic enim Honorius edixerat (4): *Hanc omnibus privatis atque militantibus licentiam damus, ut omnes prodendi in medium habeant liberam facultatem: nec invidiam metuat, qui ad publicum deduxerit criminosum: quum illud specialiter caveamus, ne ullus aliquem eorum aut subtrahendum judicet, aut celandum; neve ex eorum facultatibus vel deposita deneget, vel accepta non prodat.* itaque alii vitam miserabili exitu amiserunt, alii voluntario exsilio graviorem declinantes poenam, solum vertere: plerique in templa confugiebant, et Episcoporum opem insontes implorabant (5), ne a delatoribus accusati ad supplicium raperentur. quo tempore Catholicorum in primis dura conditio fuit, qui vehementissimos accusatores in Donatistis habebant. quid ii tum potuerint, Marcellini Tribuni et fratris ejus Apringii Proconsulis deplorabiles exitus ostenderunt. nam eos caedis auctores diserte facit Hieronymus (6), qui mentione de Marcellino injecta, scripsit: *Sub invidia tyrannidis Heracliani ab haereticis innocens caesus est.* quin et de auro judici dato suspicionem fuisse, testatum reliquit Orosius (7). ceterum quia simultates quaedam illis fuerant cum Caeciliano, qui tum negotium publicum in Africa agebat, hic quoque facti illius infamia laboravit, praesertim quum Marino Comiti, qui eos interemit, familiaritate conjunctus esset, et cum eo in colloquio fuisset, quo tempore uterque est comprehensus. quare postea Augustinus ipsi Caeciliano de nefaria illa caede scribens, non semel ait (8), *Ideo, vir bone, etiamsi nos hoc non credimus, ignosce credentibus.*

III. Synodus tum forte ab Aurelio Carthagine habebatur, ad quam Augustinus quoque venerat: nam et Innocentio Pontifici maximo de die Paschali anni insequentis respondendum erat, et crebrae Donatistarum molestiae multam ad consulendum deliberandumque materiam dabant. enimvero ut auditum est, Marcellinum et Apringium in vincula ductos esse, nemo tum Patrum non ingemuit, nemo non flevit, tales viros, quibus plurimum Ecclesia deberet, non ad praemia, quae maxima meruissent, sed ad supplicium deposci. verum *Nos interea*, inquit Augustinus (9), *quoniam rumor erat, quod Ecclesiastica manus posset eos*

(4) *ibid. lib. VIII. Tit. XXXX. L.* 21.
(5) *Aug. epist.* 151. *n.* 3.
(6) *contra Pelag. lib. III. n.* 19.
(7) *Hist. lib. VII. c.* 42.
(8) *epist.* 151. *n.* 6.
(9) *ibid. n.* 5.

eripere, falsis promissionibus ludebamur, ut illo non solum quasi volente, Marinum Comitem intelligit, *sed etiam instante, pro eis ad Comitatum Episcopus mitteretur, ea pollicitatione interposita Episcopalibus auribus, quod donec aliquid pro eis illic ageretur, nullum caussae illorum excitaretur examen.* nec Patres cunctati, Episcopum cum Diacono, periculi deprecandi caussa, ad Augustum legaverunt (10). in illa autem trepidatione spem Episcoporum excitavit Caecilianus, qui Augustinum conveniens, affirmaverat, egisse se apud Marinum, ut eos sibi profecturo pro veteri amicitia et familiaritate concederet: ostendisse etiam, nisi hoc daret, non honori sibi, sed infamiae fore, quod cum eo tam adsidue familiarius secretiusque loqueretur: id enim homines judicaturos, utriusque consilio de eorum vita esse deliberatum: quae etiam a se dicta, altare intuens, stupente Augustino juraverat. at postridie ejus diei, qui fuit idibus Septembribus, nam Cypriani Martyris pridiana sollemnitas fuisse dicitur (11), repente nunciatum est, Marcellinum et Apringium e carcere ad judicem ductos esse: et credidere tamen Patres, cum potissimum diem a Marino electum, ut anniversariam illam Ecclesiae laetitiam tam benemeritis viris condonatis augeret. *Quum ecce,* inquit Augustinus (12), *nobis nuncius irruit, quo prius percussos esse nossemus, quam quomodo audirentur quaerere valeremus. provisus enim erat et proximus locus, non suppliciis hominum deputatus, sed ornamento potius civitatis, ubi merito creditur, propterea quosdam ante aliquot dies jussisse mactari, ne in istis invidiosa novitas esset: quos consilium fuit sic posse subripi Ecclesiae, si non solum subito feriri juberentur, verum etiam in loco proximo ferirentur.* hunc scilicet finem habuere praeclari illi viri, qui non modo schismati tollendo operam adsiduam ac diligentem Ecclesiae navaverant, sed etiam justitiae studio et vitae integritate apud omnes inclaruerant. nam et ipse Apringius aetate major, qui aliquandiu voluptati aliquid indulsisse ferebatur, vitam, teste Augustino (13), uxore ducta, non parva ex parte correxerat; et Marcellinus ita religiose semper vixerat, ut veteris sanctitatis insigne veluti exemplar haberetur. quam hic famam, ex quo in Africam venerat, non solum conservarat, sed etiam auxerat. *Quae illi,* addit Augustinus (14), *probitas in moribus, in amicitia fides, in doctrina studium, in religione sinceritas, in conjugio pudicitia, in judicio continentia erga inimicos patientia, erga amicos affabilitas, erga sanctos humilitas, erga omnes caritas in beneficiis praestandis facilitas, in petendis pudor, in recte factis amor, in peccatis dolor? quantum decus honestatis, qui splendor gratiae, quae cura pietatis? quae in subveniendo misericordia, in ignoscendo benevolentia, in orando fiducia? quod salubriter sciebat, qua modestia loquebatur? quod inutiliter nesciebat, qua diligentia scrutabatur? quantus*

(10) *ibid. n.* 11.
(11) Aug. *ibid. n.* 6.
(12) *ibid.*
(13) *ibid. n.* 8.
(14) *ibid. num. eod.*

in eo contemptus rerum praesentium? quanta spes et desiderium bonorum aeternorum? tot eum laudibus, qui apprime norat et amicum habuerat, cumulavit Augustinus, justa quodammodo funeri ejus solvens, et epitaphium scribens, unde tanti viri memoria apud posteros celebraretur. quamquam eundem paullo ante in iis quoque libris laudarat, quos rogatu ejus de peccatorum meritis et remissione, ac de baptismo parvulorum emiserat. manet vero Marcellini memoria in Ecclesia, quae eum in Martyrum numerum retulit, nomenque ejus quotannis cum honore recenset (15).

IIII. Iam ut ad Episcopos redeamus, quantus post inanem illam spem et dolor et luctus omnes oppresserit, quam sibi jam, quam toti Ecclesiae timuerint, moeror ipsius Augustini et fuga declarat. nam impiam illam crudelemque Marini Comitis perfidiam detestatus, *Continuo*, inquit (16), *sum a Carthagine profectus, occultato abscessu meo, ne tot ac tanti, qui ejus intra Ecclesiam gladium formidabant, violentis fletibus et gemitibus me tenerent, putantes meam sibi aliquid posse prodesse praesentiam, ut quem satis digne pro ejus anima objurgare non possem, pro illorum corporibus etiam rogare compellerer. quam tamen eorum corporalem salutem satis parietes Ecclesiae muniebant: ego autem duris coarctabar angustiis, quod neque ille me pateretur, qualem oporteret; et insuper facere cogerer quod non deceret. dolebam etiam graviter vicem venerabilis Coepiscopi mei tantae rectoris Ecclesiae, ad cujus pertinere dicebatur officium, post hominis tam nefariam fallaciam adhuc se praebere humilem, quo ceteris parceretur. fateor, quum tantum malum nullo pectoris robore potuissem tolerare, discessi.* sed tamen post Augustini discessionem, Donatistarum odiis sanguine innocentium satiatis, Comitis secures quievere. nec multo post Aurelium tot jam acerbitates perpessum praeclara virginis Demetriadis professio solata est: quae clarissimis parentibus, avis, majoribus orta, atque, ut ait Hieronymus (17), et nobilitate et divitiis in orbe Romano prima, quum ante urbis excidium cum Iuliana matre et Proba avia in Africam venisset, nuptiarum die appropinquante, Deo se totam, omni cultu abjecto, devovit, et flammeum virginale sanctum Carthagine ab Aurelio accepit. haec vero illa est Demetrias Anicia trabeatae nobilitatis, ad quam Leo magnus ante Pontificatum egregiam epistolam scripsisse putatur *de Humilitate Christiana*, quae Prosperi Aquitani operibus adjecta legi solet. enimvero Augustinus Hipponem reversus, ipsa quoque laetitiae aliquid ex florenti illa Ecclesia sua cepit, quod e numero Presbyterorum ejus Vrbanum sibi Episcopum Siccenses postularint (18): quodque, rebus illic tranquillis, otium ei fuerit studiis suis recolendis, quae Carthaginis adeundae necessitas abruperat. quo sane tempore librum absolvisse creditur *de fide et operibus* (19), item alterum *de videndo Deo* (20), opus vero incohasse

(15) *ad diem 6. April.*
(16) *epist. 151. n. 3.*
(17) *epist. 130. n. 1. et 6.*
(18) *Aug. epist. 149. n. 34.*
(19) *Retr. lib. II. c. 38.*
(20) *ibid. c. 41.*

de natura et gratia (21): ac demum bona ex parte operum ejus maximum *de Civitate Dei* contra Paganos conscripsisse, quod Marcellino hortatore institutum eique promissum, in duos et viginti libros digessit, et aliquot post annis perfectum (22), vulgavit. quo de opere Orosius Hispanus Presbyter dudum ab Augustino excitatus, ut Historiarum suarum libros conficeret, haec in ipso earum exordio pronunciavit, eundem compellans, et duabus de caussis morem ei se gessisse scribens: *Maxime*, inquit, *quum reverentiam tuam perficiendo adversum hos ipsos Paganos undecimo libro insistentem, quorum jam decem orientes radii mox ut de specula ecclesiasticae claritatis elati sunt, toto orbe fulserunt, levi opusculo occupari non oporteret: et sanctus filius tuus Iulianus Carthaginiensis servus Dei satisfieri super hac re petitioni tuae eadem fiducia, qua poposcisti, exigeret.*

v. Inter haec Episcopus, quem Ecclesia Carthaginiensis cum Diacono ad Honorium Aug. legaverat, ut a Marcellino et Apringio capitis periculum deprecaretur, jam Ravennam pervenerat: admissusque, quum eorum caussam perorasset, tanta utrumque gratia apud Principem, et tanta innocentiae existimatione florere repererat, ut nulla in eos perduellionis suspicio cadere posse videretur. itaque Honorius legatum dimittens omnino caverat, ne quid se iis indulgere pronunciaret, et commonitorium tantummodo dederat, quo eos ab omni molestia liberos dimitti jubebat. sed hoc, caede jamdiu patrata, Carthaginem perlatum documento solum esse potuit omnibus, Marinum Comitem, ut Augustinus scribit (23), *Non habuisse necessitatem, quam se habere confinxit, ut ejus obtentu tamquam bonus faceret tantum malum, quod nec illi placuit, de cujus praecepto se ausus est excusare.*

(21) *ibid. c. 42.*
(22) *ibid. c. 43.*
(23) *epist.* 151. *n.* 11.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXIIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt in Oriente Fl. Constans, in Occidente Fl. Constantius, is, qui deinde Placidiam Honorii Aug. sororem in matrimonium duxit, Imperiique fastigium attigit. Apringio autem Africae Proconsuli suffectus jam fuerat Iulianus, qui hoc item anno eam provinciam administravit. revocatus contra ex Africa est Marinus Comes, magno Afrorum solatio; vicesque illic, opinor, egit Magistri Militum Maurianus Comes Domesticorum, ad quem data hoc anno lex est, quae leonum occidendorum potestatem cunctis faciebat (1). ipse vero Marinus, quem foeda crudelitatis nota infamaverat, quum ad poenam (2) quaereretur, Ecclesiae, quam atrociter contristaverat, asylum petere coactus

(1) *Cod. Theod. lib. xv. Tit. xI. L.* 1.
(2) August. *epist.* 151. *n.* 11.

est, ac vitam ei acceptam referre, quam modo pro suorum vita supplicantem illuserat.

II. Rescierat interea Honorius, quantum a Marcellini morte reliquus Donatistarum grex triumpharet, numero quidem jam parvus, sed ex omnibus perditis et facinorosis conflatus, qui non errore ducti, aut veri ignoratione decepti, sed odiis atque invidia flagrantes, voluntarii inimici perniciem Catholicis desperatione victoriae moliebantur. novis igitur poenis homines coërcere Augustus instituit, lege lata (3), qua eos *Intestabiles* pronunciabat, *et nullam potestatem alicujus ineundi habere, sed perpetua inustos infamia coetibus honestis, et a conventu publico segregandos:* tum quae loca ad eos pertinuerant, rursum Ecclesiae Catholicae cedere, totum eorum Clerum exsulare jubebat: qui eos occultandi caussa suscepisset, habita dignitatis cujusque ratione, gravius, quam antea, bonis mulctabat. atque haec quidem lex xv. kal. Iul. prodiit. sed quia jactare Donatistae caeperant, quidquid inter eos et Catholicos Marcellino Cognitore gestum esset, ejus damnatione infirmatum esse, et quam in eos tulerat sententiam, judicis poena irritam esse factam; III. kal. Septembres lex alia ab Honorio ad Iulianum Proconsulem data est, quae sermones eorum retunderet, et Marcellini memoriam honestaret: *Notione,* inquit (4), *et sollicitudine Marcellini spectabilis memoriae viri contra Donatistas gesta quae sunt et translata in publica monumenta, habere volumus perpetim firmitatem. neque enim morte Cognitoris perire debet publica fides.* sic pientissimus ille Princeps et Catholicae religionis studiosissimus Ecclesiae tranquillitati egregie caverat: neque jam illa haeresis caput exinde extulisset, si pari studio rectores provinciarum leges optime constitutas servari ubique ac vigere voluissent. erat tamen id temporis Vicarius Africae Macedonius, vir Augustini testimonio (5) negotiosissimus in republica, et non suis, sed aliorum utilitatibus adtentissimus: qui et Episcopos pro reis remissius laborare volebat (6), ambigebatque, utrum istud ex religione descenderet: nisi quod ab Augustino edoctus in sententiam ejus concessit (7), ac lenitatem in Episcopis misericordiamque laudandam agnovit. ab hoc autem edictum per provincias missum scimus, in quo Donatistas, ad eos in unitatem Christi pacemque redigendos, singulari humanitate adloquebatur: ex quo haec illi verba commemoravit Augustinus (8): *Pro vobis hoc agitur, pro vobis sacerdotes incorruptae fidei, pro vobis Imperator Augustus, pro vobis nos quoque ejus judices laboramus:* post quae Augustinus alia multa fuisse ejusmodi affirmabat, *Quae,* inquit, *in eodem Edicto ita posuisti, ut te appareat in terreni judicis cingulo non parva ex parte caelestem rempublicam cogitare.* hujus opera in primis effectum puto, ut Cartha-

(3) *Cod. Theod. lib. xvI. Tit. v. L.* 54. *intellige* Rei cujusquam *ineundae.*
(4) *Cod. Theod. ibid. L.* 55.
(5) Possid. c. 20. Aug. *epist.* 153.
(6) Maced. apud Aug. *epist.* 152.
(7) *idem apud eund. epist.* 154.
(8) *epist.* 155. *n.* 17.

gine, Primiano demortuo, Episcopum Donatistae habere desierint. neque enim alius post eum cietur, et tota factionis vis in Numidia debacchata diutius, in aliis deinceps provinciis minus valuisse creditur.

II. Quamquam sane, legibus Augusti promulgatis, querebantur, sibi loca deesse, quo confugere, atque ubi latere possent, ausi tamen hoc anno Concilium celebrare, in Numidiam vocaverunt. illuc amplius triginta Episcopi convenisse dicuntur, quos inter Petilianus quoque Cirtensis fuit, quem jam sui deseruerant. canonem autem ab illis conditum de iis, qui Catholici facti essent, quo pacto recipiendi forent, si ad sectam redirent, auctor est Augustinus contra Gaudentium Thamugadensem scribens Donatistarum pertinacissimum. *Porro*, inquit (9), *in ipso Concilio statuistis, ut qui nobis inviti communicaverunt, Episcoporum vel Presbyterorum, tantum si sacrificium non obtulerint, aut in populo non tractaverint, ad veniam pertineant, et in suis honoribus recipiantur.* quo decreto, ut ajebat Augustinus, totas calumniarum suarum vires amputarunt: quippe qui antea docuerant, quicumque ad Catholicos accessissent, eorum communione fieri Traditores.

III. Sed dum hinc factio Donatistarum contrahebatur, inde haeresis Pelagiana sese explicabat: ut Ecclesiae Catholicae, veteribus adversariis nondum debellatis, cum alio jam hoste, eoque teterrimo et callidissimo pugnandum esset. Siciliae id temporis ea pestis potissimum incubuerat, quae Syracusis, ubi et Caelestii liber legebatur, permultos infecerat. inde vir Catholicus nomine Hilarius, quum doctrinae novitate offensus capita quaedam adnotasset, de his Augustinum sibi consulendum duxit. itaque quum forte civis Hipponensis in patriam Syracusis solveret, epistolam ei ad Augustinum dedit (10). hic vero nihil cunctatus, longam ad Hilarium epistolam, quam et librum quandoque appellat, diligentissime perscripsit, quidquid de singulis capitibus sentiendum esset, edisserens (11): quo ille scripto non modo Hilarium confirmavit, sed multis etiam, qui ejus exemplum nacti erant, quasi arma ad pugnandum suffecit. memorat eam epistolam Hieronymus (12), eandemque Orosius (13) in Palaestinam pertulit, atque illic in conventu Episcoporum legit. subinde vero, quum Diospoli synodus haberetur, in ea quoque prolatam esse, Augustinus ipse testatur (14). quamquam haec in eo praelusio potius quam pugna erant. nondum enim eam Catholicae doctrinae partem dedita opera tractandam susceperat, quam deinde excoluit unice ornavitque. attigerat ille quidem quaestiones aliquot de Gratia, quum Presbyter etiamtum esset, jussus Carthagine Paulli epistolam ad Romanos paucis exponere (15). sed quia nulla tum controversia de auxiliis divinis agitabatur, non omnia viderat, de quibus postea acutissime disputavit: quaedam etiam minus

(9) *lib. I. c. 37. n. 48.*
(10) *inter epist. Aug. n. 156.*
(11) *epist. 157.*
(12) *in Pelag. lib. III. c. 6.*
(13) *Apologet. p. 801.*
(14) *de gest. Pelag. c. 11. n. 23.*
(15) *Expos. quar. prop. ex ep. Paull.*

recte scripserat; incauteque affirmarat (16), *Quod credimus, nostrum esse: quod autem bonum operamur, illius esse, qui credentibus dat Spiritum sanctum:* alia item hujusmodi in Semipelagianorum sententiam: quae senex, quum omnia scripta sua retractaret, accurate explicavit emendavitque (17).

(16) *ibid. n.* 60. (17) *lib. I. Retract. c.* 23.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXV.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processere ipsi Augusti, Imp. Fl. Honorius x. Imp. Fl. Theodosius junior VI. Iuliano autem Proconsuli Africae successisse Symmachum, et Symmacho ante idus Octobres Largum, Codex Theodosianus nos docet. sub utroque summum in Africa otium fuisse apparet: licuitque Augustino multam in scribendo operam ponere. pertinent sane ad hunc annum crebrae ejus ad Evodium epistolae, item psalmorum multorum explanationes, aliorumque operum, quae jamdiu incohaverat, absolutio: liber etiam contra Priscillianistas et Origenistas, Orosii Presbyteri Hispani rogatu scriptus, eidemque dicatus. namque ille hoc anno in Africam ad Augustinum venerat, videndi hominis et consulendi cupidissimus: a quo deinde in Palaestinam profecturus litteras ad Hieronymum accepit, ac simul mandata, ut in Hispaniam redux ex Oriente, Hipponem diverteret, et quae a Hieronymo accepisset, scripta et responsa perferret (1). nec vero Optatus eo nomine secundus Milevi otio indulgebat, sed quaestionem veterem, quae Augustini etiam ingenium diu exercuit, dirimi tandem desiderabat, quae de animarum origine agitabatur. quapropter litteras de ea re luculentissimas ad Episcopos provinciae Caesareensis itemque alias ad Renatum Monachum Caesaream Mauretaniae misit: qui deinde ab Augustino epistolam illam elicuere, quam ad Optatum ipsum Episcopum aliquot post annis dedit, nobis quidem ignotam perdiu, sed nostra demum aetate repertam, de natura et origine animae. nec tamen Augustinus controversiam solvit, de qua et Hieronymum ante consuluerat, frustra responsum praestolatus. nam haec tantum Optato scribens (2) edixit. *Alia*, inquit, *quaestio est, ubi quaeritur, utrum omnium animarum et corporum auctor effectorque Deus sit, quod veritas habet, an aliquid naturarum exoriatur, quod ipse non faciat, quae opinio prorsus erroris est: alia vero, ubi quaeritur, utrum Deus animas humanas ex propagine, an sine propagine faciat, quas tamen ab illo fieri dubitare fas non est. in qua quaestione sobrium te esse ac vigilantem volo; nec sic animarum propaginem destruas, ut haeresim Pelagianam incurras.*

II. Iam inter superiora illa id quoque cogitasse Augustinus videtur, ut quoniam dioecesis ejus amplissima erat, Fussalae oppido satis frequenti

(1) Aug. *epist.* 166. *n.* 2. (2) *sub init. tomi ult. opp. Aug.*

Episcopum praeponendum curaret. habebat autem e Presbyteris suis, qui Punice sciret, et illic constitutus novam Ecclesiam rite sapienterque posset administrare (3). itaque litteras ad Silvanum Primatem Numidiae misit, quibus ab eo petebat, ut si ei videretur, Fussalam Episcopi consecrandi caussa veniret. morem facile gessit Silvanus, designatoque die Fussalam advenit, ubi eum Augustinus cum Presbyteris opperiebatur. aderat vero inter eos, cui honorem Augustinus destinaverat. sed quum eum produceret, ac Primati commendaret, ille repugnare vehementer atque obsistere coepit; neque ullo modo adduci potuit, ut tantum sibi onus imponi pateretur. grave id Augustino ac permolestum erat, quum tantum itineris Silvanus senex ejus caussa suscepisset, ad Ecclesiam cum suam re infecta redire. porro in ancipiti illa cura quid demum consilii ceperit, ab eodem audire praestat, qui rem postea Caelestino Pontifici maximo scribens, non sine magno animi sui dolore narravit: *Ego,* inquit (4), *qui utique, sicut exitus docuit, differre potius debui, quam periculosum praecipitare negotium, dum nolo gravissimum et sanctissimum senem ad nos usque fatigatum sine effectu, propter quem venerat tam longe, ad propria remeare, obtuli non petentibus quemdam adolescentem Antonium, qui mecum tunc erat, in monasterio quidem a nobis a parvula aetate nutritum, sed praeter lectionis officium nullis Clericatus gradibus et laboribus notum. at illi miseri, quod futurum fuerat ignorantes, offerenti eum mihi obedientissime crediderunt. quid plura? factum est: esse illis Episcopus coepit.* ceterum Antonii Episcopi initia probabilia fuisse videntur, ut neque Fussalenses in accipiendo facilitatis, neque Augustinum in dando festinationis poeniteret. quare hic pacato animo Hipponem reversus, iterum ad lucubrationes se retulit suas, et praeclarum opus adversus Pelagium denique edidit (5) *de natura et gratia,* ad Timasium et Iacobum religiosos et honestos adolescentes, qui Pelagii librum ad eum miserant, in quo ille *hominis naturam,* ut idem ait, *contra Dei gratiam, qua justificatur impius, et qua Christiani sumus,* quanta potuerat argumentatione defenderat. primum autem ex eo labore fructum cepit multo jucundissimum, quod ambo illi Pelagium detestati, Catholicam boni magistri doctrinam didicerunt, amarunt, promulgarunt (6). quo tempore solatium etiam illi haud leve accessisse reor ex Mathematici cujusdam, id est plani, poenitentia, quam anno vertente populo exposuisse videtur, postquam illi Psalmum sexagesimum primum explicasset. subinde enim hominem e suggestu notans et omnibus coram intento digito demonstrans, *Poenitens,* inquit, *est, non quaerit nisi solam misericordiam. commendandus est ergo et oculis et cordibus vestris.* tum quaedam de cura ejus et custodia praefatus, haec adjecit. *Perierat ergo iste, nunc quaesitus, inventus, adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in*

(3) *idem epist. 209. n. 3.*
(4) *ibid. n. eod.*
(5) *Retr. lib. II. c. 42.*
(6) *inter epist. Aug. n. 168.*

ignem missis, ipse in refrigerium transeat. sciatis eum tamen, fratres; olim pulsare ad Ecclesiam ante Pascha: ante Pascha enim caepit petere de Ecclesia Christi medicinam. sed quia talis est ars, in qua exercitatus erat, quae suspecta esset de mendacio atque fallacia, dilatus est, ne tentaret, et aliquando tamen admissus est, ne periculosius tentaretur.

III. At vero Donatistae synodo illa Numidica et decreti sui indulgentia in desertores nihil plane profecerunt; hoc tantum, quod serius defecissent, dolentibus iis omnibus, qui denique ad Catholicos accesserant. tum apud Principem, qui conventus ejusmodi sustulerat, graviter offenderunt, nec aliud nacti sunt, quam ut nova legis sanctione coërcerentur. nam quia forte jactaverant, ut nuper de Actis Marcellini, sic de iis legibus, quae ab Heracliano Comite promulgatae fuerant, post damnationem ejus, illis teneri neminem (7); rursum Honorius, quae tum jusserat, sic edixit (8): *Sciant cuncti, qui ad ritus suos haeresis superstitionibus obrepserant, sacrosanctae legis inimici, plectendos se poena et proscriptionis et sanguinis, si ultra convenire per publicum exercendi sceleris sui temeritate tentaverint: ne qua vera divinaque reverentia contagione temeretur.* prodiit haec lex VIII. kal. Septembr. quinto autem post die alia lata est adversus Paganos (9): ac primum Sacerdotales illi ludorum publicorum curatores Carthagine discedere, atque ad civitates suas redire jussi: eodemque modo praescriptum, ut qui ex iis in provinciae cujusque metropoli essent, domum reverterentur. sancitum praeterea, ut quidquid de eorum bonis Ecclesiae adtributum fuisset, id sibi Christiana religio merito vindicaret: cetera, quae Collegiorum fuerant, et in superstitiosos ritus absumebantur, ad fiscum pertinerent: simulacra Deorum de lavacris publicis tollerentur: Chiliarchae et Centenarii pomparum designatores nulli essent. ita Princeps religiosissimus, compressis haereticis, et superstitionis veteris reliquiis deletis, Ecclesiae sanctitati et populorum felicitati consulebat.

(7) v. *an.* 410. *n.* II.
(8) *Cod. Theod. lib.* XVI. *Tit.* V. *L.* 56.
(9) *ibid. Tit.* X. *L.* 20.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXVI.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi sunt Imp. Fl. Theodosius junior VII. Iunius Quartus Palladius, is, qui sexennio ante Proconsul Africam administraverat, et hoc anno Praefectus Praetorio Italiae factus est. his Consulibus magna, quae Africae impenderet, clades ostensa, ac divina ope illico depulsa, nullo relicto vestigio evanuit (1). nam Vallia, quem Gothi ad bellum in Romanos gerendum sibi Regem, Sigerico interempto, adsciverant, ingenti classe comparata, multa Gothorum millia cum omni

(1) Oros. *lib.* VII. *c.* 43. et Magnus *Hist. Goth. lib.* XV. *c.* 16.

apparatu bellico in Africam trajicere jusserat: sed quum ad fretum Gaditanum prope pervenissent, coorta subito tempestate, in ipso Africae conspectu tanta illa classis fluctibus obruta interiit. quae ubi Vallia cognovit, consilium mutavit, et pacem ab Honorio, Placidia sorore reddita, petiit, rem Romanam exinde acturus, quoties barbari, qui Hispaniam invaserant, arma intulissent.

II. Nondum autem firmata pax erat, quum jam Orosius, qui dudum in Palaestina contra Pelagium strenue se gesserat, in Africam rediens ad Augustinum properabat, et Hieronymi litteras itemque epistolam Herotis et Lazari Episcoporum, qui Pelagium in synodo Diospolitana accusaverant, referebat (2). sed quum Hierosolymis, ubi anno superiore corpus sanctissimi Protomartyris Stephani inventum fuerat, Reliquias ejusdem accepisset, quas in Hispaniam perferret, eo quidem propter belli motus divertere non potuit, sed tamen ad Balearem insulam minorem accessit, easque in oppido Magone apud Severum Episcopum deposuit, magno totius oppidi bono, et Iudeorum in primis, qui numero quingenti et quadraginta Christiani facti (3) sunt. inde vero Hipponem appulit, et totam itineris sui rationem, ac simul haeresis Pelagianae in Oriente vices Augustino exposuit.

III. Haec inter Aurelius Concilium Carthaginem vocaverat: ad quod demum Iunio Iuliove mense e tota provincia Proconsulari convenere Episcopi numero sexaginta octo, quorum nomina exstant, item alii, de quibus nihil accepimus: nam Acta perierunt. diversis autem e caussis congregatos esse, indicat exordium epistolae, quam Patres ad Innocentium Pontificem maximum misere (4). sed ea potissima fuisse videtur, ut Pelagii et Caelestii novam ac pestilentem doctrinam, quam late serpere audierant, judicio publico atque insigni nota condemnarent. nam et ipsi litteras Herotis et Lazari Episcoporum viderant, quas ex Oriente Orosius attulerat: tum plerique meminerant, quid quinquennio ante in synodo Carthaginiensi statuissent, quum primum Caelestii nomen ad eos delatum esset. idcirco Acta ipsius synodi post eas litteras recitata sunt, ut constaret, jamtum vulnus illud ab Ecclesia excisum fuisse. sed rursum tamen controversiae propositae, et quid Ecclesia Catholica contra errores illos sentiret traderetque, ostensum est. deinde communi deliberatione censuerunt, ejusmodi persuasionis auctores, nisi damnando ipsi praeirent, omnino a sacris arcendos esse: quo ii saltem, qui decepti ab illis essent, ad sanitatem revocarentur, et reliquis consuleretur, ne incauti in errores eosdem rapi possent. postremo omnium sententia fuit, ut de tota Concilii ratione ad Innocentium referrent, et ab eo peterent, ut quae ipsi decrevissent, ejus auctoritate confirmarentur. quapropter epistola omnium nomine perscripta est, in qua de iis praefati, quae eatenus in Ecclesia Carthaginiensi contra haeresim illam peracta essent, quorum etiam Acta

(2) Aug. *epist.* 175. *n.* 1. v. Noris. *H. P. lib. I. c.* 8.
(3) Sever. *in epist. n.* 20. *post Op. Aug.*
(4) *inter epist. Aug. n.* 175.

mittebant, haec addidere (5): *Hoc itaque gestum, Domine frater, sanctae caritati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam Apostolicae Sedis adhibeatur auctoritas pro tuenda salute multorum, et quorundam perversitate etiam corrigenda. id enim agunt isti damnabilibus disputationibus suis, ut non defendendo, sed potius in superbiam sacrilegam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiae Dei, qua Christiani sumus, qua et ipsum nostrae voluntatis arbitrium vere fit liberum, dum a carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur.* post quae reliqua persequuntur, quibus disseminatos eo tempore errores refellunt: tum sperare se dicunt, ubi Innocentius de iis etiam cognoverit, quae in synodo Diospolitana apud Palaestinos in Pelagii caussa transacta fuerant, eam sententiam pronunciaturum, unde Ecclesia tota laetaretur.

IIII. Dum haec porro Carthagine absolvebantur, Silvanus Primas Numidiae Episcopos provinciae suae Milevum eadem de caussa convocabat. convenisse autem dicuntur (6) VI. kalendas Septembres numero amplius sexaginta, quos inter eminebant Augustinus, Alypius, Possidius. nec dubium est his maxime auctoribus multa tum sancita esse, quibus haeresis Pelagiana cohiberetur. ceterum quae Isidori Συλλογη huic Concilio adsignat, ad Concilia posteriora pertinere putantur. illud extra controversiam est, Episcopos omnes, Patrum Carthaginiensium exemplum sequutos, litteras ad Innocentium Pontificem maximum mittendas censuisse, quibus tantum mali ab Ecclesia deprecati, rogarent, ne illud ad multorum perniciem manare latius pateretur. scire se quidem, non deesse in Oriente, qui Pelagii doctrinae adversarentur, ac multorum instar pugnare Hieronymum, qui Hierosolymis erat: atqui tamen, ajebant (7), *Arbitramur adjuvante misericordia Domini Dei nostri, qui te et regere consulentem, et orantem exaudire dignatur, auctoritati sanctitatis tuae de sanctarum scripturarum auctoritate depromptae facilius eos, qui tam perversa et perniciosa sentiunt, esse cessuros, ut de correctione potius eorum congratulemur, quam contristemur interitu.*

V. His Conciliorum epistolis tertia deinde accessit, quae a quinque Episcopis, Aurelio, Alypio, Augustino, Evodio, Possidio ad eundem Innocentium missa est: eaque collato studio accuratiusque scripta (8), in qua Pelagii fraus et anceps verborum sensus detegebatur. nam fama jam obtinebat, eum in synodo Diospolitana absolutum fuisse. librum simul Pelagii, quem a Timasio et Iacobo acceperant, transmittebant, postulabantque, ut hunc ille, si suum esse inficiaretur, diserte damnaret, et illam confiteretur apertissime Gratiam, *quam doctrina Christiana demonstrat, et praedicat esse propriam Christianorum, quae non est natura, sed qua salvatur natura: quae naturam non auribus sonante*

(5) apud Aug. *ibid. n.* 2.
(6) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1217. v. Noris. *Hist. Pel. lib. I. c.* 10.
(7) *inter epist. Aug.* 176. *n.* 5.
(8) *ibid. epist.* 177.

doctrina vel aliquo adjumento visibili fovet, sicut plantator quodammodo et irrigator extrinsecus, sed subministratione spiritus et occulta misericordia, sicut facit ille, qui dat incrementum, Deus. quare Pelagium Romam ab Innocentio acciendum esse arbitrabantur, ut quid sentiret, interrogatus exponeret; aut certe hoc ipsum cum eo per litteras agendum. se etiam audisse significabant, esse in urbe Roma, ubi ille diu vixisset, nonnullos, qui diversis de caussis ei faverent: quod quidam opiniones ejus animo imbibissent, alii eum talia sentire non crederent, praesertim quum se ille apud synodum Diospolitanam purgasse diceretur: in qua tamen doctrina, cujus auctor habebatur, damnata fuerat. eodem tempore Augustinus, ut quantum posset, aditum haeresi praecluderet, quum Palladius quidam Hippone solveret, litteras ad Hilarium dedit, Episcopum, ut opinio est, Narbonensium, quibus novam illi haeresim explicabat refutabatque (9), et quid in Africa adversus eam gestum esset, paucis exponebat. longiorem vero epistolam (10) Ioanni Episcopo Hierosolymorum scripsit, misitque per Lucam quemdam, servum Dei, qui eo tum forte proficiscebatur: jamtum enim multi pietatis religionisque caussa in Palaestinam navigare solebant. qua quidem epistola maxime opus erat, quod ille Pelagium amabat fovebatque, nec se ab eo falli intelligebat. multa in ea Augustinus de Pelagii libro, quem ipse confutarat, disseruit, ut si ejus auctor Pelagius esset, Pelagium haereticum esse demonstraret: tum ab eo petiit, ut sibi rescriberet, quid ille crederet, quid teneret, quid confiteretur ac praedicaret: deinde ut Gesta transmitteret synodi Diospolitanae: *Quod,* inquit (11), *ex multorum Episcoporum desiderio peto, quos mecum de hac re fama incerta perturbat.* nam Pelagius Gestorum loco in Africam miserat quamdam a se conscriptam velut defensionem suam, qua se dicebat objectis respondisse Gallorum, Herotis scilicet et Lazari, qui tum sedibus suis extorres in Oriente versabantur, et Pelagium haereseos accusaverant.

VI. Ceterum Episcopi Africani aliam quoque curam ad Augustinum detulerant, ut nempe divinos libros diligentius scrutando opus aliquod insigne contra serpentes errores conficeret, quod Episcopis omnibus usui esse posset. iis autem ut morem gereret, Hipponem reversus otium sibi a populo petendum duxit (12), ut eum singulis hebdomadis per quinque dies nemo interpellaret. et pactum id quidem publice promissumque est; sed non multo post Hipponenses, quid spopondissent, oblitos esse, ipse testatur, et quod maxime meditanti ac scribenti necessarium erat, otium vix unquam concessum queritur. *Placuit mihi et vobis,* memorabat ille aliquot post annis, *propter curam Scripturarum, quam mihi fratres et patres mei Coëpiscopi duobus Conciliis Numidiae et Carthaginis imponere dignati sunt, ut per quinque dies nemo mihi molestus esset. Gesta confecta sunt, placuit, acclamastis. recitatur placitum vestrum et ac-*

(9) *epist.* 178.
(10) *epist.* 179.
(11) *ibid. n.* 7.
(12) *epist.* 213. *n.* 5.

clamationes vestrae. parvo tempore servatum est circa me, et postea violenter irruptum est, et non permittor ad quod volo vacare. ante meridiem et post meridiem occupationibus hominum implicor. quare mirum plane est, ab homine uno, tot negotiis tam saepe distento, tot ac tanta volumina scribi potuisse: cui etsi ingenium ad celeritatem maximum praesto erat, ne domi quidem, post annua Concilia et longa itinera, satis quietis concedebatur, ut unum diem ex animi sui sententia transigeret.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXVII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt Imp. Fl. Honorius XI. Fl. Constantius iterum, qui kalendis ipsis Ianuariis cum ornamentis Consularibus sororem Augusti Placidiam in matrimonium accepit. provinciae autem Africae quos rectores habuerint, compertum non est. vulgavit hoc anno Orosius Historiarum adversus Paganos libros septem, quos auctore Augustino incohaverat, *vigil ingenio,* ut ab eodem dicitur (1), *promptus eloquio, flagrans studio.* nec multo post Magonem reversus, ut depositas illic sancti Protomartyris reliquias reciperet, in Hispaniam trajecisse creditur: quamquam de eo ab hoc anno historia silet.

II. At vero Romae Innocentius Iulium Episcopum acceperat ab Africanis Patribus legatum, ut eorum epistolas afferret: ac mire lactatus fuerat, tantum in Ecclesia illa studium exstitisse Catholicae religionis, ut ad eam defendendam omnes Episcopi conspirarent, et contra haeresim, Ecclesiae Romanae judicium et sententiam requirerent. itaque nihil cunctatus, ad singulas eorum epistolas VI. kal. Februarias singula responsa dedit, quae Episcopus idem Iulius in Africam pertulit. ac primae quidem ejus litterae ad Aurelium et totam synodum Carthaginiensem scriptae erant, quibus non solum curam eorum et sollicitudinem commendabat (2), sed consilium etiam et doctrinam magni se facere ostendebat, confirmabatque novis rationibus, quae illi sentire se ac profiteri significaverant. demum contra haeresis magistros pronuncians, *Separetur,* ajebat (3), *a sano corpore vulnus insanum, remotoque morbi saevientis afflatu, cautius quae sunt sincera perdurent, et grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur.* poenitentibus tamen, et mali remedium implorantibus, perfugium obstrui nolebat. *Quod si fecerint,* inquit, *erit in potestate Pontificum istis aliquatenus subvenire, et talibus aliquam curam praestare vulneribus, quam solet lapsis, quum resipuerint, Ecclesia non negare: ut a suis revocati praecipitiis, intra ovile Domini redigantur.*

III. Pari modo cum Episcopis Milevitani Concilii de singulari eorum studio gratulatus, *Diligenter,* inquit (4), *et congrue Apostolici consulitis*

(1) Aug. *epist.* 166. *n.* 2.
(2) *inter* Aug. *epist.* 181. *n.* 2.
(3) *ibid. n.* 9.
(4) *ibid. epist.* 182. *n.* 2.

honoris arcana, honoris inquam illius, quem praeter illa, quae sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxiis rebus quae sit tenenda sententia, antiquae scilicet regulae formam sequuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. laudat subinde et amplectitur eorum doctrinam, ac relationem ipsam optimis testimoniis refertam fatetur. tum illa addit de parvulis, quae haeretici sequiores pravum in sensum detorserunt. *Illud vero*, inquit (5), *quod eos vestra fraternitas adserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim* (6) *manducaverint carnem filii hominis et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.* nam haec ita dicta ab Innocentio contendunt, quasi existimaverit (7), parvulos, qui baptismo abluti ante decederent, quam Eucharistiam, quae tum in baptismo parvulis quoque dabatur, rite sumpsissent, in coelum non recipi: quod Concilium Tridentinum (8) aperte rejecit, et Eucharistiam parvulis ad salutem minime necessariam pronunciavit. nec vident vani illi tantae synodi contemptores, eo loco Innocentium de spiritalis vitae initio loqui, quod a baptismo ducitur, sine quo nemo divinae particeps mensae fieri possit, atque adeo ea vita carere debeat, quae Christianorum tota propria est. sic enim ille pergit: *Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, quum praedicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum. si ergo nihil volunt officere non renasci, fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse.*

IIII. Poena denique nominatim sceleris auctores afficiens, *Quare*, inquit (9), *Pelagium Caelestiumque, id est inventores vocum novarum, quae, sicut dixit Apostolus* (10), *aedificationis nihil, sed magis vanissimas consueverunt parere quaestiones, Ecclesiastica communione privari, Apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant de Diaboli laqueis, a quo captivi tenentur.* et rursus: *Haec, fratres carissimi, in supradictos maneat fixa sententia: absint atriis Domini, careant custodia pastorali, ne duarum ovium dira contagia serpant forsitan per vulgus incautum, rapacique lupus corde laetetur, intra ovile Dominicum tantas ovium fusas catervas, dum a custodibus dissimulanter habetur vulnus duarum.* ceterum si forte resipiscant, et ea damnent, quorum caussa damnati ipsi sint, patere iis Ecclesiam vult, Christi Domini exemplo, qui omnes reverti et vivere velit.

V. Restabat, ut et quinque Episcopis responderetur, qui et Pelagii librum miserant, et ipsum Romam arcessendum aut per litteras ad confessionem doctrinae suae cogendum censuerant. porro his quoque Innocentius amplissime satisfecit: et sperare se rescripsit, qui erroris fautores fuissent, sive Romae in tanta populi multitudine, sive alibi laterent,

(5) *ibid. n.* 5.
(6) Ioan. *c.* 6. *n.* 54.
(7) Zorn. *Hist. Euch. infant. p.* 120.
(8) *Sess. v. c.* 4.
(9) *epist. ead. n.* 6.
(10) 2. *ad Timoth. c.* 2. *n.* 23.

audita damnatione Pelagii, ad bonam frugem redituros: se quidem non credere, purgatum Pelagium, quamvis et Gesta synodi Diospolitanae accepisset; quippe in illis se reperisse, quae ille objecta partim vitando suppressisset, partim verbis obscurasset, falsis magis argumentis, quam vera ratione usus; nec tamen eum sibi advocandum videri: *Qui, inquit* (11), *si confidit novitque, non se nostra dignum esse damnatione, quod dicat, jam totum hoc se refutasse quod dixerat, non a nobis arcessiri, sed ipse debet potius festinare, ut possit absolvi:* nec vero defuturos in Oriente, qui curam ejus susciperent, si medicinae materiam ille praebere vellet: ac posse eum damnare quae senserit, datisque litteris erroris veniam postulare. se autem librum, qui ejus esse diceretur, evolvisse, in eoque multa contra Dei gratiam conscripta, multa blasphema a se lecta, nihil quod placeret, et nihil paene, quod non penitus displiceret (12): quae ille omnia diserte improbare ac rejicere deberet, ut qui sermonibus ejus praeceptisque decepti essent, eodem auctore intelligerent, quam longe a recta doctrina abiissent. atque haec tamquam cycnea fuit Innocentii vox et oratio, qua et silere haereticos jussit, et Catholicos omnes in majorum doctrina confirmavit. nam IIII. idus Martias decessisse creditur, pontificatu maximo annos prope quindecim sanctissime functus. in ejus autem locum paucis post diebus factus est Zosimus, id est ante ipsum Pascha, quod, teste Paschasino Episcopo Lilybaetano (13), per Occidentem celebratum est VIII. kal. Apriles sub Zosimo, contra atque in Oriente, ubi actum esse constat X. kal. Majas, quemadmodum anni vices exigebant.

VI. At vero haec inter Augustinus, synodi Diospolitanae exemplum naetus, quum denique cognovisset, Catholicos Episcopos quatuordecim in ea judicasse, et Pelagii erroribus rejectis, sententiam in eum ideo non dixisse, quod ille interpretando, quae objecta fuerant, Catholicum se professus esset, ipsi vero Graeci homines et ea verba per interpretem audientes, discutere non curassent, quid in libro scripsisset, iis contenti, quae interrogatus sentire se diceret: operae pretium fore duxit, si rem totam, ut gesta erat, libro comprehenderet, et singula errorum capita, de quibus accusatus fuerat, cum responsis ejus singulis exponeret vulgaretque. quem ille librum ad Aurelium Episcopum Carthaginiensem misit, ut ipse in lucem emitteret, utilioremque legentibus redderet, quippe qui ejus nomine commendatior, ejusdemque diligentia plurimis notior futurus esset (14). post hunc longam cum Alypio epistolam confecit ad Paullinum Nolanum, ut eum accurate doceret, quid gemina Concilia in Africa contra haeresim Pelagianam decrevissent, quid Innocentius Pontifex maximus sententiam rogatus statuisset: quibus etiam auctoritatibus atque rationibus perversa illa doctrina refutaretur: quam nempe Nolae quoque disseminatam audierat (15). subinde vero, molientibus novi

(11) *inter epist. Aug.* 183. *n.* 4.
(12) *ibid. n.* 5.
(13) *apud Leon.* Quesn. *T. I. p.* 413. v. Noris. *Hist. Pel. lib. I. c.* 11.
(14) *de gest. Pelag. n.* 66.
(15) *epist.* 186. *n,* 29.

aliquid Donatistis, et patronos sibi quaerentibus, ne legibus parere cogerentur, liber illi scribendus fuit de correctione Donatistarum, quem ad Bonifacium misit tunc Tribunum, postea Comitem in Africa celeberrimum, de quo saepe dicendum erit: nam hic Donatistas minus norat, et Arianis similes putabat; cui propterea totam schismatis caussam edissernit (16), et quam juste in eos leges latae essent ostendit: nec quae illi contra ausi fuissent, et quamdiu repugnassent, quid ab iis Catholici tolerassent, quanta constantia, quanto studio ad concordiam adducere conati essent, praetermisit.

VII. Ceterum quietae in Africa Ecclesiae res erant; quum nuncii Roma venerunt, Caelestium Epheso pulsum, et mox Constantinopoli ejectum, Romam petiisse: eodemque litteras a Pelagio missas esse: Zosimum autem, prope jam deceptum, non multum abesse, quin utrumque Catholicum crederet: quod nempe ambo purgare se nisi essent, et probabilia scripta atque ab errore aliena obtulisse viderentur. verum Zosimus nihil temere egerat, sed conventu Episcoporum, qui Romae aderant, item primorum e Clero suo in aedem Clementis indicto, caussam Caelestii agitari, ipsumque intromitti jusserat, ut ab eo singula, de quibus insimulabatur, ex ordine quaererentur. qui quum ingenio polleret, et in fallendo exercitatus esset, facile apud multos gratiam inierat, praesertim quum Sedis Apostolicae judicium se revereri diceret, nec ab eo unquam se discessurum polliceretur. nec tamen Zosimus hominem poena absolutum dimiserat: sed animo ejus saepe explorato, in eo, qui si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntatem emendationis, teste Augustino (17), non falsitatem dogmatis adprobarat. at tandem ipse Zosimus de Caelestio ad Afros scripsit; et *interposito*, inquit idem, *duorum mensium tempore donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinalis sententiae lenitate concessus est* (18). in iis litteris Zosimus Aurelium et collegas ejus de judicio, quod in Caelestium dederat, edocebat, cujus Acta ad eos simul perferri voluerat, ut quid voces ejus continerent, legendo cognoscerent. *Vnum sane*, addebat (19), *movet nos, ut quam in praesenti ibi Caelestium habueritis, nihil liquido judicatum sit. ad litteras Herotis et Lazari priori relatione destinata, equidem hoc fervore fidei praefestinatum esse, promptissimum est.* nam de duobus illis Episcopis gravia multa ad Zosimum perlata fuerant; quae vera esse ratus, sacerdotali eos loco et omni communione submoverat: hinc ab eis Caelestium Pelagiumque alienis criminibus oneratos facile existimaverat. scripta haec putantur ineunte Septembri mense: eodemque vertente alia a Zosimo epistola Aurelio et collegis missa pro Pelagio. nam hic post Innocentii sententiam perculsus, litteras ad eum, quibus se purgaret, callidissime scripserat, quae, eo demortuo, redditae Zosimo fuerant, et simul cum iis Praylii Episcopi Hierosolymitani epistola

(16) *epist.* 185.

(17) *contra duas epist. Pel. c.* 3. *lib. II.*

(18) *lib. II. de pecc. Orig. c.* 7.

(19) apud Baron. *an.* 417. *p.* 401. 1. *edit.*

Pelagium enixe commendantis. itaque Zosimus significabat, praeclara omnino de Pelagio se accepisse, quae aliis quoque probata essent, quum litterae ejus legerentur. Quod, inquit (20), *sanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit? quae admiratio singulorum? vix fletu quidam se et lacrimis temperabant: tales etiam absolutae fidei infamari potuisse?* deinde infamiae illius auctores conciliatoresque nominatim Herotem et Lazarum designabat, quorum crimina fusius persequutus, illud persuadere conabatur, Africanos Episcopos eorum litteris deceptos, acriores in Caelestium ac Pelagium fuisse, quam aequitas ferret. postrema ejus verba erant, *Si paterfamilias reditu filii gratulabatur, qui mortuus fuerat, et revixit, perierat, et inventus est: et jubet in usum ejus stolam mundam, hoc est insigne candidae mentis afferri, et vitulum saginatum; quantum haec uberior exultatio est fidei, non mortuos esse, nec periisse, de quibus falsa vulgata sunt? misimus igitur ad dilectionem vestram exemplaria scripturarum, quas Pelagius misit: quarum lectione non ambigimus, parem vobis in Domino de absoluta ejus fide esse laetitiam. Dat. XI. kal. Octobr.*

VIII. Enimvero his Zosimi litteris Aurelius et reliqui Episcopi vehementer commoti sunt: nam Caelestium Pelagiumque maxime norant, et scripta eorum, acuti homines et natura usuque callidi, plurimum intelligebant. minus tamen mirari de Zosimo coepere, quum, lecta Pelagii epistola, prope alius ille videretur, ut correctum quidam emendatumque existimarent (21). et libellos quoque Roma acceperant a fautoribus ejus, qui veteres criminationes elevabant (22). quare diligentius verba quaeque examinanda putaverunt, Conciliumque ejus rei ergo vocandum, ut de haeresis auctoribus, nam haec tota controversia erat, quid sentirent, ad Zosimum de Concilii sententia rescribi posset. quia vero synodus ea celeritate cogi undique non poterat, ut ante anni exitum absolvi posset, Aurelius officii sui putavit esse, ut convocatis Episcopis, qui Carthagine aut in vicinia essent, cum his deliberaret, quid Zosimo respondendum esset. periere autem Concilii illius litterae, sed tamen Patribus placuisse apparet, ut a Zosimo peteretur, ut quoniam in Africa haereticorum illorum calliditas evidentius innotuerat, ibidemque primum de illis judicium peractum fuerat, litteras ex Africa venturas expectaret, quae offusam veritati caliginem discutere, et fraudem eorum revelare facile possent. quae ipsi egissent, ab Innocentio decessore ejus esse probata meminisset, cujus judicium tota Ecclesia revereretur: Concilium interea, quod indictum jam erat, summa fide acturum pro certo haberet. eodem tempore quum Basiliscus Hypodiaconus, qui Zosimi litteras attulerat, Paullinum Diaconum accusatorem Caelestii convenisset, et mandata a Zosimo se habere significasset, ut eum de vadimonio obeundo admoneret, quum Caelestius, qui reus ab eo factus ad Pontificem maximum provo-

(20) *ibid. p.* 402.
(21) Aug. *de pecc. Orig. c.* 18. *n.* 20.
(22) *contra duas epist. Pel. lib. II. c.* 3.

caverat, Romae esset: ille, quia se jamdiu vadimonio liberatum putabat, quod Caelestius post appellationem ex Africa profugisset, nec Romam sed Ephesum petiisset; libello ad Zosimum misso se excusavit (23), seque adfuturum promisit, si adversum se, et non pro se sententia ferretur. missus autem libellus dicitur VI. idus Novembres, et Romam perlatus a Marcellino Hypodiacono Ecclesiae Carthaginiensis.

VIIII. Paullulum tamen hic supersedisse videtur, ut novas simul litteras Episcoporum ad Zosimum perferret, quas Carthagine jam frequentes cum Aurelio parabant: in quibus, ut ex Zosimi responso discimus, longa oratione usi ipsum perstringebant, quasi incaute singulis Caelestii verbis fidem habuisset. hae certe litterae ab eodem Marcellino redditae sunt, quamquam serius, quod fortasse hyeme navigandum illi fuerit: nam Zosimus XII. kal. Apriles anni insequentis rescripsit. curae etiam Patribus, qui aderant, fuisse veri simile est, ut Episcopum ad Honorium Aug. mitterent, qui eum de statu rerum certiorem faceret, et praesidium ejus contra haeresim et auctores illius imploraret: is autem fuisse creditur Vindemialis Episcopus, qui anno insequenti (24) litteras Valerii Comitis ad Augustinum Ravenna attulit. sed caussa ipsa Pelagii ac Caelestii in aliud tempus dilata est, quamdiu ex omnibus provinciis Episcopi advenirent: neque enim omnibus integrum erat e provincia discedere, quod Concilium cum collegis celebrarent. nam ad hunc annum spectat synodus Tusdritana, cujus canones binos recensuit Ferrandus (25), alterum, Vt exceptis senibus, qui loco moveri non possent, et infirmis Episcopis, qui admonitus ad Concilium non occurrisset, communione privaretur: alterum, Vt Episcopus, qui non suscepta legatione Concilio universali interesse auderet, ab iis, qui legationem suscepissent, rejiceretur. aliae item synodi in proximos menses indictae fuerant (26), quarum caussa Concilium magnum Carthaginiense ante mensem Majum incohari omnino non potuit. Augustinum tamen Octobri mense vertentis anni Carthagine adfuisse, tres ejusdem sermones indicant, id est XXVI. quem habuit in Basilica Theodosiana, et CLV. ac CLVI. quorum alterum in Basilica sanctorum Martyrum Scillitanorum, alterum in Basilica Gratiani pronunciavit, Pelagianis egregie exagitatis, contra quos bellum erat.

(23) Baron. *an.* 418. *p.* 412.
(24) Aug. *epist.* 200. *at negant Ballerinii T. III. Oper. S. Leon. p.* 870.
(25) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1252.
(26) *ibidem et p.* 1235.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXVIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES processere ipsi Augusti, Imp. Fl. Honorius XII. Imp. Fl. Theodosius junior VIII. Proconsulatu Africae functus est Largus. in provincia Byzacena post synodum Tusdritanam aliae celebratae feruntur,

Septimunicensis scilicet et Macrianensis, Marazanensis, Suffetulensis, Thenitana (1): quarum quidem tempus ignotum est; sed quia prope omnes canonem illum primum Tusdritanum communem habent, ad annum eundem revocare quis possit, easque ab Episcopis actas, qui sub id tempus ad Concilium magnum Carthaginiense pergebant. at omnino ad anni hujus initia pertinet Concilium Teleptense a Donatiano Primate provinciae Byzacenae indictum, ad quod legati quoque a provincia Proconsulari Vincentius et Fortunatianus missi sunt. in templo Apostolorum VI. kal. Martias incohatum esse, Acta (2) ostendunt, quae tamen manca ad nos pervenere: nam praeter nomina Episcoporum multorum qui adfuere, hoc unum nos docent, geminas Siricii Pontificis maximi epistolas in eo recitatas esse: quarum altera erat, de qua superius egimus (3), *dilectissimis fratribus et Coëpiscopis per Africam* missa; altera, opinor, fuit, quam idem Himerio Episcopo Tarraconensi scripserat, quippe quae non minus atque illa, quam Africani acceperant, praeclaras regendarum Ecclesiarum leges continebat (4). ceterum Zellae potius in eadem provincia Concilium illud habitum multi contendunt (5): in eoque ille loco motus Episcopus creditur, qui ad Zosimum provocavit, impetravitque, ut ab eo Numenianus Episcopus cum litteris ad Patres Byzacenos mitteretur, quibus judicii eorum acerbitas gravissime reprehendebatur (6): quamquam ejus caussae exitus qualis fuerit, non accepimus.

II. Roma demum adlatae in Africam sunt Zosimi litterae ad geminas epistolas respondentis, quae a Patribus Concilii Carthaginiensis anno superiore perscriptae fuerant. in his quia Episcopi Africani plus aliquid sibi sumere visi erant, quam Ecclesiae Romanae auctoritas pateretur, primum Zosimus quae Petro data potestas a Deo esset, quae inde in successores derivata manasset, exponebat; tum consilii sui rationem moderationemque sic explicabat: *Tamen*, inquit (7), *quum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia; nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus, dantes haec fraternitati, ut in commune consulentes, non quia quid deberet fieri nesciremus, aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Ecclesiae veniens displiceret; sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo, qui apud vos, sicut ipsi per litteras dicitis, fuerit accusatus, et ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione pristina, venerit sedem, accusatores suos ultro deposcens, et quae in se crimina per rumorem falso dicebat illata, condemnans: omnem ejus petitionem prioribus litteris, quas vobis misimus, putavimus ac novimus explicatam, satisque illis scriptis, quae ad illa rescripseratis, credimus esse responsum.* gradum hinc Zo-

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1251.
(2) *ibid. p.* 1235.
(3) *ad an.* 387. *n.* 2.
(4) apud Hard. *ibid. p.* 857.
(5) v. Pag. *Crit. ad hunc an. n.* 64. et Ballerin. *T. III. oper. s. Leonis p.* 991.
(6) v. Tillem. *H. E. T. XII. p.* 737.
(7) apud Bar. *an.* 418. *p.* 409.

simus ad epistolam alteram faciebat multo longiorem, qua Episcopi Caelestium haereticum ostendere conati erant, et facilitatem Zosimi notaverant minus de illo suspicantis, quam vel dicta ejus vel scripta requirebant. *Sed, inquit, post missae per Marcellinum subdiaconum vestrum epistolae omne volumen volvimus: quo aliquando perlecto, ita totum litterarum comprehendistis textum, quasi nos Caelestio commodaverimus in omnibus fidem, verbisque ejus non discussis, ad omnem, ut ita dicam, syllabam praebuerimus assensum. numquam temere, quae sunt diu tractanda, sinuntur; nec sine magna deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari judicio. idcirco noverit vestra fraternitas, nihil nos post illas, quas vel superius, vel nunc litteras vestras accepimus, immutasse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudum fuerant, quum hoc nostris litteris vestrae indicavimus sanctitati: ut illa, quae a vobis ad nos missa erat, obtestatio remaneret.* haec scripserat Zosimus XII. kal. Apriles, quae Patres Africani accepere III. kal. Majas. deinceps longa illa Africanorum epistola edoctus, quam parum Caelestii verbis fidendum esset: nam, teste Augustino, admonuerant (8), *Non sufficere hominibus tardioribus et sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii Episcopi litteris consentire fatebatur, sed aperte eum debere anathematizare quae in suo libello male posuerat: ne, si id non fecisset, multi parum intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena a Sede Apostolica crederent adprobata, propterea quod ab illa dictum erat, eum libellum esse Catholicum; quam emendata propter illud, quod se Papae Innocentii litteris consentire ipse responderat:* novum jam judicium de Caelestio institui voluit, et animum ejus novo examine explorari, ut ea denique caussa, quae jamdiu bonos omnes torquebat, sollemni sententia finiretur. ac Caelestius quidem, quum fraudi locum restare nullum videret, adesse jussus, se abdidit, et in suburbanis latuisse creditur: caussa tamen acta est, et doctrina ejus ac Pelagii excussa, improbata, damnata, maximo Cleri conventu et populo frequentissimo: primo omnium (9) anathema pronunciante Xysto Presbytero, qui postea ejus nominis tertius pontificatum maximum gessit, quamquam eum Pelagiani favere sibi jactaverant. ipse autem Zosimus, ut sententia ejus ac simul omnia haeresis capita orbi Christiano nota fierent, Tractoriam, ut vocabant, locupletissimam scripsit, singula complexus, quae Patres Africani in Caelestio Pelagioque reprehenderant, et sacrarum item litterarum testimonia, quae illi opposuerant, ac universa, ut idem (10) ait, ad fratrum et coëpiscoporum suorum conscientiam referens. quare Marius Mercator horum temporum scriptor, qui et ortu Afer fuisse creditur (11), diserte ait (12), Caelestium a Zosimo Episcopo *scriptis amplissimis vel longissimis* perdamnatum esse:

(8) *de pecc. Orig. lib. II. c. 7.*
(9) Aug. *epist.* 104. *n.* I.
(10) *in Capit. Caelestini c.* 8.
(11) Cave *in Mario ex Gerber.* v. *infra n.* 6.
(12) *in Commonit. c.* 3.

in quibus et ipsa capitula, de quibus accusatus fuerat, continentur, et omnis caussa tam de Caelestio suprascripto, quam de Pelagio magistro ejus praviore videtur esse narrata. quin et insignem ejus Tractoriae locum recitat Augustinus (13), ex quo intelligere licet, qualis reliqua ejus oratio fuerit: *Fidelis Dominus,* ajebat ille, *in verbis suis, ejusque baptismus re ac verbis, id est opere, confessione et remissione vera peccatorum, in omni sexu, aetate, conditione generis humani eandem plenitudinem tenet. nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui vere per peccatum fuerit ante captivus, sicut scriptum est, Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (14). *per ipsum enim renascimur spiritaliter, per ipsum crucifigimur mundo. ipsius morte mortis ab Adam omnibus nobis introductae atque transmissae universae animae illud propagine contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnium natorum antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.*

III. Iam vero Zosimus judicio peracto peculiares ad Africanos de ea re litteras miserat (15), deinde Tractoriam suam ad omnes orbis Episcopos; ac simul ab Honorio Aug. enixe petierat, ut adversus Ecclesiae hostes legum suarum auctoritatem interponeret, urbique in primis succurreret, in qua damnata quidem Pelagiana haeresis fuerat, sed molesta Pelagianorum manus etiamtum impune bacchabatur. *Et hoc tale,* inquit Possidius (16), *de illis Ecclesiae Dei Catholicae prolatum judicium etiam piissimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos haereticos haberi debere constituit.* exstat vero Rescriptum ejus ad Palladium Praefectum Praetorio (17), in quo impiam haeresim detestatus, de auctorum fautorumque poena sic statuit: *Ob quam rem illustris tua auctoritas, victura in omne aevum lege, nos statuisse cognoscat, ut pulsis ex Vrbe primitus capitibus dogmatis execrandi, Caelestio atque Pelagio, si qui hujus de cetero sacrilegii sectatores quibuscumque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem rursus proferre sermonem, a quocumque correpti ad competentem judicem pertrahantur: quos sive Clericus sive laicus fuerit, deferendi habeat potestatem, et sine praescriptione aliqua perurgendi,* et quae deinceps.

IIII. Haec omnia Aprili mense absoluta fuerant, atque ipsum Honorii Rescriptum pridie kal. Majas promulgatum Ravennae prodierat. at Carthagine nihil de haereticorum damnatione audierant; et erat tamen spes, propediem Romae judicium de illis futurum esse. itaque rati e re Christiana fore, si et ipsi eodem tempore, quod jam instituerant, suffragiis suis haeresim eandem compungerent, Aurelio auctore, ducenti quatuor-

(13) *ad Optat. epist.* 190. *n.* 23.

(14) Joan. *c.* *VIII. n.* 36.

(15) Aug. *epist.* 190. *n.* 22. *de Tractoriis* v. Noris. *App. ad Hist. Donat. Lect.* 4. *Fragmenta autem Tractoriae Zosimi habes apud Constant. p.* 994.

(16) *in vit. Aug. c.* 8.

(17) apud Baron. *eod. an. p.* 413. *et castigatius apud Noris. H. P. lib. I. p.* 137.

decim Episcopi in Secretarium Basilicae Fausti kalendis Majis convenerunt (18). quo in consessu postremas Zosimi litteras, quae biduo ante adlatae fuerant, perlectas ambigendum non est: sed cetera ipse fere Codex canonum Ecclesiae Africanae nos docet, quae nempe in eo Concilio tractata sancitave sint, singulis ex ordine pernumeratis. prima Patrum cura fuit Catholicae doctrinae defensio, cujus caussa undique acciti fuerant, placuitque summa jam Pelagianorum capita designari, et singula anathemate notata configi. id Augustinus significabat in epistola ad Valentinum, *Quod*, inquiens (19), *posteriori Concilio plenario totius Africae contra ipsum errorem breviter constituimus.* nec dubium est, octo illos canones, qui primi cientur, ab eo esse; cujus tum potissima laus fuit, quidquid praeclare contra nefariam haeresim gestum est, Hieronymo teste, qui hoc ipso anno ad eum scribens, *Macte*, inquit (20), *virtute: in orbe celebraris: Catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur atque suspiciunt; et quod signum majoris gloriae est, omnes haeretici detestantur.* primo igitur canone sancitum legimus (21), *Vt quicumque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae; anathema sit.* definitum altero est, *Vt quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur; unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit.* tertius canon fuit, *Vt quicumque dixerit, gratiam Dei, qua justificatur homo per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quae jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur; anathema sit.* quarto pronunciatum est, *Item quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus; anathema sit.* his accessit canon quintus, *Vt quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; tamquam etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata; anathema sit.* sextus fuit, *Vt quod ait sanctus Ioannes Apostolus* (22), *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos*

(18) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 926.
(19) *epist.* 215. *n.* 2. v. Ballerin. *T. III. oper. s. Leon. p.* 864.
(20) *epist.* 141. *ed. Venet. Vall.*
(21) apud Hard. *ibid. n.* 109. v. Noris. *H. P. lib. I. p.* 133.
(22) *epist.* 1. *Ioan. c.* 1. *n.* 8.

seducimus, et veritas in nobis non est, quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere ita est; anathema sit. septimo canone statutum, *Ut quicumque dixerit in oratione Dominica ideo dicere sanctos, Dimitte nobis debita nostra, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis, qui sunt in suo populo peccatores; et ideo non dicere unumquemque sanctorum, Dimitte debita mea, sed Dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur; anathema sit.* octavo denique decretum, *Ut quicumque ipsa verba Dominicae orationis, ubi dicimus, Dimitte nobis debita nostra, ita volunt a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur; anathema sit.* atque haec tamen per litteras Zosimo multo ante proposita videntur, quum ab eodem in Tractoria jam inserta fuerint, atque inde summa sanctionum earum auctoritas esse coeperit (23). ceterum controversia est, num Patres Africani canonem praeterea unum sanxerint, qui tertius ordine esset; nam in veteri codice his verbis effertur (24): *Item placuit, Ut si quis dicit, ideo dixisse Dominum, In domo Patris mei mansiones multae sunt* (25), *et intelligatur, quia in regno caelorum erit aliquis medius, aut ullus alicubi locus, ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regno caelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt; anathema sit.* et Photius quidem canonem hunc diserte designat, ac reliquis adnumerat, ut novem conditos agnoscat (26). at illum et Dionysius Exiguus et Isidorus omnino praeterierunt; nec eum quisquam memorat ex iis, qui canones Africanos aliquatenus recensuere: quare veri, opinor, simile est, canonem illum ab Episcopis quidem in Concilio sancitum fuisse, sed a Zosimo receptum non esse, eaque de caussa a Dionysio et Isidoro esse neglectum. nam quod Augustinus postea scripserit (27), novellos haereticos Pelagianos justissime Conciliorum Catholicorum et Sedis Apostolicae auctoritate damnatos esse, *Eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis et salutis locum, etiam praeter regnum Caelorum;* ex iis, quae addit, intelligimus, haereticos ab eo damnatos dici, quod peccatum originis in parvulis non agnoscerent: haec enim subnectit, *Quod ausi non fuissent, nisi negarent, eos habere originale peccatum, quod opus esset absolvi per baptismatis sacramentum:* itaque de tertio illo loco nihil definitum esse, et in eos tantum latam esse sententiam, qui parvulos ante baptismum demortuos omni poena, atque adeo culpa liberarent. quamquam ab Augustino in epistola ad Petrum et Abraham, quae serius reperta est, haec diserte hoc anno perscripta novimus. *Per hoc, quia nihil ipsi male vivendo*

(23) v. Pag. *ad hunc an. n.* 52. *et* Coustant. *epist. RR. PP. p.* 994.

(24) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 927. v. Baller. *de ant. Collect. Can. c.* 3. §. 7.

(25) Joan. *c. XIV. n.* 2.

(26) *in Biblioth. Cod.* 53. *V.* Nat. Alex. *Saec. V. art.* 4. §. 8.

(27) *de anim. et ejus orig. lib. II. c.* 12.

addiderunt ad originale peccatum, potest eorum merito dici in illa damnatione minima poena, non tamen nulla.

v. Post haec Patres, quoniam tanto numero undique convenerant, ceteras Ecclesiae res ordinandas, et quidquid nutaret, nova lege firmandum esse duxerunt. ac primum de Donatistarum Ecclesiis, quae ad Catholicam accessissent, quaesitum est, suos ne jam Episcopos habere deberent, an in eorum dioecesi censendae essent, qui eas recepissent? et, quia inde controversiae satis multae exortae fuerant, placuit (28), *Vt ubicumque Catholica fuit et Pars Donati, et ad diversas Cathedras pertinebant, quocumque tempore illic unitas facta est, vel facta fuerit, sive ante leges, sive post leges, ad eam Cathedram pertineant, ad quam Catholica, quae jam ibi fuerat, pertinebat.* tum, si et Episcopus Donatistarum Catholicus factus esset, praescriptum est, quo pacto populus binas in partes divideretur, ut sua cuique dioecesis esset; et qua item ratione, si forte discordia exsisteret, tolli penitus lis, et caussa componi posset. sed si Episcopus vicum oppidumve, quod ipse ad unitatem Catholicam revocasset, per triennium nemine repetente retinuisset, id ab eo in posterum repeti noluerunt. nihil autem per vim fieri, et omnia per Episcopos transigi jussere, quos aut Primas provinciae dedisset judices, aut ipsi, quorum controversia esset, communi consensu ea vicinia legissent. nec vero ferendam eorum negligentiam censuerunt, qui quum in finibus suis Donatistas etiamtum haberent, nullam in eo operam ponerent, ut in Catholicae Ecclesiae gremium adducerent. quapropter de ea re a vicinis Episcopis admoneri voluere: ac si desides tamen fuissent, sexto post mense qui Donatistas illos ab errore revocasset, eum perpetuum eorum Episcopum esse. sancitum quoque est, ut a judicibus, quos communis consensus elegisset, provocare non liceret. deinde ut Presbyteri, Diaconi, ceteri inferiores Clerici, si de judiciis Episcoporum suorum quererentur, vicinos Episcopos ex illorum consensu judices adhiberent, ut ab his caussa finiretur: sin ab iis etiam provocandum putarent, ad Africana Concilia vel ad Primates provinciarum suarum, non ad transmarina provocarent: qui id fecisset, a nemine intra Africam in communionem susciperetur. datum denique Episcopis, ut vel necessitate periclitantis pudicitiae, vel periculo mortis, vel parentum aut tutorum instantia, etiam ante annum vicesimum quintum, virgines rite velare possent, nec ei, qui jam velasset, obesse putaretur canon IIII. Concilii Carthaginiensis anno CCCLXXXXVII. sub Aurelio celebrati, quo vel Clericis ordinandis annus aetatis XXV. praescribebatur. his autem constitutis, quum nondum litterae Zosimi ab urbe afferrentur, et nimium jam temporis Episcopi ab Ecclesiis suis abessent, placuit, ut de Concilio universo judices, e singulis provinciis terni, eligerentur, Tripolitana tamen excepta, quae propter exiguum Episcoporum suorum numerum uni tantum legationem dare solebat. itaque designati sunt, qui Carthagine re-

(28) apud Hard. *ibid. p.* 931.

manerent, ex provincia Proconsulari Vincentius, Fortunatianus et Clarus: ex Numidia Alypius, Augustinus et Restitutus: ex Byzacena cum sancto sene Donatiano Cresconius, Iocundus et Aemilianus: ex Mauretania Sitifensi Severianus, Asiaticus et Donatus: ex Tripolitana Plautius, qui solus venerat. de Mauretania Caesariensi nulla injecta mentio, quod ex ea, opinor, Episcopus nullus advenisset; quamquam codex aliquis in Concilii titulo hanc quoque provinciam ciet (29). his Episcopis mandatum, ut cum sancto sene Aurelio universa cognoscerent, atque ut ipse Aurelius Actis Epistolisque subscriberet. exinde quum decreto Aurelius et ceteri subscripsissent, potestas reliquis Episcopis facta est, ut ad Ecclesias suas reverterentur.

VI. Interea Episcopis, qui apud Aurelium Carthagine morabantur, non defuisse, quod privatim aut publice pertractarent, ipsa temporum conditio persuadet. nam et reliquiae Donatistarum extinguendae erant, et novae haeresi in celeberrima civitate omnino multos obsistere ac repugnare praestabat. sed Augustino otii quoque aliquid ad scribendum fuit. nam intra annum et ante iter ejus Caesareense, geminos libros *de Gratia Christi* et *de peccato Originali* emisit, quos ad Albinam, Pinianum et Melaniam scripsit. Iunio autem mense exeunte, aut sub Iulii initium fama primum aliquid per Africam (30) de urbana Pelagianorum damnatione nunciavit: deinde ipsae Zosimi litterae ad Concilium peculiares ac simul Tractoria ejus amplissima, denique Rescriptum Honorii Aug. contra novos haereticos, maxima totius Ecclesiae gratulatione tandem adlata sunt. in tanta illa omnium laetitia Aurelius et qui aderant Episcopi, illico, ut Zosimus Episcopis omnibus praescribebat, Tractoriae in conventu perlectae subscripsere, eamque describi vulgarique curarunt: operam eo diligentius navantes, quod confectum denique Apostolica auctoritate viderent, quod studio ipsi suo incohatum profligaverant. haec certe designans Prosper in Fastis suis ad hunc annum scripsit: *Concilio apud Carthaginem habito CCXIIII. Episcoporum, ad Papam Zosimum synodi decreta perlata sunt: quibus probatis, per totum mundum haeresis Pelagiana damnata est.* auxere etiam gaudium Xysti Presbyteri litterae ad Aurelium, breves quidem, sed quae diserte haeresim refutabant, et quam Xystus ab ea alienus esset, luculenter testabantur: quas exsultanti alacritate descriptas, et cuique magno studio lectas, Augustinus scribit (31), simul atque a Leone Acolytho redditae fuere. epistola deinceps ad Zosimum exarata (32), qualem par erat ad eum mitti, postquam Patrum Africanorum studiis obsequutus judicium eorum confirmarat, et doctrinam Ecclesiae summa integritate ac fide defenderat: tum denique dimissa synodus, ut Episcopi suas quisque Ecclesias reviserent. Augustino tamen Zosimi auctoritate grave negotium impositum, ut in Caesariensem Mauretaniam excurreret. quamquam autem

(29) in Leon. *edit. Quesn. T. II. p.* 75.
(30) Aug. *epist.* 194. *n.* 1.
(31) *idem epist.* 191. *n.* 1.
(32) Prosp. *in Collat. c.* 10.

minus notum est, qua illuc de caussa legatus fuerit, constat tamen, adventum ejus Caesareensibus in primis utilem admodum ac salutarem accidisse. illic enim xiI. kal. Octobres praeclare ab eo de Donatistis triumphatum est, disputatione cum Emerito eorum Episcopo instituta in templo urbis maximo, quum Deuterius Episcopus Caesareae, quae metropolis provinciae erat, et cum eo Alypius, Possidius, Rusticus, Palladius, alii item Episcopi in exhedra sederent, praesentibus Presbyteris et omni Clero ac frequentissimo populo. eos Thronos Augustinus in epistola ad Dioscorum appellat, figurate loquutus, *Canes Episcopales*: quod nempe in superiori earum sedium parte Canum capita effingi sculpive solerent ad significationem vigilantiae Pontificalis. *Vigilant enim*, ut idem ait in epistola ad Paullinum, *et latrant boni canes et pro domo et pro domino et pro grege et pro pastore*. similes sane effigies Romae cernas in Basilica Liberiana ad summum Absidis fornicem ex musivo opere, in quo Thronus insignis exhibetur, Xysto iiI. auctore, qui tantam Basilicam exornavit. porro manet Augustini liber de Gestis cum Emerito: de quo idem haec adnotata reliquit (33): *Quae cum illo egerimus praesentibus Episcopis ejusdem provinciae et plebe Caesareensis Ecclesiae, in qua civitate et civis et memoratorum haereticorum Episcopus fuit, Ecclesiastica Gesta testantur, quae in meis habentur opusculis. ubi non inveniens quid responderet, totum sermonem meum, quem de solis Maximianistis in auribus ejus et omnium, qui aderant, explicavi, tamquam mutus audivit.* quare diffidentia illius, ut Possidius ait, cunctis manifestata (34), Ecclesiae Dei augmenta ac firmamenta provenerunt. sed alio etiam beneficio Augustinus, antequam discederet, Caesareenses affecit. ludus in ea urbe et pugna quaedam, *Caterva* appellata, quotannis instaurabatur, in qua, ut idem narrat (35), non cives tantummodo, verum etiam propinqui, fratres, postremo parentes ac filii lapidibus inter se, in duas partes divisi, per aliquot dies continuos certo tempore anni sollemniter dimicabant, et quisque ut quemquem poterat, occidebat. enimvero, quum ad eum de hoc argumento disserendi cura delata esset, ac frequentes in concionem convenissent; *Egi*, inquit, *granditer, quantum valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus et moribus eorum avellerem pelleremque dicendo: non tamen egisse aliquid me putavi, quum eos audirem acclamantes, sed quum flentes viderem. acclamationibus quippe se doceri et delectari, flecti autem lacrimis indicabant. quas ubi adspexi, immanem illam consuetudinem a patribus et avis longeque a majoribus traditam, quae pectora eorum hostiliter obsidebat vel potius possidebat, devictam, antequam re ipsa id ostenderent, credidi. moxque sermone finito, ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. et ecce jam ferme octo vel amplius anni sunt, ex quo illic nihil tale tentatum est.* inde,

(33) *Retr. lib. iI. c. 51.*
(34) *in vit. Aug. c. 14.*
(35) *de doctr. Chr. lib. iiI. c. 24.*

Mauretania peragrata, ac rebus, quorum caussa missus fuerat, compositis, Hipponem denique revisit incolumis, ac se ad scribendum retulit. nam et multi, qui ad eum scripserant, responsa ejus exspectabant, Optatus in primis Episcopus et Xystus Presbyter et Caelestinus Diaconus et Marius Mercator, ad quos accuratius aliquid ob eorum doctrinam rescribendum erat; et caussa illi oblata fuerat, ut in Arianos scriberet, quod sermo ignoti auctoris editus foret, quem sine mora refelli opus esset (36): tum etiam ut Aptum quemdam coërceret, qui Christianos judaizare cogebat (37). Marius porro ille, quem modo ciebam, cognomento Mercator, ipse est, cujus laboribus utimur, non ultimus horum temporum scriptor, et Pelagianorum Nestorianorumque acer adversarius, a quo Latine accepimus multa, quae tum de illis apud nostros, quod Graece scripta essent, prope latebant. hujus non erat praetermittenda mentio, quum eum plerique, ut dixi, in Africa natum putent, quamquam Romae fere versatus creditur. certe res et acta Ecclesiae Africanae scire perbene visus, et Augustino impensius studere; cui et a puero notum indicant illa Augustini verba in epistola CLXXXXIII. *Fateor enim, tantum te profecisse nesciebam* (38).

VII. Ea dum Hippone Augustinus urgebat, procul inde Evodius Uzali in provincia Proconsulari Reliquias sanctissimi Protomartyris Stephani, quas Monachus ab Hierosolymis adtulerat (39), populo undique confluente, in Basilica Restituta collocabat (40). quo tempore, quum in Africam perlata esset epistola Severi Episcopi insulae Balearis minoris, apud quem Orosius Presbyter alias ejusdem Protomartyris Reliquias deposuerat; eaque in Ecclesia Uzalensi de pulpito cum ingenti favore recitata fuisset (41), quod prodigia multa, quae in ea insula facta fuerant, referebat: mirum in modum non Uzalensium tantum, sed etiam finitimorum studia erga sacrum illud pignus ipsumque Thaumaturgum Martyrem exarsere, multaque propterea miracula ibidem divinitus exstiterunt. quae deinde Evodius fovendae pietatis caussa perscribi, et duobus voluminibus comprehensa vulgari jussit (42). atque inde factum est, ut plures per Africam aedes sive Memoriae eidem Martyri dicarentur, qui ubique beneficus saluti permultis fuit, et quantum apud Deum valeret, maximis beneficiis demonstravit. de quibus fuse agit Augustinus in praeclaro opere de Civitate Dei (43), seque etiam auctorem fuisse scribit (44), ut quoties prodigium aliquod divinitus editum constaret, de eo populus libello vulgato edoceretur, quem scilicet Episcopus in populo recitari juberet, ac deinde in manus hominum daret, quo Martyris gratia et Dei beneficentia nemini ignota esset. ac de urbe sua in primis et de Calama haec praedicat (45),

(36) *Retr. lib II. c.* 52.
(37) *epist.* 196. *n.* 16.
(38) v. Righerii *Notas in Acta Marii p.* 97. *id est Gerberonii.*
(39) *de Mir. s. Steph. lib. I. c.* 1.
(40) *ibid. c.* 7.
(41) *ibid. c.* 2.
(42) *edit. post Opera Aug. inter Supp.*
(43) *lib. xxII. c.* 8. *n.* 10. v. Baron. *ad an.* 416.
(44) *ibid. n.* 21.
(45) *ibid. n.* 20.

Nondum est autem biennium, scribebat haec circa annum CCCCXXVI. *ex quo apud Hipponem Regium coepit esse ista Memoria, et multis, quod nobis certissimum est, non datis libellis, de iis, quae mirabiliter facta sunt, illi ipsi, qui dati sunt, ad septuaginta ferme numerum pervenerant, quando ista conscripsi. Calamae vero, ubi et ipsa Memoria prius esse coepit, et crebrius dantur, incomparabili multitudine superant.* in altero autem e libris duobus, quos Evodii Episcopi Vzalensis jussu de miraculis sancti Stephani vulgatos diximus, Megetiae matronae Carthaginiensis, quae paralysi laborabat, visum narratur, ante, quam sana fieret, in somnis admonitae, ut abditam animi sui labem deleret: quae utique *corde compuncta*, (his enim res verbis exponitur) *et cujusdam peccati sui recordatione subito stimulata, peccatum suum confiteri non distulit* (46). unde rursum facile discas, quantum contemnendi sint, qui prope novam in Ecclesia consuetudinem hanc nostram vocant, qua peccata rite confiteri atque expiare poenitentia solemus.

VIII. Quod reliquum est, ad hunc annum pertinet initium controversiae de Appellationibus, quae diu postea agitata est. Apiarius quidam Presbyter Ecclesiae Siccensis, quum non uno crimine ab Urbano Episcopo damnatus et a sacris remotus esset, neque ad Concilium neque ad Primatem provocaverat, sed Romam ad Zosimum confugerat, et de Episcopo suo questus, injusto se judicio oppressum jactaverat. fuga autem ejus cognita, Episcopi qui Carthagine synodum celebrabant, canonem illum, quem supra retulimus, condiderant, ne Presbyteri ceterive Clerici, si ad transmarina provocassent, a quopiam intra Africam in communionem susciperentur. porro Zosimus de his edoctus, quum Apiarium audisset, nec jure damnatum crederet, alia etiam quaedam de Afris comperta haberet, quae minus probarentur; legatos in Africam, qui Apiarium reducerent, et ceteras res ordinarent, destinavit. ii fuere Faustinus Episcopus Potentiae, quae in Piceno erat, et Philippus atque Asellus Presbyteri Ecclesiae Romanae, qui anno vertente Carthaginem pervenerunt. ceterum Zosimus, qui mandata his sua dederat, et scriptum quoque a se Commonitorium tradiderat, ne quid ab iis recederent, quae praescripta fuerant; VII. kal. Ianuarias, post diuturnum morbum, e vivis excessit, earumque rerum curam ad successores transmisit. in cujus locum factus est Bonifacius, sed non sine adversario: nam eodem die, id est IIII. kal. Ianuarias, Eulalius quoque, adnitente factione, quam Symmachus Praefectus Vrbis fovebat, eundem honorem tulit.

(46) *lib. II. c. 2. n. 6.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXVIIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Fl. Monaxius, Fl. Plinta, ambo ex Oriente. Africa Largum hoc item anno Proconsulem habuit. dissidium in urbe extremis

anni superioris diebus exortum crescebat quotidie magis; et Eulalio ob Symmachi favorem jam dominante, Bonifacius ex urbe exire, et in Basilicam sancti Paulli concedere coactus fuerat. Honorius vero de urbis tumultu diligentissime edoctus, sed tamen a Symmacho, ad Eulalium inclinabat. at Presbyteri Romani, quorum suffragiis Bonifacius legitime designatus Pontificatum acceperat, Augustum, quem falsa relatione deceptum videbant, litteris accuratissimis ab errore revocare conati sunt (1). nec eas aspernatus Honorius est; sed quum in ambiguo res esse videretur, et judicium ad Episcopos pertinere intelligeret, proximarum urbium Antistites, ac simul Bonifacium et Eulalium Ravennam convocavit, ut illic, seclusis iis, qui alterutrius partis fuerant, controversia dirimeretur. subinde quum synodus congregata haereret, atque ancipiti contentione distracta minime consentiret; majus Concilium indixit Spoletum (2): ejusque urbis Episcopo Achilleo Romam misso, qui Paschalibus feriis Pontificale munus obiret, competitores inde abesse jussit, ne quid factio ulla contra publicam tranquillitatem moliretur. litterae interea ad Episcopos quaquaversus missae, ut idibus Iuniis Spoleti adessent: atque ex Africa ipsa evocatus Aurelius, quem maxime Honorius videre cupiebat, evocati Augustinus, Alypius, Evodius, Donatianus, Silvanus, Novatus et Venerius, nec solum Augusti, sed etiam Placidiae sororis litteris: qui tamen, quum jam iter suscepturi essent, ea mox cura repente liberati sunt. nam Eulalius, quod lege Augusti contempta, urbem ingressus, seditionem fecisset, in exsilium pulsus est, et Bonifacius reductus ad honoris sui sedem, pontificatu, quem invitus acceperat, pacata jam civitate, et animis omnium ad concordiam conspirantibus fungi coepit. itaque Honorius Largo Proconsuli mandata dedit, ut Episcopos de synodo soluta admoneret: qui sane in haec verba ad Aurelium scripsit (3): *De merito Sacerdotis, quem suis Dominus idoneum probavit, scias sublatum esse certamen. sanctum igitur ac venerabilem virum Bonifacium urbis Romae Episcopum firmavit clementia Principalis, cujus electione dudum sanctitatem tuam praecepit acciri, sicut sacri testantur affatus sui cum veneratione prolati. oportet igitur populos Ecclesiasque tuas festinanter invisas, cui navigationis est dempta necessitas.* pari autem modo reliqui Episcopi certiores facti, nihil jam synodo opus esse, ad quam acciti fuerant, rursum se ad controversias, quae domi agitabantur, applicaverunt.

II. Nam ex quo Zosimi legati Carthaginem venerant, Aurelius Concilium vocaverat, ut quae illi afferrent, Episcopis praesentibus exponerentur. praescriptum autem illis in Commonitorio fuerat, ut cum Episcopis Africanis quatuor omnino capita constituenda curarent; quorum primum erat *de appellationibus Episcoporum ad Romanae Ecclesiae sacerdotem:* alterum *ne ad Comitatum Episcopi importune navigarent:* tertium *de*

(1) apud Bar. *hoc anno p.* 432.
(2) *ibid. p.* 435. v. Noris. *Hist. Pel. lib. I. c.* 16.
(3) apud Bar. *ibid. p.* 419.

tractandis Presbyterorum et Diaconorum caussis apud finitimos Episcopos, si a suis excommunicati perperam fuissent: quartum *de Vrbano Episcopo excommunicando vel etiam Romam vocando, nisi ea, quae videbantur corrigenda, corrigeret* (4). ac de primo et tertio capite ad Zosimum, quem nondum decessisse noverant, rescriptum ab eis fuerat, se ea tamdiu sine ulla ejus injuria servaturos, dum Nicaeni Concilii canones, quos Zosimus protulerat, invenirent. Nicaenos enim appellarat Zosimus canones Concilii Sardicensis, quibus sancitum fuerat (5), ut et Episcopi, qui a synodo de gradu dejecti fuissent, ad beatissimum Romanae Ecclesiae Episcopum appellare possent; et Episcopus Romanus, si audiri reus iterum vellet, e latere suo, si ei videretur, Presbyterum mitteret, et judicium qua ratione oportere duceret, instaurari juberet: tum etiam ut Presbyteri et Diaconi, ne innocentes damnari contingeret, finitimos interpellandi potestatem haberent, quo iterum caussa eorum audiretur, et diligentius tractari posset: atque id Episcopi, qui in eos sententiam priores dixissent, patienter acciperent, dum ea vel probaretur, vel etiam emendaretur. hos autem canones in exemplaribus Concilii Nicaeni, quotquot in Africa erant, non reperiri, verissime affirmabant: nec tamen conditos esse inficiabantur, sed illud scire volebant, num in exemplaribus Ecclesiarum Orientis exstarent. cognita antem Zosimi morte, et nunciis de rato Bonifacii honore acceptis, quum Episcopi Carthagine essent CCXVII. rursum de his aliisque controversiis acturi, VIII. kal. Iunias magnum Concilium celebrare coeperunt, quod in Secretario Basilicae Fausti actum est, Faustino et reliquis Legatis, quos Zosimus miserat, praesentibus, qui mandata iterum protulerunt (6). ad ea Alypius, quum commemorasset quae Zosimo rescripta fuerant, adjecit, adhuc se tamen moveri, quod canones illi in exemplaribus Graecis synodi Nicaenae non legerentur: itaque se ab Aurelio petere, ut quoniam authenticum Concilium Nicaenum Constantinopoli adservari diceretur, illuc ad Atticum Patriarcham mitteret, qui exemplum illius postularet: par item exemplum ut ab Alexandrino et Antiocheno Episcopo requireret: se interea ista servaturos profiteri, donec integra exemplaria venirent. Augustini sententia fuit, *Et hoc nos servaturos profitemur, salva diligentiore inquisitione Concilii Nicaeni:* cui Aurelius aliique assensi sunt. Faustinus vero de his ad Bonifacium scribendum esse censuit; nec Aurelius repugnavit; sed reliqui Episcopi pervicerunt, ut exemplaria ex Alypii sententia ab Oriente peterentur: quod Faustinus omittendum putabat, ne contentio inter Ecclesias nasci videretur: ipse autem Aurelius Professionem Fidei Nicaenae et canones, quales in codicibus suis habebant, recitari omnes voluit.

III. Quid deinde Patres de altero Commonitorii capite, Ne ad Comitatum Episcopi importune navigarent, statnendum duxerint, ignoramus.

(4) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 942.
(5) *can.* 7. *et* 17.
(6) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1242.

at de Apiarii caussa quid constituerint, ex eorum epistola ad Bonifacium novimus. *Apiarius*, inquiunt (7), *Presbyter, de cujus et ordinatione et excommunicatione et provocatione fuerat exortum non solum Siccensi, verum etiam toti Africanae Ecclesiae non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens, communioni est restitutus. prior autem Coëpiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit.* ceterum apparet, visum esse Concilio, ut aliqua ratio Urbano haberetur. addunt enim, se statuisse, ut Apiarius Siccam relinqueret, quamquam id ei per litteras petenti se concessisse dicunt. *Quia vero*, inquiunt, *paci et quieti Ecclesiae non tantum ad praesens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit; quoniam talia multa praecesserant, ut vel similia, vel etiam graviora deinceps praecaveri oporteret, placuit nobis, ut de Siccensi Ecclesia, retento scilicet honore gradus sui, Presbyter removeretur Apiarius, et accepto epistolio, ubicumque alibi vellet et posset, Presbyterii munere fungeretur. quod eidem ipsi per litteras proprias postulanti sine difficultate concessimus.* porro his et ceteris, quae hactenus in Concilio acta fuerant, ad Bonifacium perscriptis, postquam Aurelius et ceteri Episcopi subscripsissent, placuit, ut designatis ex unaquaque provincia legatis, qui Carthagine remanerent, ad Ecclesias suas reliqui redirent, quod nempe ea mora multis jam gravior esse coeperat.

IIII. Enimvero ii, quibus legatio delata fuerat, rursum III. kal. Iunias cum Aurelio convenerunt, ut de iis deliberarent, quae synodus intacta reliquerat (8). consedere autem in Secretario Basilicae Restitutae, nec Legati Romani abfuerunt. actum hic primum de iis, qui ad accusationem admitti non deberent: et placuit omnibus, quod aliis in Conciliis constitutum obscurius videbatur, excludendos omnino esse, quicumque semel a sacris remoti, eadem etiamtum poena tenerentur: deinde servos libertosque eorum, qui accusarentur, et quos leges publicae ad accusanda publica crimina non admitterent: omnes item, qui maculis infamiae adspersi essent, histriones scilicet et turpe aliquid profitentes, haereticos quoque et Paganos et Iudaeos: quibus tamen omnibus accusationem denegari noluerunt, si caussam suam agerent, ac rem propriam persequerentur. sancitum praeterea, ut qui Clericis multa objecissent crimina, et primum de quo egissent, non probassent, ad cetera non admitterentur: tum ne idonei testes haberentur, quos ab accusando removissent; vel quos accusator de domo sua produceret, vel cujus aetas quartumdecimum annum non excederet. cautum etiam, ne Episcopi testificatio valeret affirmantis, aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, si ille negaret, ac poenam refugeret: et additum, si forte Episcopus conscientiae suae scrupulum praetexens, communicare se illi nolle dixisset, ut, quamdiu eum Episcopus in communionem non recepisset, reliqui Episcopi eidem Episcopo non communicarent: eo nempe consilio, ut magis quisque caveret, ne diceret in

(7) *ibid. p.* 942. (8) *ibid. p.* 935.

quemquam, quod aliis documentis evincere non posset. atque hic ultimus canonum est, quos exhibet Codex Ecclesiae Africanae, in hoc ipso Concilio Aurelii opera vel primum confectus, vel certe absolutus: cujus demum exemplar Legati Romam ad Bonifacium attulerunt (9), postquam iisdem cum ceteris Concilii Patribus subscripsissent. hunc ipsum Codicem postea non Occidens solum amplexus est, sed Oriens quoque Graece redditum in pretio habuit.

v. Haec inter in Orientem navigabant, Marcellus quidem Hypodiaconus Constantinopolim, Innocentius vero Presbyter Alexandriam, ut ambo exemplar Concilii Nicaeni referrent: hic alter etiam proximi Paschatis certum diem, de quo in Africa ambigebatur. Antiochiam aut nemo missus fuerat, aut certe nullum inde responsum fuit. Patres vero, qui legatione provinciarum suarum Carthagine fungebantur, nondum fortasse digressi erant, quum Honorius Aug. Ravennae Edictum ad Aurelium emisit adversus Pelagianos, datum hoc anno v. idus Iunias: in quo recenti sanctione rursum decrevisse ait (10), *Vt si quis eos in quacumque provinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere aut prodere distulisset, praescriptae poenae velut particeps subjaceret.* tum ne haeresis perfugium apud Episcopos inveniret, quod Zosimus praestari voluerat, singulos Episcopos damnationi ejus subscribere jubet. *Praecipue tamen*, inquit, *ad quorundam Episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum disputationes tacito consensu asserunt, vel publica oppugnatione non destruunt, pater carissime atque amantissime, sanctitatis tuae auctoritate moneri conveniet, quatenus in abolitione praeposterae haeresis omnium devotio Christianorum consentiat. religio itaque tua competentibus scriptis universos faciat admoneri, scituros definitione testimonii tui, hanc sibi definitionem esse praescriptam, ut quicumque damnationi supra memoratorum, quo pateat mens pura, subscribere impia obstinatione neglexerint, Episcopatus amissione mulctati, interdicta in perpetuum, expulsi civitatibus, communione priventur.* par vero Rescriptum honoris ergo ad Augustinum quoque datum est, quem Honorius non ignorabat in ea re potissimum de Ecclesia optime esse meritum. sed Aurelii in primis, ad quem ob Ecclesiae suae dignitatem spectabat, ea cura fuit, ut ad singulas Africae provincias mandata daret. et exstat adhuc epistola ejus, quam tunc ad omnes Episcopos misit, qui Byzacenum et Arsugitanum tractum incolebant, primum appellans Donatianum Teleptensem, qui jamdiu provinciae suae primatum adeptus erat. Augustorum autem exemplaria simul se mittere testatur, quibus lectis cognoscerent, quemadmodum unusquisque eorum subscribere deberet, sive jam in synodo ipsa praesentes subscripsissent, sive id absentes praestare nondum potuissent (11).

(9) v. Tillem. *M. E. T. xiii. p.* 785. *et.* 1021. *et* Baller. *de ant. Collect. can. c.* 3. §. 8. *item* Iustellum, *qui praeivit, in praef. p.* 38.

(10) v. Baron. *hoc anno p.* 445.

(11) Baron. *ibid. p.* 446.

vI. At vero Augustinus, antequam Hipponem reverteretur, sermonem Carthagine habuit (12) in Basilica Restituta, in quo ingentes hujus anni calamitates commemoravit partim externas, partim quae ipsam Africam attigerant. *Terrae motus*, inquit, *magni de Orientalibus nunciantur; nonnullae magnae repentinis collapsae sunt civitates. territi apud Hierosolymam qui inerant Iudaei, Pagani, Catechumeni, omnes sunt baptizati. dicuntur fortasse baptizati septem millia hominum. signum Christi in vestibus Iudaeorum baptizatorum apparuit. relatu fratrum fidelium constantissimo ista nunciantur. Sitifensis etiam civitas gravissimo terrae motu concussa est, ut omnes forte quinque diebus in agris manerent, et ibi baptizata dicuntur fere duo millia hominum.* quae quidem Novato ejus urbis Episcopo absente contigisse dicenda sunt: nam ille ex iis fuit, qui Legatione provinciarum suscepta, Carthagine synodi continuandae caussa remanserunt: quem deinde Sitifim reversum miserabilis Ecclesiae adspectus et egentium civium aerumnae diu, opinor, exercuere. porro ad hunc quoque annum et sermo ille referendus videtur, qui habitus dicitur *ad Mensam sancti Martyris Cypriani* viiI. *kal. Oct.* id est die ab natali ejus octavo: isque ordine centesimus tricesimus primus est: in quo Augustinus Pelagianos in primis insectatus, ea sententia orationem conclusit: *Jam enim de hac caussa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam Rescripta venerunt. caussa finita est: utinam aliquando finiatur error.* post haec ad populum denique suum reversus, paratum sibi laboris non minus atque operae Hippone facile invenit. mitto epistolas, quae illi plures ad eos scribendae erant, qui magnis de rebus consuluerant: rursum cum Pelagianis pugnandum ei fuit, a quibus in invidiam vocabatur, quasi nuptias damnaret (13). contra illos igitur binos edidit libros *de nuptiis et concupiscentia* ad Valerium Comitem: quorum alter emissus est paullo serius, id est postquam Iulianus Eclanensis contra primum scripsisset. cum his jungit idem septem libros *de septem libris divinarum scripturarum* (14), et septem pariter libros *Quaestionum* argumenti ejusdem, quatuor *de anima et ejus origine*, binos denique *de conjugiis adulterinis*: quos ille omnes sub hujus anni finem absolvisse videtur.

vII. Eodem tempore Aurelium, quem diu Honorii jussa occupaverant, Novembri extremo reduces ex Oriente Innocentius et Marcellus novam ad curam revocarunt. exoptata enim Concilii Nicaeni exemplaria gemina, ac simul litteras afferebant Attici Patriarchae Constantinopolitani, et Cyrilli Patriarchae Alexandrini graves atque officiosas, quibus se canones, qui petebantur, summa fide descriptos integrosque mittere testabantur (15). *De Pascha vero*, addebat Cyrillus, *ut scripsistis, nunciamus vobis*, xvII. *kal. Majas nos futura indictione celebrare.* in quo mendum inesse

(12) *serm.* 19. *n.* 6.
(13) *Retr. lib.* II. *c.* 53.
(14) *ibid. c.* 54. *et segg.*
(15) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 946. v. Baller. *de ant. Collect. can. c.* 3. §. 8. *et* Habert. *lib. Pontif. Eccl. Graec. p.* 719.

oportet, nisi malis dicere a Cyrillo tamquam Paschae initium designari feriam quintam ante diem Dominicum; anno enim CCCCXX. Pascha celebratum est XIIII. kal. Majas. porro Aurelius binis Concilii Nicaeni exemplaribus acceptis, quum ea ab iis nihil differre comperisset, quae apud Ecclesias Africanas servabantur, atque adeo canones, quos Zosimus produxerat, Nicaenos non esse, manifestum duceret; ea ad Bonifacium mittenda censuit (16), ut eorum auctoritate judicium Patrum Africanorum tueretur, Ecclesiamque suam appellationum molestia liberaret. ad haec quibus verbis rescripserit Bonifacius, indicare sane non possumus: hujus enim litterae non exstant. sed quum exploratum sit, deinceps quoque Romam ex Africa provocatum esse, quod Apiarius ipse et Fussalensis Antonius confirmant, aliaque Pontificum maximorum judicia de Africanis Episcopis omnino declarant; admittendum plane est, litteras a Bonifacio in Africam scriptas, quae nodum illum solverent, et Sardicenses Canones Nicaenorum veluti appendicem ostenderent pari auctoritate firmatam. ipsos autem canones in tabulario Ecclesiae Carthaginiensis ab Aurelio demum repertos esse credibile est; quum Gratum decessorem ejus synodo Sardicensi interfuisse, Acta demonstrent, eorumque exemplum Carthaginem a Grato relatum esse, nemo inficiari jure possit. quin et apud alias Ecclesias reperiri potuisse fatendum est, quum testis sit Athanasius in secunda Apologia sua, Africanos Episcopos synodo illi subscripsisse numero sex et triginta. quamquam Donatistarum fraude effectum videri possit, ut canones illi negligerentur, quod ii aliquando jactare ausi essent, a synodo Sardicensi communionem Donati per litteras quaesitam esse; quum eae litterae ab Arianis venissent, qui Philippopolim in Thraciam secesserant, quemadmodum superius adnotavimus (17). sed Romae, quo eos Hosius cum Nicaenis attulerat, unus omnium erat Codex (18), ex eoque tamquam Nicaeni ciebantur, quod Nicaenae synodi confirmandae caussa Sardicensis habita esset sub eodem Hosio, et Patribus plerisque praesentibus, qui Nicaeam ante convenerant.

(16) *ibid. n.* 137.
(17) *ad an.* 347. *n. II.*
(18) v. Cappell. *de Appell. c. v. n.* 5. *et* Ballerin. *T. III. Op. Leon. p. LVII.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXX.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt Imp. Fl. Theodosius junior VIIII. Fl. Constantius III. quos Africa rectores habuerit, ignoramus: nisi quod Dulcitium id temporis Tribunum et Notarium fuisse scimus, eique ab Honorio Aug. mandatum novimus, ut in Donatistas legum contemptores supremam potestatem exerceret. exiguus fere numerus eorum jam erat: in Numidia tamen ferocior etiamtum, quam attritae ipsorum res ferre viderentur. Thamugade in primis, quae altera eorum veluti regia fuerat, sub Gau-

dentio Episcopo, qui Optato illi Gildoniano successerat, adeo pertinax factio erat et a Catholico nomine aliena, ut mori potius, quam professionem veterem deserere parata esset. ipse Gaudentius, qui fugam prius adripuerat, quum ad suos rediisset, palam dixerat, si vis ei, ut Catholicus fieret, adhiberetur, non dubitaturum, quin aede succensa medius ipse cum sociis igne absumptus periret. enimvero Dulcitius, qui haec nosset, suarum esse partium putavit, ut Thamugadenses admoneret: quod gemino edicto praestitit (1). tum quia intelligebat eorum incendiorum facem esse Gaudentium, hunc etiam litteris adortus est, si forte eum a furore revocare mulcendo posset. ille tamen ejus litteris, quae humanissimae fuerant, et Augustini judicio scriptae verbis honorificentioribus, quam tractari deceret haereticum, duabus epistolis ineptissime respondit: quas Dulcitius ad Augustinum transmisit, ut eas refutaret (2). neque eum laborem hic detrectavit, quamvis illas Donatistarum naenias toties refellisset, et in Pelagianorum scriptis discutiendis et Ecclesia omni tuenda occupatissimus esset. itaque brevi, ultimum ejus adversus Donatistas opus, libros duos contra Gaudentium vulgavit, in quibus et singula hujus verba et Augustini ad ea responsiones continentur.

II. Iam hunc laborem alius item extra ordinem excepit, de quo idem sic scribit (3): *Interea liber quidam cujusdam haeretici sive Marcionistae sive cujuslibet eorum, quorum error opinatur, Quod istum mundum non Deus fecerit, nec Deus Legis, quae data est per Moysen, et Prophetarum ad eamdem Legem pertinentium verus sit Deus, sed pessimus Daemon; quum apud Carthaginem multis confluentibus et attentissime audientibus, in platea maritima legeretur, pervenerunt ad eum fratres studiosissime Christiani, eumque mihi redarguendum sine ulla dilatione miserunt, multum rogantes, ut nec ego respondere differrem. refelli eum libris duobus; quos ideo praenotavi* Contra adversarium Legis et Prophetarum, *quia Codex ipse, qui missus est, nomen non habebat auctoris.* scribendum etiam illi fuit contra Priscillianistas, ut Consentio Hispano homini satisfaceret, qui multa de ea haeresi legenda transmiserat, et sentire idem videbatur, licere contra illos simulare, ut ad eorum latebras perveniretur. itaque librum inscripsit *Contra mendacium*, in quo numquam omnino mentiendum esse diserte tradit, ac multo in iis minus, quae ad religionis doctrinam pertinent. sunt et epistolae hoc anno de gravibus controversiis ab eo scriptae, quae quantum ei temporis ereptum sit, ne opus ejus praecipuum urgeret, luculenter ostendunt. sed ingenii vi et scribendi facilitate efficiebat, ut unus et multis et maximis rebus numquam impar inveniretur.

III. Gravis id temporis adversarius Catholicorum habebatur Iulianus Episcopus Eclanensis, genere, ingenio, eruditione inter claros Episcopos numerandus (4), nisi eum labes Pelagiana infecisset. ac Zosimus quidem,

(1) August. *epist.* 204. *n.* 3.
(2) *idem ibid. n.* 4.
(3) *Retr. lib. II. c.* 58.
(4) Gennad. *de vir. ill. c.* 45.

Pelagianis damnatis, quum Tractoriae ipsius subscribere noluisset, pontificatu dejecerat, atque Italia submoverat. sed ille sectatores nactus, patrocinium sibi in Oriente quaesierat: unde et litteras ad amicos in Italiam mittebat, ut eos in sententia veteri retineret; et libros contra Augustinum in primis vulgabat, ut probris in eum et ipsam Monnicam matrem congestis, criminibusque omnis generis confictis, auctoritatem sanctissimi viri summa apud omnes existimatione florentis obrueret, si posset, aut certe imminutam infirmaret. porro Augustinus ab Alypio, qui nuper Ravennam et Romam adierat, epistolas Iuliani geminas acceperat, quas Bonifacius, quum passim in urbe legerentur, ad eum perferendas curaverat. contra has vero, novum opus aggressus, libros quatuor ad ipsum Bonifacium scripsit doctissimos: quem initio appellans, *Noveram*, inquit, *te quidem fama celeberrima praedicante, et frequentissimis atque veracissimis nunciis, quanta esses Dei gratia plenus, acceperam, beatissime atque venerande Papa Bonifaci: sed postea quam te etiam praesentia corporali frater meus vidit Alypius, acceptusque a te benignissime ac sincerissime, mutua miscuit dictante dilectione colloquia, tecumque convivens, et parvo licet tempore, magno tibi junctus affectu, se simul et me refudit animo tuo, teque mihi reportavit in suo; tanto major in me tuae sanctitatis est facta notitia, quanto certior amicitia.* exinde impiis vaferrimi adversarii epistolis excussis, totam revelavit haeresim, calumniam coërcuit, maledicta refutavit: quumque Pelagiani passim quererentur (5), a simplicibus Episcopis, sine congregatione synodi, in locis suis sedentibus extortam esse subscriptionem, quam justa etiam et legitima eorum damnatio fuisset, ostendit: *Aut vero*, inquit, *congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla haeresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit: quum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per ceteras terras devitandae innotescere potuerunt. verum istorum superbia, quae tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.* et quae deinceps. qui autem Iuliani epistolas ad Augustinum Roma attulerat, idem hos libros ad Bonifacium pertulit, Alypius scilicet, rursum in Italiam navigare coactus (6): quem utique publica de caussa iter suscepisse, credibile est; quamquam de iis, quae illi mandata fuerint, nihil accepimus, nec ullo motu turbatam hoc anno Africae Ecclesiam novimus.

IIII. Qui autem Ecclesiae totius caussam agebat Augustinus, Catholicos omnes caritate complexus, qualem erga Hipponenses suos fuisse putemus,

(5) *lib. IIII. c.* 12. *n.* 34.

(6) Julian. apud Aug. *lib. I. op. imp. n.* 85.

quos filiorum loco habebat et amabat impensius? testes nobis sermones ejus sunt, quibus per festos dies et anniversaria sollemnia populum adloquebatur, modo vitia improbans, modo virtutes commendans: in quibus nihil desideres, quod ad praeclaram plebis institutionem prodesse possit. nam qui sacris e litteris insignia quaeque exempla proferre solebat, popularia etiam facta in memoriam revocabat, siquidem utilitatis habere aliquid videbantur. exemplo sit, quod ille in festo Joannis Baptistae ab Herode interempti narravit, ut populum a jurejurando deterreret (7). *Fuit, inquit, hic homo quidam simplex, innocens, bene fidelis, a multis vestris, id est Hipponensibus, imo ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus. Tutuslymeni quis vestrum non novit, qui cives estis? ab illo audivi quod dico. nescio quis negavit ei vel quod commendaverat, vel quod ei debebatur, et hominis fidei se commisit. commotus provocavit eum ad jusjurandum. juravit ille, iste perdidit: sed isto perdente ille penitus periit. dicebat ergo iste Tutuslymeni homo gravis et fidelis, ipsa nocte exhibitum se fuisse ad judicem, et cum magno impetu atque terrore se pervenisse ad praesidentem excelsum quemdam et admirabilem virum, cui parebat officium similiter excelsorum, jussum fuisse perturbatum retro revocari, et interrogatum fuisse his verbis: Quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juraturum? respondit ille, Negavit mihi rem meam. responsum est illi: et nonne melius erat, ut rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam hominis istius falsa juratione perimeres? prostratus jussus est caedi. caesus est tam graviter, ut in dorso evigilantis vestigia plagarum apparerent. sed dictum est illi, postquam emendatus est, Parcitur innocentiae tuae, de cetero cave ne facias.* post quae Augustinus, *Fecit*, inquit, *quidem ille grave peccatum, et emendatus est: sed multo gravius peccatum faciet, qui post istum meum sermonem et istam meam admonitionem et exhortationem tale aliquid fecerit.* atque hanc fere in sermonibus suis rationem sequutus, nihil ille praeteribat, quod ad erudiendum populum valere posset: ornamenta orationis et stili flosculos tantus vir tantoque ingenio praeditus dedita opera negligebat.

(7) *serm.* 308. *c.* 5.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXI.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. SIGNANT hunc annum Consules Fl. Agricola, Fl. Eustathius, hic in Oriente, ille in Occidente creatus: quibus Consulibus tertius in republica Augustus esse coepit Fl. Constantius, qui Placidiam uxorem duxerat, sed paucos ad menses; IIII. nonas Septembres vita functus, relicto filio Valentiniano, qui Honorio avunculo successit. ceterum breve

illud Constantii Imperium Ecclesiae inutile haud fuit. nam curae ei primum fuisse scimus, ut Caelestius, qui rursum ad urbem adspirabat, ne in suburbano quidem latitare sineretur; edictumque jussu ejus (1) a Praefectis Praetorio promulgatum est, quo et Caelestius et Pelagius iterum exsilio multabantur: ac par simul poena in plebejum quemque aut Clericum constituebatur, quem accusator quilibet apud Iudicem ad eorum sectam rediisse demonstrasset. Africam deinde propius respexit Constantius, Caelestis templum Carthagine everti jubens, quo stante superstitio vetus nondum deleta videretur. jamdiu quidem aedes illa ab Aurelio expiata fuerat (2), et nostris addicta sacris templum Christianum habebatur. verum, si fides Salviano habenda est in Afros omnes ac potissimum in Carthaginienses accusatorio more declamanti, Christiani ipsi priscam de vano illo numine opinionem non omnes exuerant: ut eo ad sacra convenientes daemonem antiquum aedis illius incolam non modo in memoriam revocarent, sed etiam honore aliquo afficerent. *Quis enim*, inquit (3), *non eorum, qui Christiani appellantur, Caelestem illum aut post Christum adoravit, aut quod est pejus, multo ante quam Christum?* tum et vaticinium nescio quod jactabatur, fore aliquando, ut eam in aedem Caelestis reduceretur, et veteres ritus honori ejus instaurarentur. idcirco e re Christiana esse Augusto visum, ut ejus fani vestigium omne deleretur: sive ille potius verus Deus, uti scribit auctor operis *de promissionibus et praedictionibus Dei* (4), ille, *cujus prophetica vaticinia nesciunt omnino mentiri nec fallere, sub Constantio et Augusta Placidia .... Vrso insistente Tribuno, omnia illa templa ad solum usque perducta agrum reliquit, in sepulturam scilicet mortuorum.* egregiam etiam operam Constantio navavit Ursus contra Manichaeos, qui Carthagine (5) rursum detecti, ad tribunal Episcoporum adducti sunt, quo in judicio multa eorum scelera et nefarii coetus patuerunt, de quibus fuse agit Augustinus ad Quodvultdeum scribens (6), qui tum Ecclesiae Carthaginiensis Diaconus erat.

II. Porro huic judicio Augustinum quoque interfuisse, Possidius testatur, ejusdem interrogationibus reos ad Confessionem perductos esse, diserte affirmat (7). itaque manifestum est, eum hoc anno Carthaginem venisse. quae autem ei caussa itineris suscipiendi fuerit, non proditur: sed ad Concilium ab Aurelio vocatum esse veri plane simile est. quamquam enim Acta nulla habemus, quae hoc anno Episcopos Carthaginem accitos ostendant; in Bonifacii tamen Episcopi Carthaginiensis synodo, quae anno DXXV. acta est, canon profertur Concilii XVIIII. Aureliani (8), quod huic anno, ceteris praeoccupatis, adsignandum videtur. est autem hujusmodi: *Placuit, ut Primates diversarum provinciarum nomina*

(1) apud Baron. *an.* 420. *p.* 461.
(2) v. *an.* 399. *n.* *II.*
(3) *de proved. lib. VIII. p.* 95. *ed. Pisaur.*
(4) *part. III. c.* 38. *n.* 5.
(5) Possid. *in vit. Aug.* c. 16.
(6) *de haeres. c.* 46.
(7) *in vit. Aug. ibid.*
(8) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1079.

Episcoporum sive decedentium, sive in eorum locum succedentium ad Ecclesiam Carthaginiensem mittant. quod eo consilio sancitum apparet, ne deinceps controversiae de Primatus, qui seniori debebatur, jure oriri possent. alios canones esse conditos, indicat ipsa formula *Inter alia,* quae canoni, quem adduximus, praeoposita est. sed de his apud veteres nulla mentio.

III. At vero Augustinus Hipponem reversus, quum Manichaeos Carthagine compressos laetaretur, eorum haeresim domi offendit. hanc illic disseminabat Manlianensis quidam (9), e Caesariensi Mauretania Hypodiaconus, Victorinus, aetate jam senex. *Ita est autem,* inquit Augustinus ipse, *manifestatus, ut etiam ipse a me interrogatus, antequam a testibus coargueretur, negare non posset.* prolatis deinde erroribus ejus et criminibus, speciem poenitentis animi praeseferebat; rogare etiam Augustinum coepit, ut se in viam veritatis et Catholicae doctrinae professionem revocaret. *Sed fateor,* addit idem de se, *ejus fictionem sub Clerici specie vehementer exhorrui, eumque coërcitum pellendum de civitate curavi.* atque idem officii sui esse duxit, ut de eo ad Deuterium Episcopum Caesareensem scriberet, admoneretque, ne fides illi haberetur, nisi socios antea, quos in tota provincia latere sciret, nominatim prodidisset. inter haec vero Augustinus incoeptum jam opus contra Iuliani libros urgebat: quos ei Claudius Episcopus miserat, paullo post quam tristes e Palaestina nuncios acceperat, magnum Hieronymum decessisse: qui scilicet supremum diem obierat anno superiore pridie kal. Octobres. *scripsi,* inquit (10), *sex libros adversus illos quatuor: sed meorum duo primi testimoniis sanctorum, qui fidem Catholicam post Apostolos defenderunt, Iuliani impudentiam redarguunt, qui tamquam Manichaeorum dogma nobis objiciendum putavit, quia ex Adam trahi dicimus originale peccatum, quod per lavacrum regenerationis non solum in majoribus, verum etiam in parvulis solvitur. quantum autem ipse Iulianus quibusdam sententiis suis adjuvet Manichaeos, in primi libri mei parte posteriore monstravi. ceteri autem nostri quatuor redduntur illius singulis singuli.* id vero opus ipse Augustinus grande et valde elaboratum appellat (11), in eoque *ad omnia se respondisse, et omnia refellisse* profitetur, quae Iulianus in volumina sua congesserat, ut et originale peccatum non esse ostenderet, et sine damnatione nuptiarum culpari immerito concupiscentiam evinceret. hi porro Augustini libri ad eundem Claudium Episcopum ab eo missi sunt, a quo Iuliani opus acceperat, praemissa epistola, qua se optare significabat, ut ille potissimum legens judicaret, utrum recte congruenterque respondisset. verum illud in primis commemorandum, quod Iuliano ipsi opposuit Patrum Latinorum auctoritatem elevanti, quippe nulla etiamtum e Graecis testimonia protulisset (12): *An ideo,* inquit, *contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiae sunt*

(9) Aug. *epist.* 236. *n.* 1.
(10) *Retract. lib. II. c.* 62.
(11) *Retr. lib. II. ibid.*
(12) *contra Iulian. lib. II. c.* 4.

omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis Episcopus? quid ergo faciemus, quum illi Graeci sint, nos Latini? puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare: cui Ecclesiae praesidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exsuisset. haec autem satis indicant, Pontificem maximum, qui toti Ecclesiae praeesset, Occidentis eundem universi Patriarcham esse, quem et ceteri omnes et Africani etiam, qui Roma Ecclesiarum suarum conditores acceperant, ab ipsis initiis agnoscerent utique ac revererentur: esto illic ex indulgentia propter longinquitatem Carthaginiensis Episcopus consecraretur, ac raro ad Concilium Romanum Africani Patres vocarentur.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXI.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES prodierunt Imp. Fl. Honorius XIII. Imp. Fl. Theodosius junior X. missos hoc anno Inspectores ab Honorio in provincias Proconsularem et Byzacenam, qui praediorum censum instituerent, et quae ab his fisco deberentur, ordinarent, lex ejus declarat, quae data est X. kal. Martias Venantio Comiti rerum privatarum (1). unde etiam discimus, aliquanto latius Proconsulari patuisse Byzacenam provinciam: quum in hac numerarentur opimorum fundorum Centuriae VII. M. CCCCLX. Iugera CLXXX. desertorum Centuriae VII. M. DCXV. Iugera III. et semis; at in Proconsulari opimorum quidem fundorum Centuriae VIIII. M. et II. Iugera CXXXXI. at desertorum Centuriae V. M. et DCC. Iugera CXXXXIIII. et semis. una autem Centuria jugera fere ducenta continebat. turbatum eodem tempore in Hispania est, Vandalis rebellantibus: contra quos missus Castinus Magister militum, quum socium ejus expeditionis Bonifacium ex Africa advenientem repudiasset, male re gesta, magnis calamitatibus, quibus deinde Africa oppressa est, initium fecit: ipse vero Bonifacius jamtum hostili animo in eam rediit, sive, ut Idatius scribit, Palatium deserens, invasit.

II. Sed ad Ecclesiae res quod attinet, quum Episcoporum multorum clarissima virtus emineret, et insignis eorum opera et adsidui labores essent, ne quid detrimenti religio caperet, aut boni mores corrumperentur; fatendum tamen est, in tanto Antistitum numero quosdam id temporis inventos multorum scelerum maculis notatos, qui non modo veteri Ecclesiae illius dignitati magnas tenebras offuderunt, sed etiam populos secum pravo exemplo rapientes a recto virtutis tramite avocarunt. in Mauretania Caesariensi, quae non multo post, Deo scelerum vindice, Vandalicum furorem experta est, tres id temporis Episcopi, quos Augu-

(1) *Cod. Theod. lib. XI. Tit. XXVIII. L. 13.*

stinus memorat, Priscus, Victor, Laurentius (2), *ipsa Sede Apostolica judicante, vel aliorum judicata firmante*, varia ob crimina coërcendi fuerunt, ne Ecclesiis suis exitio essent: quamquam levius in eos animadversum videtur, quam meruerant. Prisco enim haec poena irrogata, ut Primatum in provincia sua obtinere non posset: pari Victor poena multatus; et additum, ne cum eo Episcopus ullus, praeterquam in ejus dioecesi communicaret: Laurentio honoris gradus relictus, jurisdictio omnis adempta est. in Numidia vero Fussalensis Episcopi multo gravior apparuit turpitudo, populo denique omni, in cujus odium offensionemque incurrerat, reclamante, et maxima ejus crimina ad Episcopos proximos deferente. erat hic Antonius, quem Augustinus (3), honore ab eo, quem ipse designaverat, recusato, improvidus Fussalensibus obtulerat, ne Primatem, quem Consecrationis caussa advocaverat, re infecta dimitteret. quam vero spem ejus fefellisset, sic postea idem, quamquam casum ejus miserebatur, Caelestino Pontifici maximo exponebat (4). *Res quippe ad tantum scandalum venit, ut in eum hic apud nos caussas dicerent, qui de illius Episcopatu suscipiendo, tamquam bene sibi consulentibus, obtemperaverant nobis. in quibus caussis quum stuprorum crimina capitalia, quae non ab ipsis, quibus Episcopus erat, sed ab aliis quibusdam objecta fuerant, probari minime potuissent, atque ab iis, quae invidiosissime jactabantur, videretur esse purgatus; tam miserandus factus est et nobis et aliis, ut quidquid a Castellanis et illius regionis hominibus de intolerabili dominatione, de rapinis et diversis oppressionibus et contritionibus objicebatur, nequaquam nobis tale videretur, ut propter hoc vel propter simul cuncta congesta Episcopatu eum putaremus esse privandum, sed restituenda quae probarentur ablata.*

III. Episcopi nimirum e finitimis urbibus Hipponem acciti, ut de Antonii criminibus cognoscerent, quum viderent, quanto dolore Augustinus ejus caussa afficeretur, hoc meritis ipsius dandum censuerunt, ut mitius de eo clementiusque judicarent. *Denique*, inquit Augustinus (5), *sententias nostras sic temperavimus, ut salvo Episcopatu, non tamen omnino impunita relinquerentur, quae non deberent vel eidem ipsi deinceps iterumque facienda, vel ceteris imitanda proponi.. honorem itaque integrum servavimus juveni corrigendo; sed corripiendo minuimus potestatem, ne scilicet eis praeesset ulterius, cum quibus sic egerat, ut dolore justo eum sibi praeesse ferre omnino non possent, et cum suo illiusque periculo in aliquod scelus forsitan erupturam impatientiam sui doloris ostenderent.* quid tamen post haec Antonius? adquievit ille quidem judicio Episcoporum eatenus, ut redderet quae abstulerat; nam communione privaverant, quamdiu Fussalensibus satisfactum esset. sed illud concoquere minime potuit, omnem sibi auctoritatem ereptam esse, et quos ipse antea regebat, jam curae ejus subductos aliis parere. itaque Bajanas ad Va-

(2) *epist.* 209. *n.* 8.
(3) v. *ann.* 415. *n.* 11.
(4) *epist.* 209. *n.* 4.
(5) *idem ibid. n.* 5.

lentinum Primatem Numidiae profectus, se illi fallacissime venditavit, et ut se purgaret, judices, a quibus damnatus fuerat, falsis criminationibus in summam invidiam adduxit. mox patrocinium innocentiae ab eo repetens, sanctum illum senem, optimum et gravissimum virum, urgere coepit, ne collegae suo inimicorum fraude oppresso et opem enixe imploranti deesset. sperare se, si litteras ab eo commendatitias ad Bonifacium Pontificem maximum impetrasset, fore ut tanti Antistitis auctoritate in honoris sui sedem optimo jure reduceretur. his vero artibus Valentinus deceptus (6), quum hominem insontem crederet, facile adductus est, ut eum Bonifacio commendaret. cujus litteras Antonius quum accepisset, longam ipse ad eundem epistolam conscripsit, qualis illi opus esse videbatur, ut caussae suae prodesse posset. haec porro cum Valentini litteris Romam celerrime missa, quum nihil reliqui Episcopi ad Bonifacium contra Antonium scripsissent, Pontificem maximum facile commovit. cur enim probabilem ejus caussam non crederet, quem nemo accusabat, ipse vero provinciae Primas defendebat? ceterum Bonifacius, quamquam Valentini testimonium reverebatur, aliquid tamen fraudis inesse in illis Antonii litteris suspicatus, ita de eo in pristinum statum restituendo rescripsit, ut hanc adderet clausulam, *Si ordinem rerum nobis fideliter indicavit:* quae etiam ostendunt, Antonii litteras ab eo in Africam remissas, ut eas Episcopi ante illius restitutionem examinarent. porro ejusmodi Rescriptum ansam Episcopis dedit, ne quid de ea re deliberarent: tum Bonifacii mors, qui pridie nonas Septembres obiisse creditur, aliam morae attulit caussam, ut successoris ejus designatio exspectaretur.

IIII. At vero has inter molestias Augustino satis temporis fuit, ut hunc quoque annum egregio ingenii doctrinaeque suae opere consignaret. *Scripsi etiam*, inquit (7), *librum de Fide, Spe et Caritate, quum a me, ad quem scriptus est, postulasset, ut aliquod opusculum haberet meum de suis manibus non recessurum: quod genus Graeci Enchiridion vocant.* postulaverat autem Laurentius Dulcitii Tribuni frater, idemque, si fides quibusdam codicibus habenda est, Primicerius Notariorum urbis Romae. in eo Augustinus se diligenter complexum ait, quomodo colendus sit Deus: ac prima quidem, quae et potior libri pars est, non modo, quae credenda Christiano sunt, accurate explicat, sed plerasque etiam haereses ac Pelagianam in primis refellit. parte altera quae sperare idem debeat, tradit, et Dominicam precandi formulam exponit. tertia attingit quae ad Caritatem spectant. atque idem huic operi alterum jungit *de cura pro mortuis gerenda* (8), quod Paullini Nolani rogatu scripsit ab eo quaerentis, utrum prodesset cuique post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus Memoriam sepeliretur. praefatus autem, nihil mortuis obesse, si sepultura careant, quo pacto locus iis prodesse possit, sic explicat. *Quum*, inquit (9), *fidelis mater fidelis filii defuncti corpus*

(6) August. *ibid. n.* 6.
(7) *Retr. lib. II. c.* 63.
(8) *Retr. lib. II. c.* 64.
(9) *de cur. ger. pro mort. c. V. n.* 7.

desideravit in Basilica Martyris poni, siquidem credidit ejus animam meritis Martyris adjuvari, hoc quod ita credidit, supplicatio quaedam fuit: et haec profuit, si quid profuit; et quod ad idem sepulcrum recurrit animo, et filium precibus magis magisque commendat, adjuvat defuncti spiritum non mortui corporis locus, sed ex loci memoria vivus matris affectus. subinde multa de visis persequitur, quae dormientibus obferuntur, tum de ope, quam Martyres diversis in locis praebent eodem tempore supplicantibus: sed illa magis commemoranda videntur, quae sub operis finem nos docet: *Non existimemus*, inquit, *ad mortuos, pro quibus curam gerimus, pervenire, nisi quod pro eis sive altaris sive orationum sive eleemosynarum sacrificiis sollemniter supplicamus: quamvis non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed iis tantum, quibus dum vivunt comparatur ut prosint. sed quia non discernimus qui sint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, ut nullus eorum praetermittatur, ad quos haec beneficia possint et debeant pervenire.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum susceperunt in Oriente Fl. Asclepiodotus, in Occidente Rufius Praetextatus Marinianus. ultimum hoc anno Africae consuluit Honorius lege, quae est de praediis Naviculariorum, ne qui haberent praescriptionem quinquaginta annorum, ad naviculariam functionem cogi possent (1). idem, Placidia adnitente, Bonifacium Comitem Africae appellasse videtur. nam quum paullo post sororem cum filiis Constantinopolim amandasset, unus ei Bonifacius studuisse dicitur (2), et pecuniam suppeditasse, quantam Augustae opus esse credidit, ut dignitatem suam in ea calamitate tueretur. Honorius vero aquae intercutis morbo correptus, Ravennae decessit XVIII. kal. Septembres, aut VI. kal. easdem: nam scriptores variant. exinde Africa cum reliquis Imperii Romani provinciis ad Theodosium Arcadii filium spectare coepit.

II. Ecclesia vero ab ipso anni exordio tranquilla, jocundos Roma nuncios acceperat, Caelestinum in Bonifacii locum nullo tumultu aut dissensione creatum esse (3): cujus quidem viri praeclara virtus jamdiu Afris cognita erat, Augustino autem familiaritate etiam et litteris manifestior (4), ut plerosque de honore ejus laetari par fuerit. sed tamen in Numidia rumor percrebuerat, severius eum in Africa potestate sua usurum, quam aequitas ferre videretur. quae res ad Fussalenses perlata, qui Antonii Episcopi jugum excusserant, graviter eos commoverat, et Augustini auxilium implorare coëgerat. ille vero vicem eorum miseratus, litteras accuratissimas ad Caelestinum perscripsit, in quibus totam Antonii

(1) *Cod. Theod. lib. XIII. Tit. VI. L.* 10.
(2) Olymp. apud Phot. *cod.* 80.
(3) Aug. *epist.* 209. *n.* 1.
(4) *idem epist.* 192.

caussam ab initio exorsus, quum judicium Episcoporum et Bonifacii Rescriptum exposuisset, de Fussalensium metu denique ac de disseminatis rumoribus haec addebat (5): *Judicia quippe illis et publicas potestates et militares impetus tamquam exsequuturos Apostolicae Sedis sententiam, sive ipse* (Antonius) *sive rumores creberrimi comminantur: ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident a Catholico Episcopo; quam quum essent haeretici, a Catholicorum Imperatorum legibus formidabant.* quamquam autem nihil tale Caelestinus cogitarat, nec deinde umquam tentavit fierive jussit; Augustinus tamen quae jactabantur, destinata crediderat, et Fussalensibus suis metuens, Caelestinum ab eo consilio revocare conatus est: *Non sinas*, ajebat, *ista fieri, obsecro te per Christi sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum Praepositos populorum monuit, ne violenter dominentur in fratres. ego Fussalenses Catholicos filios in Christo meos, et Antonium Episcopum filium in Christo meum benignitati caritatis sanctitatis tuae, quia utrosque diligo, utrosque commendo. neque Fussalensibus succenseo, quia justam de me querimoniam ingerunt auribus tuis, quod eis hominem nondum mihi probatum, nondum saltem aetate firmatum, a quo sic affligerentur, inflixi. neque huic noceri volo, cui quanto magis sinceram habeo caritatem, tanto magis pravae ejus cupiditati obsisto. utrique misericordiam mereantur tuam, illi ne mala patiantur, iste ne faciat: illi ne oderint Catholicam, si a Catholicis Episcopis maximeque ab ipsa Sede Apostolica contra Catholicum non eis subvenitur Episcopum; iste autem ne se tanto scelere obstringat, ut quos molitur invitos facere suos, a Christo faciat alienos.* postremo ut Caelestini animum, quem obfirmatum putabat, a proposito dimoveret, ne illud quidem eum celavit, quod secum ipse deliberaverat (6), si forte Antonius iterum Fussalensibus praeficeretur. *Me sane*, inquit, *quod confitendum est beatitudini tuae, in isto utrorumque periculo tantus timor et moeror excruciat, ut ab officio cogitem gerendi Episcopatus abscedere, et me lamentis errori meo convenientibus dedere, si per eum, cujus Episcopatui per imprudentiam suffragatus sum, vastari Ecclesiam Dei, et, quod ipse avertat, etiam cum vastantis perditione perire conspexero.*

III. Quid ad haec Caelestinus responderit, litteris ejus deperditis, ignoramus. ceterum quum jam a Fussalensibus quo statu res essent, cognovisset, Antoniumque merito iis invisum sciret; ambigendum non est, ea sponte statuisse, quae deinde Augustini etiam caussa, quem et a morte magno in honore habuit, facile comprobarit. nec sane indicium exstare novimus, unde appareat, pontificatus administrandi auctoritatem Antonio redditam esse: contra vero ex Augustini posterioribus litteris exploratum est, Fussalenses in ejus tutela fuisse: quorum Presbyterum epistolam ejus perferentem Diacono Quodvultdeo commendans. *Non*

(5) *epist.* 209. *n.* 9. (6) *ibid. n.* 10.

enim, inquit (7), *possumus necessitates hominum ejusmodi deserere, qui nostri non coloni, sed quod majus est, fratres sunt, et in caritate Christi ad curam pertinent nostram:* quae ille scribebat anno CCCCXXVIII. aut proximo. quare primo illo Episcoporum judicio, quo auctoritas ablata Antonio est, constitutum videtur, ut Fussalenses veteris Episcopi sui arbitrio, quamdiu ille viveret, regerentur. nam post excessum ejus rursus Fussalensibus Episcopum datum esse, ex albo Episcoporum discimus, qui postea ab Rege Hunerico in exsilium ejecti sunt: quo tempore Melior Episcopus Fussalensibus praeerat.

IIII. Ea porro cura, quae animum ejus tantopere angebat, liberatus Augustinus id quoque habuit solatii, ut Pelagianos in Oriente etiam damnatos esse resciret, in Ciliciae nempe Concilio, ubi Iulianus apud Theodorum Mopsuestenum diu latitaverat, et libros in eum novos numero octo conscripserat: quos tamen serius in Occidentem perlatos, aliquot post annis primum vidit ac refutare aggressus est (8). sub idem tempus in Africa editus putatur Dialogus (9) inter Apollonium philosophum Paganum et Zachaeum Christianum, cujus auctor monachus aliquis Africanus fuisse videtur, cujus doctrinam plane mediocrem facile agnoscas. scribebant et alii, aliqua fortasse tum fama, quos tamen posteritas non magni fecit, Marcianus Mineus Felix Capella ortu Madaurensis, sed Carthagine educatus (10): ac serius paullo Fabius Fulgentius Planciades Grammaticus ex eadem Africa, quorum semel meminisse satis est (11).

(7) *epist.* 224. *n.* 3.
(8) Aug. *op. imp. lib. I. in praef.*
(9) Acher. *Spicil. T.* x. *p.* 1.
(10) Fabr. *Bibl. Lat. T.* III. *p.* 213. *Ern.*
(11) v. Voss. *de Hist. Lat. lib. I. c.* 30.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXIIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES plerisque in Fastis cientur Fl. Castinus, Fl. Victor. sed Romae pro Victore, qui Consulatum in Oriente susceperat, Consul cum Castino processit, qui nuper tyrannidem occuparat, Ioannes brevis aevi Imperator, quem Theodosius socium Imperii repudiavit, nec multo post devicit. sed Italia aliquandiu et proximae provinciae Ioanni studuerunt. Africa contra, in qua Bonifacius Comes plurimum valebat, in Theodosii fide mansit, et Valentiniano Placidiae filio servata est, quem ille hoc anno in Italiam valido exercitu stipatum cum ipsa matre remisit, postquam hanc Augustam, eum Caesarem appellasset. ejusdem autem Bonifacii consilio de urbe Carthagine moenibus cingenda deliberatum hoc anno videtur: nam Prosper, antequam de tyranni caede scriberet, quae ad annum insequentem pertinet, haec Chronico Hieronymiano inseruit (1): *Muro Carthago circumdata, quae ex tempore quo vetus illa destructa*

(1) apud Scal. *Thes. temp. p.* 51.

est, sanctione Romanorum, ne rebellioni esset, munimento murorum non est permissa vallari: quod tamen annorum multorum opus fuisse putandum est.

II. Interea Aurelius Episcopos gravibus de caussis convocasse fertur: quibuscum adfuisse Augustinum, ex praefatione ejus ad Dulcitium novimus: se enim Carthaginem post sanctos Paschae dies profectum dicit (2), et tres illic menses versatum esse, adeo sine otio, ut propter occupationum multitudinem nihil dictare potuerit. porro querelas Tabracensium eo perlatas fuisse contra Apiarium, credibile est: nam hic, Sicca, ubi jamdiu existimationem omnem perdiderat, haud aegre relicta, Tabracam concesserat, Zosimi indulgentia in pristinum honoris gradum restitutus. sed illic brevi ad ingenium rediens, in ejus quoque populi odium et offensionem incurrerat. nam flagitia ejus multa et gravia jactabantur, quae celeriter Episcoporum severitate vindicanda viderentur. placuit sane Concilio, ut Apiarius iterum a sacris removeretur. quae vero praeterea sancita fuerint, in veterum scriptis, quae exstant, consignata non sunt. sed tamen ad hanc synodum pertinere dixerim canonem, post annum centesimum a Bonifacio Episcopo Carthaginiensi inter Aurelianos commemoratum (3), *Vt nullus ad transmarina audeat appellare:* nullus nempe eorum, qui sub Episcopis erant, cujuscumque ille ordinis esset. hac quippe lege Apiarium rursus ejusque similes, quod alibi attigimus, tum maxime coërceri intererat, ne iterata provocatione pax Ecclesiae rursum turbaretur. nam hoc certe spectabant, ut perfugium improbitati atque audaciae intercluderent, et Episcoporum Conciliorumque auctoritatem, in qua potissimum tranquillitas Ecclesiae nititur, salubri consilio tuerentur. nec tamen hanc illi legem Pontifici maximo imponere voluisse putandi sunt, ut Afrorum provocationes rejiceret, cui jus esse norant, ut quicumque ad eum ex Orbe Christiano provocarent, libere admitteret, quemadmodum ex epistola eorum liquet, quam deinde ad Caelestinum scripserunt (4): sed illud potius statuendum est, quia consuetudo apud Afros diu obtinuerat, ut caussae omnes intra Africam finirentur, constabatque canone sexto Concilii Nicaeni praescriptum esse, Vt sua Ecclesiis privilegia servarentur, Patribus tum e re Ecclesiae fore visum, ut vetus mos, quantum per eos fieri poterat, retineretur, et qui apud eos damnati fuissent, Concilii sententiae adquiescere juberentur, missis Transmarinarum Ecclesiarum judiciis, quae Sardicensis canon XIII. Episcopis tantum concedere videbatur. quare hoc demum sanxisse jure dixeris, quandoquidem communi consensu provocandi privilegium qualecumque esset, renunciassent, uti quisque conterraneorum judicio contentus esset. verum Apiarius, dum haec Carthagine agebantur, in tanta illa Episcoporum conspiratione diffidens ac desperans rebus suis, clam ex Africa profugit: quique semel Romae in Zosimo patronum invenerat,

(2) *lib. de octo Quaest.*
(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1079.
(4) *ibid. T. I. p.* 947.

Caelestinum pariter sibi conciliandum duxit, ut ejus auctoritate interposita iratos Patres placaret, et poena liberatus in locum, unde exciderat, rursum reduceretur.

II. Enimvero quamdiu Aurelius Episcopos Carthagine moratus sit, nescimus: at Augustinum ineunte Iulio mense inde discessisse, testatum ipse reliquit (5): qui reversus Hipponem, quum negotiis Ecclesiae suae expediendis quindecim dies impendisset, ad scribendum se contulit, ac librum ad Dulcitium de octo quaestionibus ab eo propositis absolvit. epistolam etiam satis longam ad Vitalem Carthaginiensem dictavit, quem ad Pelagianos inclinare audierat, eique duodecim capita recensuit (6), quae Catholicus quisquis, ne ab Ecclesia dissentiret, admittere ac profiteri deberet: unde Pelagianorum soboles, qui Semipelagiani audiunt, maxime refutantur. at vero sub anni finem otium ei fuit, ut Protomartyris Stephani, quas ipse etiam tandem acceperat, Reliquiis condendis honorandisque vacaret. eas primum rite sacram in aedem illatas, populo in altari propositas ostendisse videtur: de quibus etiam, quum eo die sermonem haberet (7), ait: *Exiguus pulvis tantum populum congregavit: cinis latet, beneficia patent. cogitate, carissimi, quae nobis Deus servet in regione vivorum, qui tanta praestat de pulvere mortuorum. caro sancti Stephani per loca singula diffamatur; sed fidei ejus meritum commendatur.* die altero, quum jam tanto Martyri cella illic exaedificata esset, Reliquias easdem sub altari collocavit: *Nos*, inquit (8), *in isto loco non aram fecimus Stephano, sed de Reliquiis Stephani aram Deo.* tum in cellae camera inscriptionem posuit, quae admoneret, Dei esse dona, quae quis per Stephanum impetraret, eique potissimum honorem et gloriam esse tribuenda. *Legite*, inquit (9), *quatuor versus, quos in cella scripsimus, legite, tenete, in corde habete. propterea enim eos ibi scribere voluimus, ut qui vult legat: ut omnes teneant, ideo pauci sunt; ut omnes legant, ideo publice scripti sunt. non opus est, ut quaeratur codex: camera illa codex vester sit.* conditor autem cellae Heraclius fuisse videtur, is, qui ei in honore successit, de quo in sermone ad populum Hipponensem dixit (10): *De opere ejus et expensa pecunia Memoriam sancti Martyris habemus.*

III. Post eos dies, qui Augustino jocundissimi fuerant, plurimum ei adspersit molestiae ac moeroris fraus detecta Ianuarii Presbyteri, quem in Monasterium ea lege receperat, ut erogatis omnibus, quae in mancipio ejus essent, proprium nihil retineret: nam ea Cleri ejus conditio erat, ut communia omnia essent, et paupertatem quisque voluntariam profiteretur. porro ille argentum quum haberet sepositum, non suum, sed filiae suae id esse dixerat, cui, dum adolesceret, servaretur. at subinde morti proximus, quum jure jurando affirmasset, pecuniam illam

(5) *lib. ad Dulcit. in praef.*
(6) *epist.* 217. *n.* 16.
(7) *serm.* 317. *n.* 1.
(8) *serm.* 318. *n.* 1.
(9) *serm.* 319. *n.* 7.
(10) *serm.* 356. *n.* 7.

suam esse, testamentum fecit. quamquam autem Ecclesiam heredem instituerat, gravissime id Augustinus tulit, et populo ad concionem vocato, quum de Monachorum suorum vita et moribus disseruisset, et Ianuarii factum narrasset; dolorem denique suum his verbis expressit (11): *Testamentum, inquam, fecit Presbyter et socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam profitens, testamentum fecit, haeredes instituit. o dolor illius societatis, o fructus natus non de arbore quam plantavit Dominus! sed Ecclesiam scripsit haeredem: nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. ego illum Deo quaerebam; societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum non faceret. habebat aliquid? non se nostrum socium, quasi Dei pauperem fingeret.* et quae deinceps. Ianuarii autem pecuniam filiis ejus omnino servari jussit, ut quum ad legitimam aetatem pervenissent, ipsi haberent, et quoniam uterque in Monasterio alebatur, partem quisque suam cui vellent darent, sive Ecclesiae sive aliis. tum consilii sui ratione reddita, et caussa explicata, ob quam alias item hereditates recusaverat, adjecit: *Quicumque vult, exheredato filio heredem facere Ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: imo Deo propitio neminem inveniat.*

V. Aliam id temporis molestiam attulere Sanctimoniales feminae adversus Praepositam tumultuantes: quas gravi epistola (12) cohibuit, et ad officium redire coëgit. *Cogitate*, ajebat (13), *quid mali sit, ut quum de Donatistis in unitate gaudeamus, interna schismata in Monasterio lugeamus. perseverate in bono proposito, et non desiderabitis mutare Praepositam, qua in Monasterio illo per tam multos annos perseverante, et numero et aetate crevistis: quae vos mater non utero, sed animo suscepit.* subinde vero quae servare illae deberent, paucis complexus, egregium optimae institutionis specimen nobis reliquit, quod sequentibus aetatibus magno usui fuit.

(11) *serm.* 355. *n.* 3. *Brockie. T. I. p.* 347.
(12) *epist.* 211. v. *Codic. Reg.* Holstenii *edit.* (13) *ibid. n.* 4.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXV.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt Imp. Fl. Theodosius junior xI. Fl. Placidius Valentinianus Caesar. Africa Proconsulem habuit Georgium. finem hic annus tyrannidi attulit: nam Ardaburio et Aspare ducibus exercitus recepta Italia est, et Joanne Ravennae capto caesoque, reddita Valentiniano, quem deinde Theodosius in Occidente regnare jussum, Imperii socium adlegit et Augustum appellavit. vix autem Italiam Valentinianus attigerat, quum legem in Africam misit, qua privilegia Ecclesiae et

Clericis delata servari jubebat (1). nec multo post alia edita (2), qua se omnes haereses omnesque perfidias, omnia schismata superstitionesque Gentilium, omnes Catholicae legis inimicos errores insectari profitebatur, poena etiam in conscios constituta, et supplicationum aditu in perpetuum intercluso. unde factum putare licet, ut nonnullarum haeresum vestigia ipsa delerentur: qualis erat Carthagine, quae a Tertulliano nomen sumpserat, de qua Augustinus scribit, paucissimos, qui remanserant, in Catholicam transiisse (3), et Basilicam ipsam suam Catholicis tradidisse: qualis item eorum fuerat (4), qui Abelonii dicebantur, perque Hipponensem dispersi tractum, inde pedem non extulerant: in qua secta nemo liberis procreandis operam dabat, sed aliena prole per adoptionem adscita, nomen suum prorogans posteritatem mentiebatur. de his enim triennio post scribens Augustinus, *Omnes*, inquit, *modo correcti et Catholici facti sunt, nec aliquis illius supersedit erroris.*

II. Insignem apud Hipponenses hunc annum reddidere miracula ad Stephani Protomartyris Memoriam patrata, quae Augustinus testis vidit et litteris consignavit (5): qualia et aliis de urbibus narrantur, ubi Memoriae eidem Martyri dicatae erant: cujusmodi constitutas scimus a Praejecto Episcopo ad Aquas Tibilitanas, a Lucillo Episcopo in castello Sinitensi, a Possidio Episcopo Calamae: tum alias in fundo Auduro et in suburbano Hipponensi praeter Uzalensem, de qua alibi diximus, quas omnes Augustinus commemorat. inter haec vero multam idem operam posuit in Monasterio ordinando, cui nuper probrosa Ianuarii Presbyteri simulatio labem intulerat. quumque potestatem cuique fecisset (6), ut qui habere aliquid proprium vellent, alio, quo liberet, secederent, et eum tamen honoris gradum retinerent, ad quem evecti fuissent; censum deinde instituit eorum, qui praescriptam ab ipso vivendi formam sequi vellent: ac populo convocato, quum ex Actibus Apostolorum ea recitari jussisset, quae de prima Christianorum vita institutoque traduntur, eademque ipse coram relegisset; de illis demum ad Ecclesiam retulit, ac propositum singulorum manifestum fecit. *Nuncio ergo vobis*, inquit (7), *unde gaudeatis. omnes fratres et clericos meos, qui mecum habitant, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos et Patricium nepotem meum tales inveni, quales desideravi.* tum nominatim prolatis iis, qui propter aetatem aut legitimam domesticorum caussam nondum bonis omnibus cesserant, quibus se propediem expedituri essent: erant autem omnes infra Presbyteros; *ceteri*, inquit, *id est Subdiaconi, pauperes sunt, Deo propitio, misericordiam Dei exspectant. unde ipsi faciant, non habent: nullas habentes facultates, finierunt mundi cupiditates. vivunt nobiscum in societate communi: nemo eos distinguit ab illis, qui aliquid adtu-*

(1) *Cod. Theod. lib. xvI. Tit. II. L.* 46.
(2) *ibid. Tit. v. L.* 43.
(3) *lib. de haer. c.* 86.
(4) *ibid. c.* 87. v. Bochart. *Geogr. sacr. lib. II. c.* 16. *p.* 767.
(5) *de C. D. lib. xxII. c.* 8. *et serm.* 322.
(6) *serm.* 355. *n.* 6.
(7) *serm.* 356. *n.* 3.

lerunt. similia de Presbyteris addidit: *Cito*, inquit, *dixerim, pauperes Dei sunt. nihil ad domum societatis nostrae adtulerunt, nisi ipsam, qua nihil carius est, caritatem.* unus erat ex iis, qui dives ferebatur, Leporius nomine, qui tamen se bonis omnibus jam exuerat: itaque contra inanem illum rumorem haec professus est (8): *Leporium, quamvis saeculi natalibus clarum, et apud suos honestissimo loco natum, tamen jam Deo servientem, cunctis, quae habebat relictis, inopem suscepi: non quia nihil habuit, sed quia jam fecerat, quod lectio ista persuadet.* monasterium scilicet, praeter alia, suis constituerat, xenodochium ipso Augustino auctore aedificarat, et Basilicam ad octo Martyres exstruxerat. pari modo quaedam ejusmodi, quae de Barnaba Presbytero jactata fuerant, diserte refutavit, et totam negotii rationem exposuit. ipsum autem populum appellans, *Et vos*, inquit (9), *exhortor, fratres mei, si aliquid vultis Clericis dare, sciatis quia non debetis quasi vitia eorum fovere contra me. omnibus offerte quod vultis, offerte de voluntate vestra. quod commune erit, distribuetur unicuique, sicut cuique opus erit.* demum legem in posterum, quam Clerici omnes servarent, edixit: *Modo*, inquit, *quia placuit illis, Deo propitio, socialis haec vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula Clericorum. interpellet contra me mille Concilia, naviget contra me quo voluerit, sit certe ubi potuerit: adjuvabit me Deus, ut ubi ego Episcopus sum, ille Clericus esse non possit.* nec vero caussa erat, cur vim metueret, tam justa praesertim in caussa, tantae auctoritatis Episcopus, quem omnes summopere reverebantur. sed illud tamen fieri poterat, ut qua erat mansuetudine ac misericordia erga omnes, ipse de severitate aliquid remitteret, ac lacrimis et poenitentia placatus, quod semel rejecisset, in pristinum statum ultro reduceret.

(8) *ibid. n.* 10. (9) *ibid. n.* 13. *et* 14.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXVI.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processere ipsi Augusti, Imp. Fl. Theodosius junior XII. Imp. Fl. Placidius Valentinianus iterum. atque hic quidem Romae diu versatus amorem sibi et senatus et populi conciliavit, praeclarisque legibus reipublicae caussa constitutis, securitatem atque otium reduxit. Apiarius interea, qui ad Caelestinum confugerat, et voluntatem ejus, quanta potuerat arte, captare conatus fuerat, quum jam, tyranno sublato, nullis infestum periculis mare esset, tandem ab eo impetravit, primum ut de ipso per Leonem Presbyterum litteras Patribus Africanis scriberet commendatitias, deinde ut ejusdem caussa Faustinum Episcopum Afris a Zosimi temporibus notum eodem legaret, et cum eo Apiarium

ipsum remitteret. enimvero quum Episcopis omnibus nihil horum adventu tristius videretur, Aurelius tamen auctoritatem Pontificis maximi reveritus, Concilium vocavit, et Episcopi frequentes adfuerunt. his coram, etsi Faustinus Apiarii patronus magis, quam judex habebatur, quod ejus opera semel jam ille in locum suum restitutus fuerat; Caelestini tamen mandato judicium de Apiario rursum Legatus institui passus est (1). prolatis autem criminibus, quae Tabraceni detulerant, neque Apiarius purgare se poterat, neque eum Faustinus quomodo defenderet, inveniebat: ut jam hic aliam viam iniret, et Appellationis jure caussam Apiarii ad eos non pertinere contenderet: qui tamen ex Africa clam ac sine provocatione profugerat. sed haec praestat ex ipsis synodi litteris congnoscere, quas deinde Patres ad Caelestinum miserunt. sic enim de Faustino Apiarii fautore queruntur: *Nam primum*, inquiunt, *quantum obstiterit omni congregationi diversas injurias ingerendo, quasi Ecclesiae Romanae asserens privilegia, et volens eum a nobis in communionem suscipi, quem tua sanctitas credens appellasse, quod probare non potuit, Communioni reddiderat: quod minime tamen licuit; quod etiam gestorum melius lectione cognosces. triduano tamen laboriosissimo agitato judicio, quum diversa eidem objecta afflictissimi quaereremus; vel moras coëpiscopi nostri Faustini, vel tergiversationes ipsius Apiarii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus judex justus, fortis et longanimis magno compendio resecavit.* divino nempe consilio factum est, ut Apiarius in ipsa synodo, scelerum suorum conscientia cruciatus, ultro crimina, quae objecta negaverat, fateretur, recognosceret, explicaret. hoc pacto quam justa sententia eum Patres perculissent, apparuit, nec diuturniore quaestione opus fuit: Faustinus vero facile intellexit, dolose illum et malitiose in urbe egisse, et Caelestini auctoritatem Apiarii improbitate ac nequitia in summam invidiam adductam esse.

II. Iam, quod humanum erat, ob talem judicii sui exitum Patres Africani animos erexere, litterisque synodi nomine ad Caelestinum scriptis, modum jam aliquem in juris sui potestate exercenda ab eo postulare ausi sunt. neque illi tamen hoc petebant, ut eos rejiceret, qui ad eum legitime provocassent, aut ne appellationes ex Africa ullas admitteret; sed illud rogabant, ne quos ipsi a sacris removissent, Romae in communionem nimia facilitate reciperentur, aditu cuique aperto, ut se auribus inculcaret. narratis enim quae in Apiarii judicio contigerant, sic deinde rem suam agunt (2): *Praefato itaque debitae salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere: quia hoc etiam Nicaeno Concilio definitum facile advertet venerabilitas tua.* canonem hic quintum designabant jubentem, abjectos ab Episcopo uno, ab aliis non recipi; qui tamen de Episcopis

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 947.

(2) Hard. *ibid. p.* 950. v. Gasovium *Tract. de libertatib. Eccl. Gallic. lib. x. c.* 8. *a n.* 6.

ejusdem provinciae loquitur, nec damnato secundum Episcoporum judicium eripit, quum ii ad provinciae Concilium convenerint. post haec ne Episcopos quidem ab eo poena facile liberandos contendunt: *Nam et*, inquiunt, *si de inferioribus Clericis vel laicis videtur ibi praecaveri; quanto magis hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia communione suspensi, a tua sanctitate vel festinato vel praepropere vel indebite videantur communioni restitui?* tertio loco jus etiam aliquod praetexunt suum: *Presbyterorum quoque*, inquiunt, *et sequentium Clericorum improba refugia, sicuti te dignum est, repellat sanctitas tua: quia et nulla patrum definitione hoc Ecclesiae derogatum est Africanae, et decreta Nicaena sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt.* quibus verbis quum canonem sextum Nicaenum indicarent, vineta ipsi sua caedebant: nam quum illic Patriarchae tres censeantur, sub quibus Episcopi omnes sint, planum erat, quum Africani neque ad Antiochenum neque ad Alexandrinum pertinerent, eos Patriarchae Romano commissos esse. cetera, quae addunt, eo spectant, ut declarent, multo melius de qualibet caussa in provincia cognosci posse, quam Romae, quo ne testes quidem omnes vel propter sexum vel propter aetatem adduci queant. tum, quia opponi poterat, certos homines legari in Africam posse, qui praesentes judicium exercerent, ac testes audirent, ut Sardicensi Concilio placuerat; quasi de hoc nihil ad eos pervenisset, haec audacius reponunt: *Nam ut aliqui tamquam a tuae sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus patrum synodo constitutum. quia illud, quod pridem per eundem coëpiscopum nostrum Faustinum, tamquam ex parte Nicaeni Concilii exinde transmisistis, in exemplis verioribus, quae accipiuntur Nicaeni a sancto Cyrillo Coëpiscopo nostro Alexandrinae Ecclesiae, et a venerabili Attico Constantinopolitano Antistite ex authentico missis, quae etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum et Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriae Bonifacio Episcopo praedecessori vestro a nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire.*

III. Ceterum animadvertendum est, nullam in hac epistola mentionem a Patribus illatam esse legitimae provocationis sive appellationis: ut illud tantum sibi proposuisse videantur, ne judicia sua Pontificis maximi patrocinio contemni paterentur. nam superius negaverant, ab Apiario Romam esse provocatum, doluerantque, a Caelestino esse receptum, ac per Faustinum in Africam, sententia eorum neglecta, reductum esse, ut honorem suum iterum recuperaret, qui Patrum judicium nulla provocatione suspenderat. et pondus sane his afferunt quae sequuntur: *Exsequutores etiam Clericos vestros quibuscumque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum saeculi in Ecclesiam Christi, quae lucem simplicitatis et humilitatis diem, Deum videre cupientibus, praefert, videamur inducere.* ultima postulatio fuit, ut Faustinum,

quandoquidem post Apiarii confessionem Legatio ejus inutilis erat, Romam revocaret. *Nam, inquiunt, de fratre nostro Faustino, amoto jam pro suis nefandis nequitiis de Christi Ecclesia dolendo Apiario, securi sumus, quod eum probitate ac moderatione tuae sanctitatis, salva fraterna caritate, ulterius Africa minime sustinere patiatur.* hactenus synodi litterae: quibus denique Patres sibi videbantur satis cavisse, ne in Africa ullus in posterum judiciorum suorum contemptor esset. nam de provocationis interponendae jure dudum decesserant: modo illud etiam obtinere nisi erant, ne ullum damnatis, si ex Africa profugissent, patere Romae perfugium posset. sed eos tamen experiundo didicisse non dubito, severitate nequam homines cautos fieri, non bonos: poenam vero improborum innocentis periculo male quaeri. de numero Patrum, qui synodo interfuere nihil compertum est: nam in epistolae initio post Aurelium quatuordecim tantum cientur nominatim: et hoc solum constat, neque Augustinum neque Alypium neque Possidium neque Evodium praeclara illa Ecclesiae Africanae lumina adfuisse: quum enim id temporis antiquissimi Episcoporum essent, profecto locum inter primos habuissent. eas porro litteras vir sanctissimus Caelestinus quo animo tulerit, aut quale iis responsum dederit, a nemine traditum accepimus: verum credibile est, cognitis Apiarii fraudibus, aliquid Patrum Africanorum justo dolori indulsisse, ac res ita temperandas existimasse, ut desertores quidem et profugi sine Episcoporum suorum litteris non reciperentur; at qui Romam legitime provocaret, omnino admitteretur, reliquis transmarinis judiciis ademptis, ut uno Pontificis maximi tribunali excepto, id in cujusque caussa obtineret, quod in Africa ab Episcopis judicatum esset: quae Caelestinus et Concilii Sardicensis auctoritate postulare debuit, et aequi et boni ratione atque innocentium periclitantium caussa tueri ac defendere potuit. judicio autem ejus Patres Africanos adquievisse non immerito duxeris, quum manifestum sit, eos a Caelestino subinde in honore habitos esse, et ipsas eorundem sanctiones adversus Pelagianos Ecclesiae esse propositas (3): gravissimum praeterea Augustino testimonium tributum perpetuae consensionis (4), quam nullus suspicionum rumor adsperserit.

IIII. At dum Carthagine etiamtum de Apiario agebatur, Milevitani Augustinum rogaverant, ut Ecclesiae caussa ad eos proficisci ne gravaretur. nuper nempe Severus Episcopus eorum decesserat: qui quum successorem, populo minime audito, apud Clericos designasset, ansam plebi dederat, ne horum suffragiis adsentiretur. ille vero, quamquam senio prope confectus, iter illud, ut paci Ecclesiae operam suam navaret, libenter suscepit. *Veni,* inquit ipse (5), *et quomodo voluit Dominus, adjuvit nos pro sua misericordia, ut cum pace Episcopum acciperent, quem vivus designaverat Episcopus eorum.* Hipponem subinde reversus,

(3) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1255.
(4) *ibid. p.* 1254. v. *infra an.* 531. *n.* 1.
(5) *epist.* 213. *n.* 1.

quasi eum Severi factum admonuisset, ipse etiam de successore cogitare coepit: sed ea cautione ac diligentia, ut a morte ejus dubitatio nulla vel animorum dissensio esse posset. nam proximis Episcopis duobus advocatis Religiano et Martiniano, Presbyteros suos sexto kal. Octobr. in Basilicam Pacis convenire jussit, et Clerum reliquum ac populum frequentem adstare voluit. Presbyteri autem numero septem erant, *Saturninus, Leporius, Barnabas, Fortunatianus, Rusticus, Lazarus* et *Heraclius*: nam et hunc, quum paullo ante Diaconus esset, dudum ampliori honore dignum judicaverat. quum autem ipse cum Episcopis consedisset, et quaedam de senectute sua commemorasset, *Scio*, inquit, *post obitus Episcoporum per ambitiosos aut contentiosos solere Ecclesias perturbari: et quod saepe expertus sum et dolui, debeo quantum ad me adtinet, ne contingat, huic prospicere civitati.* quumque Milevitanorum recens exemplum attulisset; adjecit: *Ergo ne aliquis de me queratur, voluntatem meam, quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam perfero: Presbyterum Heraclium mihi successorem volo.* aderant porro notarii, qui et Augustini dicta et populi responsa exciperent, et quidquid gestum esset, in Acta referrent. itaque in iis adhuc, quae tum contigerint, ita narrantur: *A populo adclamatum est* Deo gratias, Christo laudes. *dictum est vicies tertics:* Exaudi Christe, Augustino vita, *dictum est sexies decies*: Te patrem te Episcopum, *dictum est octies.* quum tandem silentium consequutum esset, rursum Augustinus populum adloquens, *Non opus est,* inquit, *me de laudibus ejus aliquid dicere, faveo sapientiae, et parco verecundiae*: *sufficit, quia nostis eum: et hoc me velle dico, quod vos velle scio.* simul admonuit, quae agerentur, omnia a Notariis excipi, et Gesta Ecclesiastica confici. populus vero, ut ea sibi probari ostenderet, iterum et saepius adclamavit. post haec Augustinus explicandum sibi esse duxit, quo pacto Heraclium Episcopum fieri vellet, ne quid contra leges Ecclesiae, ut olim eo designato contigerat, rursus admitteretur. *Adhuc,* inquit, *in corpore posito beatae memoriae patre et Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo: quod Concilio Nicaeno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo.* quumque hic etiam adclamatum esset *Deo gratias, Christo laudes,* adjecit: *Erit Presbyter, ut est, quando Deus voluerit, futurus Episcopus.* tum, ut inde otii aliquid nancisceretur, quod antea impetrare non potuerat, *Obsecro vos*, ait, *et obstringo per Christum, ut huic juveni, hoc est Heraclio Presbytero, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum.* hic vero a populo adclamatum est, *Iudicio tuo gratias agimus*, idque dictum est vicies sexies. gratiis demum populo actis, quod tam benevola voluntate assensi essent, omnes hortatus est, ut deinceps ad eum perferrent, quae ad se antea deferre solebant, pollicitus, se consilio ei adfuturum, si opus foret; ac simul

rogavit, ut qui possent, Gestis subscriberent, addiditque, *Hic mihi responsione vestra opus est; teneam responsionem vestram: de hac adsensione aliquid adclamate.* cui populus *Fiat, fiat* saepius iteravit, *Dignum est, justum est, fiat, fiat, olim dignus, olim meritus, judicio tuo gratias agimus, exaudi Christe, Heraclium conserva.* itaque Augustinus, *Bene habet*, dixit, atque ad sacrificium faciendum pergens, obsecravit, ut in hora illa supplicationis suae, omni alia cura seposita, pro Ecclesia Hipponensi, pro se, pro Presbytero Heraclio Deum cuncti precarentur.

V. Porro ab illo die Heraclius optimum Augustini de eo judicium adsiduis laboribus et multis clarissimarum virtutum exemplis comprobavit: neque solum molesta et operosa Ecclesiae negotia ipse gessit, ut Episcopum suum ea cura relevaret, sed populi quoque instituendi erudiendique partes suscepit, quo plus otii Augustino ad scribendum relinqueretur. exstat adhuc sermo (6), quem Heraclius novi muneris usurpandi caussa primum ad populum habuit, praesente Augustino, in eoque et modestia ejus et singularis erga magistrum suum amor maxime elucet. cujus postrema verba haec sunt. *Quod ergo jam restat, dilectissimi, ipsum pariter deprecemur,* Augustinum nempe, *ut quemadmodum ego ultra vires meas praeceptis ejus parui, ita omnium nostrum desiderio se ipse non subtrahat, sed post hunc sermonem nostrum loqui vobis vel pauca dignetur, quae discedentes vos meminisse delectet, et recordando salubriter ruminare non pigeat. verumtamen ne toto sermone in excusatione consumpto sanctitatem vestram monuisse nihil videar, audite me, fratres. Quaecumque a Patre nostro semper audistis et accepistis et didicistis, haec cogitate, haec agite; et Deus pacis erit vobiscum. amen.* est et alius Heraclii Presbyteri sermo, in quo ille Episcopi sui ac magistri stilum jam adsequutus videtur, ac proximas calamitates et pericula simul indicare. *Naviget ergo,* ajebat (7), *Carissimi, naviget haec Dominica navis inter procellas saeculi Christo protegente secura, Deo donante sollicita. non enim quia in navi nauclerus vigilat, ideo debet nauta dormire. vigilat ille, de quo veraciter scriptum est,* Non dormiet neque dormitabit, qui custodit Israel; *sed etiam ipse dicit,* Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. *unde ergo debemus esse solliciti, et unde securi? solliciti, quia dixit, quod in hoc mundo pressuram habebitis; securi autem, quia mox addidit,* Confidite, ego vici mundum: *solliciti, quia tentationes futuras praenunciavit nobis: securi, quia non deficit interpellare pro nobis.*

(6) *post fragm. serm.* Aug.

(7) *serm.* 72. *inter supposit.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXVII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules huic anno ex Oriente ambo dati, Fl. Hierius, Fl. Ardaburius. Africae Bonifacius Comes imperitabat, gratiam ei referente Placidia Augusta, quam sibi in adversis rebus ejus non uno beneficio devinxerat. et erat ejus apud omnes praeclarum nomen, quod justitiae in primis studiosus, idemque abstinens ac pecuniae contemptor haberetur. de quo insigne facinus ab Olympiodoro narratur, rustici cujusdam caussa patratum, cujus uxsore miles barbarus e foederatorum numero abutebatur (*). profectus enim noctu ad adulterii latebras, moecho caput amputavit, idque marito obtulit, qui apud eum de injuria questus fuerat. ceterum magnos idem adversarios apud Principem habebat, qui clam ei perniciem moliebantur; nec satis ipse sibi cavebat, ne in proditionis suspicionem vocari posset. et accessit consilii boni mutatio, quae virum Deo multas ob virtutes acceptum gravibus poenis obnoxium fecit. nam quum potioris vitae studio flagrans, uxore amissa, Monachorum solitarios recessus cogitaret, et Alypii atque Augustini, qui eum Ecclesiae utiliorem in potestate speraverant, cohortatione in eam sententiam venisset, ut coelibem exinde vitam in honoribus ageret; paullo post non modo a proposito deflexerat, sed Ariani praeterea hominis filiam in matrimonium acceperat. quamobrem litteris eum suis Augustinus hoc anno reprehendere non dubitavit, et quae olim pollicitus fuerat, objectis arguere: *Quum ergo*, ajebat ille (1), *te esse in hoc proposito gauderemus, navigasti, uxoremque duxisti: sed navigasse obedientiae fuit, quam secundum Apostolum debebas sublimioribus potestatibus: uxorem autem non duxisses, nisi susceptam deserens continentiam concupiscentia victus esses. quod ego quum comperissem, fateor, miratus obstupui: dolorem autem meum ex aliqua parte consolabatur, quod audivi, te illam ducere noluisse, nisi prius Catholica fuisset facta: et tamen haeresis eorum, qui verum Filium Dei negant, tantum praevaluit in domo tua, ut ab ipsis filia tua baptizaretur.* eae porro nuptiae ad invidiam ei conflandam plurimum valuisse feruntur. nam Regis Vandalorum filiam ex Hispania petiisse creditur; ob eamque conjunctionem ab adversario ejus Aëtio apud Placidiam accusatus putatur, quasi Vandalorum affinitatibus atque amicitiis viam sibi ad dominationem munivisset. quo autem Placidia rem deprehenderet, persuasum ei traditur (2), ut Bonifacium ex Africa evocaret, ac simul litteras ad Bonifacium submissas esse ab ipso Aëtio, quibus eum ob veterem amicitiam admonebat, ut sibi a Placidia caveret. itaque Bonifacius quum Aëtii dolum non praesensisset, Placidiae obtemperare noluit; et suspicione aucta, in quam Augusta jam venerat, paullo

(*) *H. Byz. T. I. in Eclog. Hist. p.* 14.

(1) *epist.* 220. *n.* 4.

(2) Proc. *B. Vand. lib. I. c.* 3.

post hostis publicus est appellatus. missi subinde exercitus, qui ei bellum inferrent: et barbari etiam, qui Africae Romanae finitimi erant, in provincias irruerunt, vix jam resistente Bonifacio, ac de salute prope desperante: qui tamen olim vel ipso nomine plurimum potuerat, et hostes non tam armis, quam imperio represserat. quare Augustinus recenti tumultu commotus scribebat illi (3), *Quis autem crederet, quis timeret, Bonifacio Domesticorum et Africae Comite in Africa constituto cum tam magno exercitu et potestate, qui Tribunus cum paucis foederatis omnes ipsas gentes expugnando et terrendo pacaverat, nunc tantum fuisse barbaros ausuros, tantum progressuros, tanta vastaturos, tanta rapturos, tanta loca, quae plena populis fuerant, deserta facturos?*

II. Hic erat in Africa reipublicae status hoc anno, haec malorum illorum initia, quae deinde Afros in barbarorum servitutem adduxerunt. at Ecclesiae res, quae pacatae etiamtum tranquillaeque erant, Vitalis primum civis Carthaginiensis disputationibus, deinde et Monachorum Adrumetinorum dissensione nonnihil turbatae sunt. ac Vitalis quidem jamtum Semipelagianis se antesignanum praebebat, illa ausus tradere, *Ut recte credamus in Deum, et Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse a nobis, id est ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse.* haec vero et alia hujusmodi Augustinus refutare aggressus, egregiam ad eum epistolam misit, quae in censu ducentesima decima septima est: opposuitque homini in Ecclesia Carthaginiensi erudito ipsas, quibus Ecclesia uteretur, preces, ut fidei studium incredulis et catechumenis exoraret a Deo, non humanae officia voluntatis eam consilii mutationem esse arbitrata, sed divinae miserationis beneficia. tum et duodecim ei regulas praescripsit ad bene de Gratia divina sentiendum, quae totidem erant adversus Pelagianos Catholicae Ecclesiae sententiae. ea porro epistola effecisse Augustinus videtur, ut Vitalis errorem exueret, et perversam illam doctrinam aversatus, divinam, quam spreverat, opem supplex imploraret. de Vitali certe aut de sectatoribus ejus mentionem postea injectam non reperio. ad Monachos autem Adrumetinos quod spectat, Adrumeti id temporis, quae civitas provinciae Byzacenae Metropolis erat, monasterium numero Monachorum insigne regebat Valentinus Abbas, Augustini studiosissimus, qui hunc magistri et parentis loco venerabatur (4). forte autem Florus Monachus Uzalim profectus, inde tamquam Eulogias epistolam attulerat ab Augustino aliquot ante annos Xysto Presbytero Ecclesiae Romanae scriptam, quae tota est adversus argumenta Pelagianorum (5). hanc Monachi quum lectitare coepissent, nec quidquam de ea Abbas audisset, atque ipse Florus Carthaginem ire coactus esset (6); magna inter eos animorum dissidia coorta sunt, actum de libero hominis arbitrio clamantibus multis, si ea Augustini doctrina esset, et sententia ejus omnia

(3) *epist.* 220. *n.* 7.
(4) *epist. inter Aug.* 216. *n.* 6.
(5) *epist.* 194. *capitum* 10.
(6) Valent. *inter Aug. ep.* 216. *n.* 3.

Gratiae divinae tribuentis admitteretur. interea Florus Carthagine redux, quum tantas domi turbas offendisset, de re tota ad Abbatem retulit. hic vero, ne forte auctoritas ejus contemneretur, monachis convocatis, Evodium Episcopnm Uzalensem consulendum censuit. atque ille quidem ita rescripsit, ut discendi studium probaret, contentionem reprehenderet (7); tum de libero arbitrio ea traderet, quae a Catholica Ecclesia docti sumus. demum de Augustino magnifice sentiens, haec adjecit: *Legant ergo sancti Dei majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris pium affectum; et quando non intelligunt, non cito reprehendant, sed orent, ut intelligant.* ceterum nec Evodius epistola sua quidquam profecit, nec qui deinde Augustini interpres adhibitus est, Sabinus Presbyter auctoritate sua efficere potuit, ut de sententia decederent, aut Augustini adeundi consilium tam longe positi ullo modo deponerent. quinque erant, qui eam profectionem cogitabant; quibus Abbas sedandae discordiae caussa sumptus ad iter dedit. sed ex his duo tantum, Cresconius et Felix, ad Augustinum pervenerunt, iique sine Valentini litteris: neque enim eos Abbas sua sponte proficiscentes testimonio litterarum suarum commendandos duxerat.

II. At vero Augustinus non modo eos non rejecit, sed etiam apud se diutius manere passus est, quo eos meliores instructioresque remitteret. protinus autem litteras ad Valentinum de eorum adventu misit (8), et epistolam simul suam ad Xystum, unde controversiae exstiterant, fuse explicavit, eorum monachorum sententia commendata, qui neque liberum arbitrium negarent, neque tantum ei tribuerent, ut sine Gratia Dei valeret quidquam ad bonum. eodem quoque tempore opus aggressus est *de Gratia et libero arbitrio*, quod se eorundem monachorum caussa scripsisse testatur (9): cui alterum mox addidit, quum ei nunciatum esset (10), Adrumeti dixisse quemdam, *Neminem corripiendum, si Dei praecepta non facit, sed pro illo, ut faciat, tantummodo orandum.* his porro Augustini operibus, et novis quoque litteris ad Valentinum missis, quum jam monachi illi turbarum auctores Hippone instituti, tertio etiam addito, qui serius advenerat, Catholicam doctrinam apprime tenere viderentur: tranquillitas denique in monasterium Adrumetinum reducta est. nisi quod Augustinus firmandae pacis caussa Florum monachum recte quidem sentientem, sed qui occasionem illius dissensionis invitus obtulerat, ad se arcessivit: ratus librum suum ab eo non intelligi, aut ipsum Florum ab aliis non intellectum, quum difficillimam quaestionem et paucis intelligibilem solvere atque enodare conaretur (11). eum vero Valentinus quamprimum Hipponem dimisit, et litteras ei, quas ad Augustinum perferret, dedit observantiae simul et gaudiorum plenas; *Nam ad librum dulcissimum sanctitatis tuae*, ajebat Abbas,

(7) Sirm. *in Praedest. hist. c.* 1.
(8) *epist.* 214.
(9) *Retr. lib. II. c.* 66.
(10) *idem ibid. c.* 67.
(11) *idem epist.* 214. *n.* 6.

ita sumus alacriter jocundati, ut sicut Apostoli Dominum post resurrectionem prandentem secum non audebant interrogare quis esset; sciebant enim quia Jesus est: ita et nos nec voluimus, nec ausi sumus interrogare de libro, utrum tuae sanctitatis esset, quum ipsa fidelium gratia, quae in eo liberaliter commendatur, nobis tuum, domine sancte Papa, eloquiis vivacissimis contestetur.

IIII. Exacta jam erant Paschae sollemnia, quum Aurelius Augustinum aliosque nonnullos e proximis Episcopis Carthaginem invitavit. nec levis conveniendi caussa erat: agebatur enim de Leporio quodam monacho, qui nuper e Galliis, ubi eum Episcopi ob varias haereses damnaverant, solum vertere coactus, in Africam trajecerat, ibique et Augustini scriptis et aliorum Episcoporum cohortationibus ad bonam frugem traductus, paratum se Aurelio professus erat, ea, quae antea docuerat, damnare omnia, et confessione errati sui palam Ecclesiae indulgentiam atque Antistitum misericordiam implorare. fuerat autem non modo haeresis Pelagianae fautor (12), sed etiam ejus auctor, quam subinde Nestorius late disseminavit, ac primus Jesum Deum servatorem nostrum non modo Patre minorem, sed merum hominem dicere ausus, divinitatem ei ob vitae ipsius merita tandem accessisse tradiderat. quare plurimum intererat, rei tantae Episcopos adesse doctissimos, qui Leporii professionem perpenderent, sententias examinarent, verba omnia moderarentur. exstat vero libellus, quem ille ad Proculum et Quillenium Episcopos Galliarum judices suos misit, non dubiae poenitentiae index, et resipiscentis animi testis lucnlentissimus, qualem optare ab iis tantum possis, qui sincere loquuntur, et anteactae vitae errores oderunt ac detestantur. subscriptio ejus fuit (13), *Ego Leporius libellum meo sensu dictatum, in quo fidem meam, quam Deo volente in finem usque tenebo, medullitus exprimere volui, coram sanctis Episcopis in Ecclesia Carthaginiensi relectum subscripsi.* socios autem erroris habuisse, eosdemque poenitentiae imitatores Domninum et Bonum, eorundem subscriptiones declarant. post hos Episcopi quatuor, a quibus peractum judicium fuerat, ipsi quoque fidei faciendae caussa subscripsere, Aurelius, Augustinus, Florentius, Secundus. neque tamen hoc illis satis fuit: nam et epistolam ad eosdem Galliarum Episcopos scribendam sibi existimarunt, ut eos de praeclaro Leporii facto edocerent, rogarentque, ut quem errantem merito corripuerant, eundem emendatum benigne susciperent. extrema eorum erant verba (14): *Hanc ejus correctionem dilectionem vestram minime dubitamus et gratanter accipere, et eis notam facere, quibus ejus error scandalum fuit: quia et illi, qui cum eo venerunt ad nos, cum illo correcti atque sanati sunt, sicut eorum subscriptionibus, quae coram nobis factae sunt, tenetur expressum. superest, ut de fraterna salute laetati, rescriptis beatitudinis vestrae nos vicissim laetificare dignemini.*

(12) Gennad. *de vir. ill. c.* 59.
(13) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1270.
(14) *ibid. p.* 1263.

optamus vos, dilectissimi et honorabiles fratres, in Domino bene valere, memores nostri. atque haec Carthagine hoc anno transacta in ipso belli tumultu: ut eo magis fortissimorum Episcoporum virtus eniteret, quos a religionis studio atque animorum salute ne vitae quidem discrimina retardabant.

v. Quod reliquum est, Augustinus, opera Aurelio egregie navata, Hipponem reversus Concilium in Basilica Leontina celebrasse dicitur (15), VIII. kal. Septembres, in quo credibile est, vulgatum ab eo esse Leporii libellum, ut ad quorum aures errorum illius fama pervenerat, iidem confessionis ejus ac poenitentiae gravissimum testimonium ac praeclarum exemplum habere possent. ceterum nec de Episcopis, qui Hipponem synodi caussa convenerint, aliquid novimus, nec canones, qui sanciti tum fuerint, designare licet. nam quos Ferrandus commemorat, ad Concilium primum Hipponense pertinere putantur (16).

(15) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 879. (16) v. Till. *M. E. T. XIII. p.* 872.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXVIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum susceperunt Fl. Taurus, Fl. Felix, hic in Occidente, ille in Oriente. quos Africa provinciarum rectores habuerit, ignoramus. sed quamquam magni ubique armorum motus erant, et Bonifacius exercitum novo delectu contra hostes suos comparabat instruebatque; apparet tamen, provincias sub rectoribus mansisse, et Valentiniano Principi fidem servasse. legem certe V. kal. Martias datam constat, qua Sacerdotales provinciae Proconsularis, id est ludorum sollemnium Curatores, tironum praebendorum onere liberabantur (1), quum delectus militum haberetur: quippe qui in ea provincia multo majoribus sumptibus munera edebant, quam ceteri, qui rem eandem aliis in provinciis curabant. ceterum brevi Africae calamitas aucta est Sigisvulti Comitis adventu, qui ad Bonifacium opprimendum magno cum exercitu Gothorum a Placidia mittebatur: prima enim expeditio parum felix odia magis Bonifacii accenderat, quam vires attriverat. ille nimirum novi belli apparatu territus, consilium jam ceperat Africae Vandalis prodendae, ut foedere cum iis icto, tantam belli molem depellere posset, et provincias cum Genserico partitus, simul Africae dominaretur. quare vix Sigisvultus Carthaginem occupaverat, quum Vandali a Baetica provincia, quam jamdiu tenebant, in Mauretaniam trajecerunt (2). eodemque tempore, quod Ecclesiae gravissimum fuit, Ariana haeresis utrumque Ducem comitata, ab utraque parte aditum sibi in Africam patefecit.

II. At dum haec impendebant, Numidia aliquamdiu pacatior fuerat, et Hippone otium Augustino obtigerat, ut operum suorum censum insti-

(1) *Cod. Theod. lib. VII. Tit. XIII. L.* 22. (2) Idat. *et* Prosp. *in. Chron.*

tueret, egregiosque Retractationum suarum geminos ederet libros, qui posteris magno usui fuere, ut scripta ejus germana dignoscerent, et quo item ordine ea emisisset, adsequerentur (3). de quorum numero haec ille ad calcem attexuit (4): *Haec Opera nonaginta tria in libris ducentis triginta duobus me dictasse recolui, quando haec retractavi: utrum adhuc essem aliquos dictaturus, ignorans: atque ipsam eorum retractationem in libris duobus edidi urgentibus fratribus, ante quam epistolas ac sermones ad populum, alios dictatos, alios a me dictos retractare coepissem.* ac subinde alia item opera partim absolvere, partim incohare potuit. nam hujus temporis est liber, quem appellavit *Speculum de testimoniis Scripturarum*, et opus magnum adversus Iuliani Pelagiani libros octo: quod imperfectum reliquit: quippe ingravescente bello, quum Sigisvultus milites suos Hipponem praesidii caussa misisset, cum his et Maximinus Episcopus Arianus advenit, eo consilio, ut caveret, ne Catholici Hipponenses Gothos Arianos in professionis suae sententiam pertraherent; quia vero hic audacius Catholicis insultabat, necesse fuit, non modo ut cum eo disputaret, sed etiam ut dicta ejus scribendo refelleret. manent Acta ejus disputationis a Notariis scripta; unde apparet rem illi fuisse cum adversario nec indocto nec indiserto, sed qui tempore abutebatur, ne contra eum Augustinus multa loqui posset. quapropter quum Maximinus post primum disputationis diem sibi Carthaginem redeundum esse dixisset, et regressus, ut a Possidio accepimus (5), *de sua multa in Collatione loquacitate, victorem se de ipsa Collatione recessisse* jactasset, ferendum hoc non duxit Augustinus; sed libris duobus singula, quae ille multis verbis objecerat, refutavit: quos libros, inquit Possidius, *si studiosi diligenter legere curaverint, procul dubio indagabunt vel quid callida et irrationabilis haeresis ad seducendum et decipiendum profiteatur, vel quid Ecclesia Catholica de divina teneat et praedicet Trinitate.* has autem inter curas nuncii etiamtum, qui Augustinum non parum solarentur, Carthagine, opinor, advenere, Dioscorum nempe Archiatrum, quem ipse et Alypius satis nossent, praeter omnem expectationem ac miro plane modo Christianum factum esse. nam, quum ejus filia, quam unice amabat, gravissimo morbo aegrotaret, voto se obligasse, si ea convaluisset, se Christianis sacris accessurum: at quum illa repente confirmata esset, dissimulare ausum, quod vovisset; itaque oculis ipsum esse captum, illico tamen sensisse, unde hoc esset, atque adeo vovisse iterum, quod ante Deo promiserat, ac lumine statim recepto, implevisse votum. sed rursum quum ad Baptismum accederet, nihil de reddendo symbolo laborasse, ejusque rei ergo in paralysin incidisse, captum pene omnibus membris et ipsa lingua. demum somnio admonitum quum resipuisset, scripto indicasse, eam neglecti symboli poenam fuisse, idque jam a se apprime teneri: post haec autem usum

(3) Aug. *in prol. Retract.*
(4) *Retr. lib. II. c. 67.*
(5) *in vit. Aug. c. 17.*

quidem membrorum recepisse, lingua tamen haesitasse. haec paullo fusius Alypio seni Augustinus (6).

II. Interea Vandali Alanis Gothisque permixti, quos ex omni aetate et conditione ad octoginta millia in Tingitaniam transmisisse (7) constabat, minime ea provincia contenti, Mauretaniae Caesareensi ferrum jam et flammam minitabantur, in Sitifensem provinciam inde, atque in Numidiam invasuri. itaque summa ubique erat trepidatio, nec quid consilii capiendum esset, satis videbant. sed fuga demum plerique incendia et caedes vitanda censuerunt: quae res Episcopos ancipiti cura distraxit, incertos, utrum profugos sequerentur, an cum iis manerent, qui domi hostem opperiebantur. ex his duo Numidiae Episcopi Quodvultdeus et Honoratus Augustinum consulendum duxere, quid praestare ipse existimaret. primus autem ad eum scripserat Quodvultdeus, cui se respondisse testatur (8), *Nec eos esse prohibendos, qui ad loca, si possunt, munita migrare desiderant; et ministerii nostri vincula, quibus nos Christi caritas adligavit, ne deseramus Ecclesias, quibus servire debemus, non esse rumpenda.* quum porro crederet, epistolam suam a Quodvultdeo vulgatam, ceteris documento esse, quid ipse in communi periculo faciendum sentiret, alias ab Honorato Thiabensi litteras accepit, qui eandem illi quaestionem proponebat. cui rescribens, commemoratis iis, quae nuper ad Quodvultdeum respondens disseruerat, *Restat*, ajebat, *ut nos, quorum ministerium quantulaecumque plebi Dei ubi sumus manenti ita necessarium est, ut sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino, Esto nobis in Deum protectorem et in locum munitum.* quia vero Honoratus iteratis litteris quaedam ex aliorum sententia, quaedam ex sua opposuerat, totam quaestionem accuratius pertractavit, et Athanasii exemplo usus, quae fuga probari posset, ostendit. *Quicumque*, inquit (9), *isto modo fugit, ut Ecclesiae necessarium ministerium illo fugiente non desit, facit, quod Dominus praecepit, sive permisit. qui autem sic fugit, ut gregi Christi ea, quibus spiritaliter vivit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem, et fugit, quoniam non est ei cura de ovibus.*

(6) *epist.* 227.
(7) Vict. Vit. *Pers. Vand. lib. I. c.* I. v. *Hist. Archiep. Vpsal. lib. xv. c.* 19.
(8) *epist.* 228. *n.* I.
(9) *ibidem n.* 14.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXVIIII.

Aurelio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Fl. Dionysius, Fl. Florentius, uterque ex Oriente. Celerem Africae Proconsulem datum, leges declarant. in tantis autem Afrorum periculis, quos hostilis incursio undique premebat, non levis malorum accessio erat avaritia rectorum et curatorum publicorum, qui

Principis mentiti leges, quae hostes intacta reliquerant, dura exactione compilabant. contra quos hoc anno legatus ad Augustum est Bubulcus Comes, impetratumque, ut Valentinianus Constitutionibus suis partim ad Volusianum Praefectum Praetorio, partim ad Celerem Proconsulem datis, rem tributariam omnem ordinaret. quare hunc Celerem ex eorum numero jure putemus, quibus Carthagine quotannis, quum Albi Proconsulum citatio fiebat, a populo honoris caussa acclamabatur. morem hunc tradit auctor operis *de promissionibus et praedictionibus Dei*, quod non Prosperi Aquitani, sed Afri scriptoris omnino fuit, haec in ipso ultimo capite persequutus. *In calculis eburneis nomina Proconsulum conscripta Carthagini in foro coram populo a presenti judice sub certis vocabulis citabantur, et erat sollemnis dies Albi citatio. hi, qui avaritiam superantes rempublicam fideliter egerant absque flagitiis favoribusque, etiam absentes honorabantur: eos vero, quos rapacitas vicerat, populus conviciis sibilisque notabat.* at populo quidem id saltem solatii debebatur, ut has de Proconsulum improbitate poenas sumeret. jam vero illa gravior eodem tempore Placidiae Augustae cura fuit, ut Bonifacium, quem decepta pessimo publico hostem fecerat, cognita fraude, sibi atque Imperio placaret (1). rei tantae caussa Darius Comes, vetus Augustini amicus, delectus est, qui statim in Africam advolavit, acturus cum Bonifacio, ut privatas inimicitias reipublicae condonaret, et qua erat auctoritate apud Gensericum, operam omnem in eo poneret, ut Vandalos ille suos in Hispaniam reduceret. quod Augustinus, ut de ejus adventu certior est factus, litteris ad eum missis, quam illi succedere optaret, protinus significavit. *Majoris est gloriae*, ajebat (2), *ipsa bella verbo occidere, quam homines ferro; et adquirere vel obtinere pacem, pace non bello. nam et hi, qui pugnant, si boni sunt, procul dubio pacem, sed tamen per sanguinem quaerunt. tu autem ne cujusquam sanguis quaereretur, es missus. est itaque aliis illa necessitas, tibi ista felicitas. proinde Domine merito illustris et magnificentissime, atque in Christo carissime fili, gaude isto tuo tam magno et vere bono, et fruere in Deo, unde sumpsisti, ut talis esses, et talia gerenda susciperes. confirmet Deus quod per te operatus est in nobis.*

II. Illud sane Dario datum videtur, ut et Bonifacium Placidiae atque adeo reipublicae reconciliaret, et Vandalos ipsos pactis induciis cohiberet. nam Augustino rescribens, *Si non extinximus*, inquit (3), *bella, certe distulimus, et Deo opitulante omnium Principe, quae jam usque ad quemdam calamitatum apicem increverant mala, sopita sunt.* in quo tamen Episcoporum etiam nonnullorum adlaboravit industria, quos Augustinus in Italiam navigasse cum Alypio significat (4). at quamquam Bonifacius, illatas injurias oblitus, de Africae salute plurimum laborabat; efficere tamen non potuit, ut quos semel in opimas provincias acciverat,

(1) Procop. *B. Vand. lib. I.*
(2) *epist.* 229. *n.* 2.
(3) *inter Aug. epist.* 230. *n.* 2.
(4) *epist.* 222. *n.* 3. *et* 224. *n.* 2.

ii, quacumque conditione oblata, de reditu in Hispaniam cogitarent. quamobrem rupto foedere, quod inimicorum suorum ulciscendorum caussa cum illis pepigerat, ad arma se vertit, ac terrorre belli, si posset, depellere statuit. et magnum sane ob multorum proeliorum felicitatem, ac rei militaris scientiam Bonifacii nomen erat: sed non is Gensericus, quem rerum ab aliis gestarum fama deterreret. itaque Bonifacii occursum non modo non declinavit, sed etiam appetivit. nam quum in Mauretania degeret, in Numidiae finibus utrumque exercitum congressum esse apparet. nec vero diu anceps victoria fuit: tantum enim Vandalorum robur, tantam constantiam fuisse scimus, ut Romanus exercitus loco cedere, atque Hipponem Regium se recipere coactus sit, multis Numidiae oppidis in hostium potestatem redactis, qui jam Hipponem quoque obsessuri videbantur. quo in periculo Bonifacius munire urbem et copias parare coepit, ut dum auxilia ex Italia arcesseret, obsidionem quam diutissime fieri posset, sustineret.

III. At barbari, quum jam Africam hostilem terram haberent, et foedifragos Poenos ulcisci vellent, incredibile dictu est, quanto incolis acerbiores esse coeperint, et quanto majora ubique crudelitatis suae vestigia reliquerint. describit haec proximus horum temporum Vitus Vitensis, et *Quanti,* inquit (5), *tunc ab eis praeclari Pontifices et nobiles Sacerdotes diversis poenarum generibus exstincti sunt, ut traderent si quid auri vel argenti proprium vel Ecclesiasticum haberent? et dum quae erant, urgentibus poenis facilius proderentur, iterum crudelibus tormentis oblatores urgebant, autumantes quamdam partem, non totum esse oblatum: et quanto plus dabatur, tanto amplius quempiam habere credebant. aliis palorum vectibus ora reserantes, foetidum coenum ob confessionem pecuniae faucibus ingerebant, nonnullos in frontibus et tibiis, nervis remugientibus, torquendo cruciabant. plerisque aquam marinam, aliis acetum, amurcam liquamenque et alia multa atque crudelia tamquam utribus imbutis ori apposita sine misericordia porrigebant. non infirmior sexus, non consideratio nobilitatis, non reverentia sacerdotalis crudeles animos mitigabat: quin imo ibi exaggerabatur ira furoris, ubi honorem conspexerant dignitatis.* haec Vitus et alia hujusmodi multa complexus, quae sine lacrimis commemorari vix possint: quamquam ea vel levia malorum initia putaro possis, si cum iis compares, quae deinde Arianae haeresis propagandae caussa Catholicis intulerunt. inter haec tamen fuga arrepta multi sibi consuluere, quos vel deserta loca receperunt, vel munitae urbes servarunt. Possidius ipse Calamensis cum aliis Episcopis finitimis Hipponem se confugisse testatur (6): quo eum divinitus deductum dixerim, ut praeclaras Augustini virtutes usque ad exitum ejus praesens cognosceret, et egregia sanctissimi Episcopi facta optimus idem testis atque auctor describeret. ad quem quum venisset, tanto eum moerore ob Ecclesiarum

(5) *Hist. Pers. Vand. lib. I. c. 2.* (6) *in vit. Aug. c. 28. extr.*

calamitatem confectum reperit, nullum ut reliquum ei solatium, nisi in precibus et fletu atque luctu esse videretur. *Fuerunt*, inquit (7), *ei lacrimae panes die ac nocte, amarissimamque et lugubrem prae ceteris suae senectutis jam pene extremam ducebat ac tolerabat vitam.* tum quae ille maxime lugeret, recensens, *Videbat*, ait, *ille homo Dei civitates excidio perditas, pariterque cum aedificiis villarum habitatores, alios hostili nece exstinctos, alios effugatos atque dispersos. Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras et quosque continentes ubique dissipatos; et in his alios tormentis defecisse, alios gladio interemptos esse, alios in captivitate, perdita animi et corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hostibus deservire: hymnos Dei et laudes de Ecclesiis deperisse: aedificia Ecclesiarum quamplurimis locis ignibus concremata; sollemnia, quae Deo debentur, de propriis locis desiisse sacrificia, sacramenta divina vel non quaeri, vel quaerenti qui tradat non facile reperiri. in ipsas montium silvas et cavernas petrarum et speluncas confugientes, vel ad quasque munitiones, alios fuisse expugnatos et interfectos; alios ita necessariis sustentaculis evolutos atque privatos, ut fame contabescerent: ipsosque Ecclesiarum Praepositos et Clericos, qui forte Dei beneficio vel eos non incurrerant, vel incurrentes evaserant, rebus omnibus exspoliatos atque nudatos, egentissimos mendicare, nec eis omnibus ad omnia, quibus fulciendi essent, subveniri posse.*

IIII. Huc nempe tot Augustini labores, tot ejus et collegarum curae reciderant, ut florentissimae illae Ecclesiae, longo annorum spatio constitutae, primo barbarorum impetu non modo splendorem suum, sed etiam statum ipsum et vitam amitterent. quare sanctorum Episcoporum ea conditio fuit, quae vinitorum et agricolarum est, quum gravi diuturnaque annuae culturae opera vix defuncti, immisso in vineta repente atque in agros incendio, omnia late conflagrare absumique conspiciant. ceterum Augustinus ne hunc quidem annum tantis calamitatibus tristem sine aliquo litterarum suarum monumento praeterire passus est. ad haec enim pertinent tempora libri duo *de Praedestinatione Sanctorum*, quos Prosperi et Hilarii studiis obsequutus adversus Massilienses conscripsit Pelagiana tum labe infectos: postquam nempe a Prospero epistolam accepisset de reliquiis Pelagianae haereseos in Gallia subolescentibus. deinde, praeterquamquod incohatum jamdiu contra Iuliani libros postremos opus, de quo superius meminimus, etiamtum urgebat, quum a Quodvultdeo Diacono Carthaginiensi rogatus saepe fuisset, ut de haeresibus scriberet, et quod contra Ecclesia Catholica teneret, breviter adnotaret (8), haud levem laborem eo animo suscepit, ut brevi absoluturus videretur, si ei vita suppeditasset. *Erunt*, inquit (9), *primae partes operis hujus de haeresibus, quae post Christi adventum et adscensum adversus doctri-*

(7) *idem ibid.*
(8) *inter Aug. epist. 221. et 223.*
(9) *de haeres. in praefat.*

nam ipsius exstiterunt, et utcumque nobis innotescere potuerunt. in posterioribus autem partibus, quid faciat haereticum, disputabitur. et priores quidem partes et perfecit et misit, illud addens, volumen se primum ad Carthaginiensem Ecclesiam perferendum curasse, ut illud quicumque legerent, ad id, quod restabat, implendum, quum permagnum esset, adjumenta sibi a Deo precibus impetrarent. sed eum jam Deus caelo destinaverat, neque ei datum est, ut reliquas Operis partes persequeretur.

v. Interea Carthagine, quo Vandali nondum adspirare ausi fuerant, metus quidem futuri mali civium animos sollicitos habebat; Ecclesiae tamen res satis laetae ac nullo casu eventuque turbatae, procedebant: quum magna incidit luctus caussa, Aurelii Pontificis mors, quem XIII. kal. Aug. obiisse, indicio est signata eo die in Kalendario Carthaginiensi *Depositio sancti Aurelii Episcopi.* annum autem ejusdem emortualem hunc fuisse, litterae ostendunt, quae anno insequenti Constantinopoli ad successorem ejus missae fuere, quibus ad Concilium Ephesinum vocabatur. enimvero quem non indoluisse credamus, tanto viro amisso, quo auctore Catholicum nomen, dissidio sublato, Africam impleverat, mores Christianorum sanctissimis legibus conformati fuerant, haereses nefariae in ipso ortu compressae aut depulsae vires amiserant, Cleri dignitas Conciliorum auctoritate aucta eminebat, Ecclesia omnis ad summum decus splendoremque pervenerat? divino tamen beneficio factum est, ut in Clero Carthaginiensi vir summus inveniretur, qui decessori non impar tantum Pontificatum et merito susciperet, et magna cum laude administraret. is fuit Capreolus non minus vitae sanctitate quam doctrinae commendatione clarus, et in Aurelii disciplina educatus ad omnem virtutem atque laborem, qualem Ecclesiae tum praeesse Episcopum oportebat, quo tempore jugum acerbissimae servitutis Africae universae impendebat.

vI. De Hilario, quem superius cum Prospero commemoravimus, adnotari juvat, alium eum a Siculo fuisse, qui litteras ad Augustinum e Sicilia misit, jam natu grandis (10), quum ipse parentes superstites ciens juniorem se ostendat. atque hic quidem e Massilia scribere videtur: sed aliquando in Africa esse versatus (11). nam propositis iis, quae tum in Gallia de Augustini in Pelagianos scriptis disputabantur, haec officiose subjiciens (12), *Nolo autem, inquit, sanctitas tua sic me arbitretur haec scribere, quasi de iis, quae nunc edidisti, ego dubitem. sufficiat mihi poena mea, quod a praesentiae tuae deliciis exulatus, ubi salubribus tuis uberibus nutriebar, non solum absentia tua crucior, verum etiam pervicacia quorundam, qui non tantum manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt.* postrema vero hujus epistolae sunt hujusmodi: *Sciat sanctitas tua, fratrem meum, cujus maxime caussa*

(10) v. *an.* 414. *n.* 4.
(11) *epist inter August.* 226.
(12) *ibid. n.* 10.

hinc discessimus, cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam devovisse. unde rogamus sanctitatem tuam, ut orare digneris quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare et custodire dignetur. quae omnia ad Hilarium Pontificem Arelatensium, ut quidam olim putabant, pertinere non possunt, de quo Prosper (13) ad Augustinum scripsit: *Sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum sciat beatitudo tua, admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuae esse doctrinae: et de hoc, quod in querelam trahit, jampridem apud sanctitatem tuam sensum suum velle conferre,* de controversiis nempe, quae de divini auxilii necessitate agitabantur.

(13) *epist. inter August.* 225. *n.* 9.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXX.

Capreolo Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum Augusti susceperunt, Imp. Fl. Theodosius junior XIII. Imp. Fl. Placidius Valentinianus III. quo anno ille Imperii sui Tricennalia, hic Quinquennalia celebravit. pacatam id temporis provinciam Byzacenam eique proximam Proconsularem, Valentiniani lex prodit, qua XV. kal. Mart. constituit, ut quod dudum Byzacenis tribuerat, ut apud eos horreorum publicorum custodiam Curiales suscipere possent, id Principales provinciae Proconsularis sibi negatum esse docerentur (1). at vero reliqua Africa, qua in Occidentem porrigitur, non modo otio, sed etiam libertate carebat, ut in ipsa provincia Numidia, quae Proconsularem attingebat, duae tantum urbes barbaris clausae essent, Cirta et Hippo Regius, quae se moenibus et propugnaculis tuebantur.

II. At mense Majo ad Hipponem usque progressi Vandali, eam obsidione cinxerunt; mari quoque intercluso, ut commeatu omni prohiberent (2). quam tamen Bonifacius omni rerum copia mature instruxerat, ut obsidionem ultra annum sustinere facile posset. atque ille quidem eorum nihil omittebat, quae Ducem egregium et rei militaris peritissimum decerent. Augustinus vero cum Episcopis, qui eo confugerant, caelestia jam spectans, Ecclesiam suam Deo commendabat, eumque precibus et lacrimis placare conabatur. *Nobiscum,* inquit Possidius, qui aderat (3), *saepissime colloquebamur, et Dei tremenda judicia prae oculis nostris posita considerabamus, dicentes, Iustus es Domine, et rectum judicium tuum: pariterque dolentes, gementes et flentes orabamus miserationum patrem et Deum omnis consolationis, ut in eadem nos tribulatione sublevare dignaretur.* sed tanta illa rerum conversio, et funestus urbis adspectus ac quotidianarum cladium nuncii mitem illum atque misericordem Augustini animum maxime perculerunt. *Tunc,* ut ait

(1) *Cod. Theod. lib.* XI. *Tit.* VI. *L.* 33.
(2) Possid. *in vit. Aug. c.* 28.
(3) *ibid. c.* 28. *extr.*

Vitus Vitensis (4), *illud eloquentiae, quod ubertim per omnes campos Ecclesiae decurrebat, ipso metu siccatum est flumen, atque dulcedo suavitatis dulcius propinata in amaritudinem absynthii versa est.* exinde preces ejus ad Deum fuere, ut aut civitatem depulsis hostibus ab obsidione liberaret, aut ad ea perferenda, quae ipse statuisset, fortes suorum animos redderet, aut certe se de hac vitae statione evocatum in caelum reciperet. nec irrita sane ulla ejus vota fuisse comperiemus. sed quod tertium ille rogabat, hoc Deus primum non modo exaudivit, sed etiam implevit. nam, ut Possidius scribit (5), *Ecce tertio illius obsidionis mense decubuit febribus fatigatus, et illa ultima exercebatur aegritudine.* quo tempore aegrotus in somnis admonitus ad eum aegrotum venisse dicitur; qui quum manum sibi ab eo imponi postulasset, et ille morem gessisset, repente convaluit. erat autem Augustini per eos dies decumbentis una tantum cura, ut Deo supplicaret, et quod ab unoquoque vel sanctissime acta vita praestandum tradiderat, ut ante mortem omnem poenitentis animi ritum expleret. itaque ob id etiam, inquit Possidius (6), *Sibi jusserat psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de poenitentia, scribi, ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos diebus suae infirmitatis intuebatur et legebat, et jugiter ac ubertim flebat: et ne intentio ejus a quoquam impediretur, ante dies ferme decem, quam exiret de corpore, a nobis postulavit praesentibus, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel quum ei refectio inferretur.* nec vero ei de testamento faciendo cogitandum fuit: pauper enim vixerat, nec quod suum posset dicere, habebat quidquam: Ecclesiae Bibliotheca omnesque codices ut in posterorum usum diligenter custodirentur, saepe mandarat: ejusdem ornamentis instrumentoque omni adservando Presbyter praepositus erat: et qui monasteriis praefecti fuerant, ipsi quoque, tamquam Ecclesiae res, cum reliqua omnia bona, tum libros et sermones ejus ceterorumque Patrum servare debebant. quare labe jam omni expiata, diem denique suum V. kal. Sept. obivit: quem diem et Prosper consignavit, et Ecclesia Romana memoriae ejus dicatum recolit: quamquam Kalendarium Carthaginiense nomen ejus in diem proximum posteriorem retulit, quo exsequiae actae sunt. de ipsa morte et funere Augustini Possidius haec addidit (7): *Membris omnibus sui corporis incolumis, integro adspectu atque auditu, et ut scriptum est, nobis adstantibus et videntibus et cum eo pariter orantibus, obdormivit cum patribus suis, enutritus in bona senectute: et nobis coram pro ejus commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, et sepultus est.* et de aetate ejus, *Vixit*, inquit, *annis septuaginta sex, in Clericatu autem vel Episcopatu annis ferme quadraginta.*

(4) *Pers. Vand. lib. I. c.* 3.
(5) *ibid. c.* 29.
(6) *ibid. c.* 31.
(7) *ibid. c.* 31.

III. Fama interea tanti viri excessum per Africam perque orbem Romanum nunciante, nemo fuit, qui non maximum Ecclesiae lumen exstinctum esse fateretur. quis enim ignorabat, quantus ille Episcopus fuisset, quos pro Ecclesia labores exantlasset, quibus cum hostibus decertasset, quot victorias retulisset, quot virtutis et sapientiae suae monumenta reliquisset? lugebat vero in primis, et facta ejus atque dicta flens commemorabat Ecclesia Carthaginiensis saepe ejus sermonibus exemplisque erudita, atque ad omnem pietatem excitata: lugebant monasteriorum familiae omnes, quibus sanctioris vitae praecepta dederat, et pacis concordiaeque auctor ad optima quaeque obeunda quasi facem praetulerat. unum omnibus solatium, nec leve, tamen erat, quod scripta ejus manerent, in quibus quodammodo Augustinus vivere videretur; idque iis omnibus saluberrimum, qui in ejus libris, non errorum suorum suffragationem delirantes scrutati sunt, sed sapienti consilio constantem doctrinam ejus et Catholicae professionis scita quaesiverunt.

IIII. Sub anni finem, quum nondum Constantinopoli audita Augustini mors esset, litterae in Africam a Theodosio Augusto mittebantur ad Capreolum Episcopum, quibus Augustini praesentiam peculiari ratione efflagitabat (8), ut Concilii Ephesini pars maxima esset, quod in diem VII. idus Iunias anni insequentis indictum erat, id est in Pentecosten, quae die mensis illius septimo celebrata est. ceterum litterae illae Capreolo redditae sunt Aprili mense anni, qui hunc proxime consequutus est, octavo post mense, quam Augustinus e vivis excesserat: quas tamen Augustus XIII. kal. Decembres hoc anno dictaverat.

(8) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1419.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXI.

Capreolo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules prodiere Fl. Antiochus, Anicius Bassus, hic in Occidente, ille in Oriente. quinam in Africa rempublicam jam prope desperatam administrarent, minus liquet: ac ne illud quidem novimus, quis militaribus copiis praeesset, quae Carthaginem et Proconsularem provinciam tuebantur. Bonifacius certe aberat, Hippone clausus, ubi octavum jam mensem obsidione premebatur. ibidem Heraclium, quem Augustinus populi consensu quinquennio ante sibi successorem destinaverat, a Possidio ceterisque Episcopis, quos illuc ante obsidionem confugisse diximus, rite consecratum esse, et Pontificatus honore auctum, in ambiguo esse non debet. quae vero ceterorum Episcoporum conditio fuerit, quos barbarorum incursio praeoccuparat, facile quis adsequi ex iis potest, quae Vitus Vitensis de nonnullis retulit. nam Hipponis obsidione nondum commemorata, *Tunc*, inquit (1), *et nostrae civitatis venerabilis Papinianus An-*

(1) *Pers. Vand. lib. I. c.* 3.

tistes, candentis ferri laminis toto adustus est corpore: similiter et Mansuetus Uricitanus in porta incensus est Furnitana. qui quum a Mauretania et Numidia, in quas hactenus barbari impetum fecerant, longe distarent; primus enim ad provinciam Byzacenam, alter ad Proconsularem pertinebat: planum est, Vandalos late, qua libuit, id temporis excurrisse, sive ut praedas agerent, sive ut terrore omnia complerent. quapropter cuinam tutum in Numidia perfugium fuisse dicemus, cui tantus hostium exercitus incubabat? aut quem in Mauretaniis jugum vitasse servitutis credamus, quas hostes cum familiis suis primas invaserant? clarissimus tamen Numidicorum Episcoporum Alypius, qui jam senex atque suae Primatum provinciae adeptus (2), sub initium belli in Italiam reipublicae, ut creditur, caussa transmiserat, hic, opinor, consenuit, compositusque est. quid enim gravis annis in Africam remearet belli incendio flagrantem, aut quid Tagastam suam repeteret, quae igne ferroque vastata conciderat (3)?

II. At vero Capreolus Carthagine, quo nondum barbarica clades ingruerat, quum Paschalia sollemnia obiret, quae hoc anno XIII. kal. Majas acta sunt, Theodosii Aug. litteras synodum Ephesinam indicentes accepit, ad quam Augustinus potissimum arcessebatur. quid autem secum ipse deliberarit, conatusve sit, narrat idem, ad Patres Ephesi congregatos scribens, his verbis (4): *Ego*, inquit, *regiam illam significationem, licet ad praedictum Augustinum praecipue destinata videretur, excipiens, missis ad universas Africae provincias congruis litteris consuetisque sermonibus, synodum cogere volui convenientem; quo nimirum ex fratrum et Episcoporum nostrorum numero seligerentur nonnulli, qui ad venerabilem beatitudinis vestrae synodum destinarentur. at omnis hac tempestate viae aditus praeclusus est. etenim effusa hostium multitudo, et ingens ubique provinciarum vastatio, quae incolis partim exstinctis, partim in fugam actis, miseram desolationis speciem quoquoversum longe lateque porrigitur, oculis offert, promtam illam veniendi facultatem reprimit. his itaque impedimentis Episcopi, quibus propositum id erat, prohibiti, ex Africae ambitu convenire nequiverunt.* addit deinde, vel si omnia pacata fuissent, tamen ob temporis angustias futurum non fuisse, ut et synodus cogi et legatio Ephesum in diem praestitutum mitti posset. *Hinc*, inquit, *factum est, ut licet sollemnem aliquam legationem mittere nequaquam valuerimus; attamen propter reverentiam et observantiam, quae Ecclesiasticae disciplinae debetur, filium meum Besulam Diaconum una cum his excusationis litteris ad vos, venerabiles fratres, destinaverimus.* porro Besulam secunda navigatione usum ante Pentecosten Ephesum pervenisse, atque in synodum a Patribus admissum Episcopi sui litteras exhibuisse, Concilii ejus Acta declarant: unde etiam discimus, eas recitatas esse, et Cyrilli jussu Actis

(2) Aug. *epist.* 227.
(3) Possid. *in vit. Aug. c.* 28.
(4) Hard. *Conc. T. I. p.* 1419.

insertas, quod dilucidam sententiam continerent. nam disertissime Capreolus contra haereticorum novitates quid sentiret, sic aperiebat: *Vestram sanctitatem iterum atque iterum rogatam cupio, etiamsi fidem Catholicam per tantam venerandorum sacerdotum synodum, Dei nostri auxilio in omnibus stabilem ac firmam futuram certo confidam, ut Spiritu sancto cooperante, quem cordibus vestris in omnibus, quae acturi estis, praesto futurum non dubito, novas doctrinas et antehac Ecclesiasticis auribus insinuatas, priscae auctoritatis robore instructi e medio profligetis: atque ita quibuscumque novis erroribus resistatis; ne hos, quos pridem impugnavit Ecclesia, hisque temporibus repullulantes Apostolicae Sedis auctoritas, sacerdotumque in unum consonans sententia oppressit, secundae disputationis praetextu vox jamdudum ablata renovare videatur.* quibus verbis Pelagianos designabat Nestorii patrocinio et societate subnixos, qui novum de doctrina sua judicium institui postulabant. contra quos haec item addebat: *Nam si quid forte novarum controversiarum inciderit, id discussioni subjiciatur, oportet: ut vel recte dictum comprobetur, vel condemnatione dignum explodatur. at vero, si quis ea, quae jam olim dijudicata sunt, denuo in disputationem vocari sinat; is sane aliud nihil facere censebitur, quam de fide, quae hactenus valuit, ipsemet dubitare.*

III. Iam, dum Ephesi Patres, Nestorio damnato, et Pontificatu abire jusso, Ecclesiae rebus consulebant, Hipponenses in Numidia quartum et decimum obsidionis suae mensem numerabant, neque deditionis spem ullam hostibus ostendebant. itaque Vandali, quum inopia rei frumentariae laborare coepissent, neque urbem irruptione superari posse animadverterent, obsidionem denique solverunt, atque in mediterranea recessere. Bonifacius vero, quum paullo post auxiliares copias ex Italia accepisset (5), Aspar quoque a Theodosio submissus exercitum ab Oriente adductum cum eo consociasset, Vandalos rursum aggredi statuit, satis sibi virium jam esse ratus, ut barbaris ejectis Africam liberaret. Hipponenses interea sibi quodammodo revixisse videbantur, et quidquid erat libertatis usurpantes, res suas minore jam metu curare poterant. illic id temporis Possidius ad vitam Augustini scribendam se contulisse creditur, et utilem Operum ejus indicem addidisse libellum, quae tamen paullo serius absoluta vulgavit, ea se tradere professus (6), quae in eo ipse vidisset, ab eoque audivisset. quae vero reliquos Episcopos tum curae exercuerint, eos potissimum, qui ex Augustini schola prodierant, extorrium populorum misera conditio suggerit, quibus tam sanctos viros, quacumque ratione possent, opem auxiliumque attulisse merito existimaveris.

IIII. Augustini funus, quod anno superiore enarravimus, consequuta hoc anno est mors Paullini Episcopi Nolani: ne diutius alter inter mortales versaretur, dum alter immortalibus additus beatum amico aevum optabat, quo ipse fruebatur. decessit autem Paullinus X. kal. Iul. apud

(5) Procop. *B. Vand. lib. I. c. 3.* (6) *in vitae praefat.*

aedem sancti Felicis, quem semper maximo in honore habuerat: ejusque funus omnium ordinum frequentia et lacrimis honestatum est (7).

(7) Uran. apud Surr. *de Obit. Paull.* §. 6.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXI.

Capreolo Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gesserunt Fl. Valerius in Oriente, Fl. Aëtius in Occidente. his Consulibus, quum spes aliqua esset, Vandalos, Bonifacii et Asparis exercitibus deterritos, in Mauretanias concessuros; Gensericus copiis ad praelium eductis Romanos maxima clade affecit, eorumque ingentem numerum in servitutem abduxit, quos inter Marcianus quoque, cui deinde imperium obtigit, fuisse dicitur (1). ceteri se in fugam conjecere: atque ipsi duces, quum se a suis deseri viderent, actum esse de Africa judicarunt: itaque Aspar quidem in Orientem, Bonifacius in Italiam rediit: et hic quidem Ravennam a Placidia vocatus, magno in honore habitus est: sed quum, Aëtio depulso, in locum ejus successisset, paucis post mensibus, inito adversus Aëtium conflictu (2), de vulnere, quo fuerat percussus, interiit. Africa vero omnis permissa barbaris, hostium immanissimorum avaritiam opibus, crudelitatem sanguine explevit: ut urbes jam duae tantum reliquae essent in tanta illa provinciarum amplitudine atque oppidorum frequentia, in quas hostilis exercitus non irruisset. eae erant Cirta et Carthago: nam Hipponenses, quum victum rursus Bonifacium et exercitus caesos audivissent, moenibus suis, raro jam praesidio, parum fidentes, urbem deserendam duxerant; quam deinde hostes vacuam incenderunt. nam illi quidquid earum habebant, asportaverant: ipsa etiam Augustini sui scripta et omnem Bibliothecam: in quo illi de Ecclesia universa optime meriti sunt.

II. Carthagine interea Capreoli studium eminebat populum quotidie hortantis, ut Deum poenitentia placaret, emendatisque moribus ac pietate revocata, excidium ab urbe prohiberet. nam ejus in primis sermo esse fertur (3) *de tempore barbarico*, quem olim majores Augustino tribuebant: in quo ille, quum satis multos esse agnosceret, qui ob admissa scelera gemerent ac dolerent, queri tamen coactus est, magno etiamtum numero esse, qui voluptatibus dediti, tanto in periculo nihil commoverentur. *Inter tantas*, inquit (4), *angustias et in ipso fine rerum posita est provincia, et quotidie frequentantur spectacula: sanguis hominum quotidie funditur in mundo; et insanientium voces crepitant in circo.* quae ab eo prolata mense Martio videntur, quippe qui ante paucos dies natalitia celebrata dicit (5) Martyrum Perpetuae et Felicitatis et

(1) Auct. *de promiss. lib. III. c.* 5.
(2) Idat. *et* Marcell. *in Chron.*
(3) Till. *H. E. T. XVI. p.* 497.
(4) *post sermon. Aug. c.* I.
(5) *ibidem c. V. n.* 6.

comitum. multa autem egregie sacris e litteris delibavit, quae duros animos vincere, et ad virtutem sectandam traducere possent: sed illud etiam curae fuit, ut populum de Catholica professione admoneret, et contra Vandalorum haeresim divinae religionis praesidio armaret. *Cavete*, inquit (6), *dilectissimi, Arianam pestem: non vos separent a Christo terrena promittendo, propter tunicam non vos exspolient fide. membra Christi servate unitatem atque integritatem unius tunicae, quam nec persequutores Christi ausi sunt scindere. nolite injurias irrogare capiti vestro: pro vobis ille mortuus est, ne vos moreremini. quem Christus per Baptismum vivificavit, quare eum Arianus rebaptizando occidit?* et quae deinceps.

III. Besulam Diaconum Epheso reversum Concilii Acta ad Capreolum retulisse, veri simile est. vix enim aliquid mari poterant Vandali, serius piraticam facere edocti, ut Carthaginem illum appellere non potuisse suspicemur. eodem anno nunciatum esse credibile est, Caelestinum Pontificem maximum e vivis excessisse: quem Iulio mense defunctum constat (7), postquam serpentem dudum Praedestinatianorum haeresim damnasset, quae per summam injuriam Augustini nomen doctrinamque notare videbatur: nec multo post nuncios quoque adlatos, Xystum, qui ejus nominis tertius fuit, in illius locum esse factum. quod Africanis gratum accidisse, non est ambigendum: jamdudum enim Xystus in Africa celebrabatur, et Augustini amicitia atque laudibus clarus erat (8).

(6) *ibidem c. VII. n.* 10.

(7) v. Pag. *ad hunc an. n. I.* Phot. *Bibl.* c. 54. Sirmond. *Hist. Praedest. c.* 3.

(8) v. Aug. *epist.* 191. *et* 194.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXIII.

Capreolo Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum suscepit Imp. Fl. Theodosius XIIII. eique collega in Occidente datus est Fl. Anicius Petronius Maximus. quinam in Africa umbram Romani Imperii sustinerent, ignoramus. sed nemo certe jam erat, qui contra hostes in aciem dimicationemque venire posset: ac beati Carthaginienses atque Cirtenses habebantur, quod moenibus cincti animos et impetus hostium retardarent. sed tamen in illis vel angustiis rerum vel asperitatibus temporum magnum plane labantis Ecclesiae columen fuit Capreolus, et vitae sanctitate et doctrinae copia longe praestans: de quo fama in Hispaniam quoque permeaverat. quamquam autem vix pauca quaedam de eo ad nos pervenerunt, quantus apud suos visus esset, caelestes honores, qui ei a morte decreti sunt, luculenter testantur. nomen enim ejus in Kalendario Ecclesiae Carthaginiensis adhuc legimus, quae memoriam Episcopi sui Iulio mense quotannis recolebat. ipsae vero epistolae, quae ab eo scriptae manent, doctum omnino virum et Catho-

licae integritatis studiosissimum produnt: quo nomine eum et Vincentius Lirinensis (1) et Ferrandus Diaconus maxime commendarunt (2).

II. Quum autem tantum malorum in Africam a Vandalis importatum esset, divino consilio factum quoque est, ut inde boni etiam aliquid afferretur. nam illi, si Salviano fides (3), *ita errantes emendaverunt, ut factum eorum medicina esset, poena non esset. jusserunt siquidem et compulerunt omnes ad maritale thorum transire meretrices. in quo*, ait idem, *non id tantummodo provisum est, ut viros feminae haberent, quae sine viris esse non possent, sed etiam ut per conservatores domesticos salvae essent, quae seipsas servare nescirent; et adhaerentes jugiter gubernaculo maritali, etiamsi ad improbum eas facinus consuetudo anteactae impuritatis illiceret, conjugalis tamen custodia ab improbitate prohiberet.* atque id parum Vandalis visum, quo egregiae virtutis custodes simul et vindices haberentur. *Addiderunt quoque*, inquit Salvianus (4), *ad libidinem comprimendam severas pudicitiae sanctiones, decretorum gladio impudicitiam coërcentes, ut puritatem scilicet utriusque sexus et domi connubii servaret affectus, et in publico metus legum: ac sic duplici praesidio castimonia niteretur, quum et intus esset quod amaretur, et foris quod timeretur.* quae utique laudi verterem Vandalis, nisi illud constaret, nequam homines et impios crudelissimosque simulatione virtutis invidiam, qua flagrabant, minuere voluisse.

(1) *in Commonit. II. n. 42. et 43.*
(2) *epist. ad Pelag. et Anat. p. 254. etc.*
(3) *lib. VII. de Provid. Dei*
(4) *ibid. sub. fin.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXIV.

Capreolo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Fl. Aspar, Fl. Areobindus, hic in Oriente, ille in Occidente. legatos id temporis a Carthaginiensibus in Italiam, qui ad Principem de urbis suae discrimine referrent, auxiliumque ejus implorarent, Asparis Consulis transmissio in Africam declarat, qui hoc anno Carthagine fuit. hic vero mandata accepisse videtur, ut de pace facienda cum Vandalis ageret, inquireretque, quibus conditionibus ea res transigi posset. quae dum curaret, visum Carthagine prodigium est, quod auctor libri de promissionibus et praedictionibus Dei litteris consignavit (1). Arabs nempe adolescentula, quae non modo Christiana esset, sed ipso habitu cultuque se Dei ancillam profiteretur, quum lavandi caussa in balneum venisset, in quo Veneris simulacrum prostabat, idque misera saepe contemplata, formam ipsa suam, comparans, citra pudorem et pudicitiam adamasset; repente mali daemonis hospes facta, excruciari coepit, occupatisque angore faucibus ad septuaginta dies cibo potuque prohibita est. vulgata jam omnibus puellae poena erat, quum eam pa-

(1) *de promiss. lib. III. c. 6.*

rentes ad Capreolum Episcopum deduxerunt, isque in monasterium puellarum transtulit, et Praeposito commendavit. quintodecimo die, quum illuc in templum, in quo sanctissimi Protomartyris Reliquiae erant, Episcopus sacrificii caussa accessisset, nec illa etiamtum cibi quidquam gustasset; eam Praepositus ad altare adduxit, ubi prostrata, quum clamaret ac fleret, adstantis et pro ea supplicantis populi fletum ac lacrimas excivit. peracto autem sacrificio, quum ei Episcopus intinctam sacramenti particulam in os indidisset, ad semihoram adstrictis aeque faucibus nulla glutiendi potestas fuit; mentum interea sustinente Episcopo, ne sancta rejiceret. auctor demum Episcopo Diaconus fuit, ut et calicem divinum gutturi admoveret: ita tandem liberatae fauces, et daemon corpore excussus, clamante puella, sibi denique esse datum, ut salutarem cibum transmitteret. mira inde laetitia populum extulit, actaeque Deo ab omnibus gratiae: probrosum vero simulacrum a Diacono diffractum et protritum est.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXV.

Capreolo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules habuit hic annus ambos Augustos, Imp. Fl. Theodosium xv. Imp. Fl. Placidium Valentinianum IIII. quod Carthaginiensibus in votis erat, pax demum cum Genserico III. idus Februarias facta, foedusque his conditionibus ictum, ut eae regiones Vandalis cederent, quibus tum insidebant, idest partes haud exiguae provinciarum trium, Proconsularis, Byzacenae et Numidiae; tributumque Valentiniano penderent, et Hunericum filium Rex obsidem daret: reliqua Africa in Augusti potestate esset, Mauretaniae scilicet, ac Tripolitana provincia, atque ex Proconsulari Carthago, ex Numidia Cirta. acta haec Hippone, tradit Prosper: quam proinde urbem restitutam postea esse, fatendum est, Vandalis poenitentia ductis, quod munitum oppidum et commeatibus percommodum incendissent. atque ea Trigetius Valentiniani nomine firmavit (1), pacis auctor necessariae magis, quam utilis; quid enim a Rege barbaro et foedifrago sperandum erat, qui et armis plurimum posset, et nulla jurisjurandi religione moveretur?

II. Ceterum Carthagine et Cirtae, et quocumque Vandali nondum adspiraverant, nunciata pace, laetitiae plurimum fuit, felicia sibi tempora spondentibus populis, quos diuturnus anxerat metus, et in voluptates jam pronis, quas antea servitutis terror moderabatur. hinc illa oborta licentia, quam Salvianus saepe perstrinxit, hinc perversi mores et contemptae leges, ac pietas religioque posthabitae, frustra reclamantibus Episcopis, monentibusque, ne Deum scelerum vindicem et jamdiu Africae

(1) Proc. *B. Vand. lib. I.* Paull. Diac. *lib. XIII. etc.*

iratum ad poenas repetendas impellerent: quorum sermones, incertis auctoribus, manent, et cum Augustinianis editi sunt (2).

(2) v. Till. *H. E. T. xvI. p.* 502.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXVI.

Capreolo Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum in Oriente susceperunt Fl. Anthemius Isidorus, Fl. Senator. ad hunc annum, qui recenti pace tranquillus esset, pertinere videtur epistola Vitalis et Constantii (1) Catholicorum Hispanorum, qui, serpente apud eos haeresi Nestoriana, Capreolum sibi consulendum censuerunt, num recte ipsi sentirent, qui novam illam doctrinam respuebant. porro salutem officiose praefati, *Illud*, inquiunt, *multum desiderii nostri fuit scribere sanctae honorificentiae tuae per dulcissimum fratrem nostrum Numinianum. reperit enim parvitas nostra praecellentem famam et doctrinam tuae sanctitatis.* tum quae illic fautores Nestorii disseminarent, paucis exponunt, et quae ipsi contra sentirent tenerentque, testimoniis usi sacrarum litterarum, subnectunt, orantes, ut veniam imperitiae daret, nec eos ignorare pateretur, quidquid de eo argumento Catholica Ecclesia profitebatur. egregium vero Capreoli responsum fuit: qui rem totam longa oratione complexus, *Jam*, inquit (2), *quod etiam ad vestram notitiam pervenisse non dubito, intra Orientis partes, ubi primum pestis ista surrexit, congregata gloriosa synodo sacerdotum, cui etiam legatio nostra non defuit, in vestibulo cum suo auctore atque adsertore compressa, et radio Apostolicae lucis exstincta est. nec mirari debet caritas vestra, si etiam post damnationem suam intermorientes spiritus foetidus adhuc flatus adspiret. est enim semper pertinax haereticorum audacia, et in sua male pernicie, urgente peccatorum pondere, perseverat.* deinde Catholica sententia proposita, divinae inhumanationis mysterium apprime explicat, et multis testimoniis confirmat. laudatis demum epistolae auctoribus, quos eruditos se agnovisse ait, sic quae praestari ab iis velit, hortando edisserit: *Instate itaque, sicut Apostolus praecepit, opportune atque importune, et doctrina sana universos errantes arguite, revocate, instruite, roborate: non mea, quae nulla aut parva sunt, habentes in hac fidei regula documenta; sed scripturarum divinarum, ac magnorum et doctissimorum virorum, qui haec ante nos et firmissime tenuerunt, et multiplicibus libris eloquentissime docuerunt.* ita Capreolus magnum Cyprianum de alienorum etiam salute laborantem imitabatur: qui si doctrinae suae fontes ne longinquis quidem interclusit, quis eum inter suos tacuisse putet, quos sibi a Deo creditos unus maxime excolere, et monitis praeceptisque salutaribus ad omnem pietatem conformare debebat?

(1) apud Sirm. *Op. Var. T. I. p.* 213. (2) *ibid. p.* 215.

II. Eodem vero tempore egregium Episcopum Cirtenses quoque habebant, a quo et vitae exemplis et doctrinae copia erudirentur. erat hic Honoratus Antoninus, qui hoc anno, quum accepisset, proscriptos a Rege Genserico atque in exsilium actos esse quatuor clarissimos Confessores, Arcadium, Probum, Paschasium et Eutychianum, quos ille jamdiu caros in aula habuerat, ac secum ex Hispania in Africam adduxerat, sed quod Arianos facere non potuisset, indignatus ejecerat, et acerbe penitusque oderat: epistolam praeclarissimam Arcadio scripsit, *ad labores*, ut Gennadius ait (3), *pro Christo ferendos hortatoriam, et exemplis praesentibus, et scripturarum relationibus roboratam: et quod confessionis fidei perseverantia non solum praeterita purget peccata, sed et meritum procuret martyrii.* manet porro Honorati epistola illa, et singulare nobis sanctissimi Episcopi studium exhibet erga fortissimos Confessores, quos sane ad victoriam usque confirmavit. multa autem de aeternis praemiis, multa de caelestibus periclitantium auxiliis loquutus, animos Arcadio sic addebat (4): *Tu autem exora, quia luctari coepisti, nec defecisti: martyrium incohasti, custodi animam tuam. adjuro te per Trinitatis Vnitatem, pro qua pateris mortem, serva cor tuum, et confirma per Spiritum sanctum, quem in te exsufflari voluisti, et quem in te honorasti. confligе fortiter per puritatem Baptismi, quod contemnere noluisti: securus esto de corona, securus pugna, donec voluerit tibi Dominus terminare victoriam. probat modo Deus animum tuum: ibi est oculus Dei, contemplatur te de hora in horam, quid agas, quid cogites, quomodo pugnes, quomodo stes.* et quae deinceps.

(3) *de vir. illustr. c.* 95.

(4) Ruin. *Hist. Pers. Vand. c.* III. *n.* 5. *P.* 2.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXVII.

Capreolo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules huic anno Occidens ambos dedit, Fl. Sigisvultum, Fl. Aëtium iterum. his Consulibus Ecclesia Africana, quacumque Gensericus dominabatur, gravi metu concussa, antiquum illud magnorum certaminum ac summorum martyriorum tempus instare sensit. nam Gensericus imperio suo firmato, Arianae haeresis propagandae cupiditate flagrare coepit, et quos consiliis suis restituros norat, eos maxime instituit coërcere. *In Africa*, inquit Prosper (1), *Gensericus Rex Vandalorum intra habitationis suae limites volens Catholicam fidem Ariana impietate subvertere, quosdam nostrorum Episcopos, quorum Possidius et Novatus ac Severianus clariores erant, eatenus persequutus est, ut eos privatos jure Basilicarum suarum, etiam civitatibus pelleret, quum ipsorum constantia nullis superbissimi Regis terroribus cederet.* pudor vero ipse, quod Catholicam professionem deseruisset, acrius incitabat, ut factum

(1) *in Chron. ad hunc an.* v. Isidor. *in Hist. Vand. n.* 74.

suum tueretur, seque errore liberatum in Arianorum partes consulto devenisse declararet.

II. Neque sane Regis furor, exsiliis innocentium placatus, diu a caede et sanguine abstinuit. nam ut regnum ejus Catholici funestius sibi atque acerbius futurum intelligerent, ab ipsa aula carnificinam auspicatus, domum suam Catholicorum sanguine cruentavit. Arcadio enim et sociis ejus ab exsilio revocatis, quum interrogati in sententia permanerent, Arianamque perfidiam magnanimi aversarentur, omnes, ut ait Prosper, *atrocissimis suppliciis excruciati, ad postremum diversis mortibus interempti, illustri martyrio mirabiliter occubuerunt.* qua haec in urbe contigerint, ille non tradit; sed Hippone fortasse peracta sunt, quae aliquandiu barbarorum regia fuisse videtur. in Numidia certe consummatum martyrium credibile est, quum Cirtensi Episcopo notum carumque Arcadium superius ostenderimus. quare Cirtensibus illud quoque, Episcopo auctore, curae fuisse putaverim, ut Martyrum corpora redimerent, et meritis honoribus tumularent. quorum tum gloriam pueri quoque ex eadem schola insignis confessio illustravit, quam item fastis suis Prosper dignam haud immerito censuit. *Puer autem*, inquit, *Paullillus nomine, frater Eutychiani et Paschasii pro elegantia formae atque ingenii admodum Regi acceptus, quum a professione atque amore Catholicae fidei nullis minis deturbari posset, fustibus diu caesus, et ad infimam servitutem damnatus est: ideo, ut apparet, non interfectus, ne de superata saevitia impii Regis etiam aetas illa gloriaretur.* ad idem fortasse tempus pertinet patrata a Rege caedes uxoris fratris sui, quam, grandi pondere e cervicibus appenso, in Ampsagam fluvium Cirtensem demersit: item caedes filiorum ejus, quos a matris nece interfici jussit (2). sed ignotum est, quae Regem caussa ad tantum scelus impulerit.

III. Carthagine interea Romanis etiamtum legibus vivebatur, manente foederis religione, quod triennio ante sancitum fuerat: nisi quod mare infestum barbari jam habebant, qui hoc anno piraticam exercere coeperunt (3), infandum posteris exemplum relicturi, qui tot jam saecula ex illis oris Christianum nomen insectantur et vexant. at Ecclesiae Carthaginiensi casus incidit hoc anno acerbus plane ac luctuosus. nam quo tempore rectoris sapientissimi magisterio maxime egebat, Capreolum Pontificem suum extulit, in cujus potissimum virtute ac tutela nitebatur. sed hoc tamen ad caelestes translato, flentem Ecclesiam respexit Deus atque ex ejus clero et probatis Aurelii alumnis Quodvultdeum sibi legit, cui eam in maximis periculis regendam committeret.

(2) Vict. *Pers. Vand. lib. II. c.* 5. (3) Prosp. *in Chron. ibid.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXVIII.

Quodvultdeo Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES fuere Imp. Fl. Theodosius xvI. Anicius Acilius Glabrio Faustus, qui jam praefectura urbis Romae functus erat. prodiit hoc anno Codex Theodosianus, de quo ipse Theodosius in lege novella, quae xv. kal. Martias data est, fusius disserens, *Exegimus*, inquit (1), *negotium temporis nostri, et discussis tenebris compendio brevitatis, lumen legibus dedimus, electis viris nobilibus exploratae fidei, famosae doctrinae, quibus delegata caussa civilis officii, purgata interpretatione retro Principum scita vulgavimus.* tum eundem confirmans, *Compendiosam*, ait, *Divalium Constitutionum scientiam ex B. Constantini temporibus roboramus, nulli post kal. Ianuarias concessa licentia, ad forum et quotidianas advocationes jus principale deferre, vel litis instrumenta componere, nisi ex his videlicet libris, qui in nostri nominis vocabulum transierunt, et sacris habentur in scriniis.* hujus porro Codicis auctoritas non in Oriente solum, sed etiam in Occidente summa fuit, Valentiniano soceri sui studiis obsequente, qui sane se velle aliquando professus est (2), *Vt sicut uterque orbis individuis ordinationibus regitur, iisdem quoque legibus temperetur.* eundem Codicem Reges barbari, qui subinde Italiae imperitarunt, plerumque reveriti retinuerunt: nec Vandali ipsi (3) in Africa neglexere: quin Hunericus leges inde excerpsit, quae olim in haereticos latae fuerant, ut easdem contra Catholicos promulgaret (4).

II. Interea Vandali piratae non jam navigantibus solum infesti esse pergebant, sed in insulas quoque impetum facere ausi, Siciliam in primis hoc anno vastaverant (5). nec vero qui domi manserant, erga Catholicos leniores erant: quippe quos Rex ipse exemplis jussisque incitabat. nam ille, ut ait Victor Vitensis (6), *Praecipere nequaquam cunctatus est Vandalis, ut Episcopos atque laicos nobiles de suis Ecclesiis et sedibus nudos penitus effugarent. quod si optione proposita exire tardarent, servi perpetuo remanerent. quod etiam in plurimis factum est: multos enim Episcopos et laicos, claros atque honoratos viros, servos esse novimus Vandalorum.* nam et qui forte libertatis amore ducti, in Italiam transmittere conati sunt, facile eos piratae adorti, in servitutem reduxerunt.

III. Nec vero ejusmodi calamitates Valentinianum latuere. liberalitatis enim suae Afros expertes esse noluit: ac lege (7) sanxit, ut per Africam tertiae Indictionis debita Titulis Fiscalibus eximerentur: quemadmodum

(1) *Cod. Theod. T. vI. P. I. p.* 325.
(2) Valent. *Nov. lib.* I. *Tit.* 35.
(3) v. Proleg. *ad Cod. Theod. c.* 3.
(4) *Pers. Vand. lib. III. n.* 2.
(5) Prosp. *in Chron.*
(6) *Pers. Vand. lib.* I. *c.* 4.
(7) v. Zirardin. *p. xIII. et p.* 259.

ceteris Provinciis atque Insulis Italiae, quidquid in Reliquis superiorum temporum residere Calculi publici ratio deprehenderet, in quartam usque Indictionem indulsit.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXVIIII.

Quodvultdeo Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM suscepit Imp. Fl. Theodosius XVII. collegam ei Occidens Fl. Festum dedit. his Consulibus denique patuit, quae Regis Genserici fides, qui animus erga Romanos esset: nec minus Carthaginienses intellexerunt, quam stulte, monitis Episcoporum suorum contemptis, ac Deo nulla poenitentia placato, aeternam sibi eam pacem spopondissent, quae cum Rege barbaro sancita fuerat. *Aëtio*, inquit Prosper, *rebus, quae in Gallia componebantur, intento* (nam hic Valentiniani adolescentiam regebat, et unus maxime praesidium reipublicae habitus est) *Gensericus, de cujus amicitia nihil metuebatur, XIIII. kal. Novembres Carthaginem dolo pacis invadit, omnesque opes ejus, excruciatis diverso tormentorum genere civibus, in jus suum vertit. nec ab Ecclesiarum despoliatione abstinens, quas et sacris vasis exinanitas, et sacerdotum administratione privatas, non jam divini cultus loca, sed suorum jussit esse habitacula: in universum captivi populi ordinem saevus, sed praecipue nobilitati et religioni infensus; ut non discerneretur, hominibus magis, an Deo bellum intulisset. hanc autem captivitatem Carthago subiit anno, postquam Romana esse coeperat, quingentesimo octogesimo quinto.*

II. Sed haec fusiore stilo complexus Victor Vitensis, quum ne profana quidem aedificia ab igne ac vi mansisse intacta scripsisset, et theatra ipsa aedemque Memoriae et viam, quae Caelestis vocabatur, funditus deleta narrasset; de sacris deinde templis haec addidit (1): *Basilicam Majorem, ubi corpora sanctarum Martyrum Perpetuae atque Felicitatis sepulta sunt, Celerinae vel Scillitanorum, et alias, quas non destruxerant, suae religioni licentia tyrannica manciparunt.* quo autem pacto Gensericus divites quosque bonis omnibus spoliarit, sic refert (2): *Et inde proposuit decretum, ut unusquisque auri, argenti, gemmarum vestimentorumque pretiosorum quodcumque haberet, afferret: et ita brevi avitas atque paternas opes tali industria abstulit rapax.* avaritia tandem in tam opulenta urbe, quantum libuit, expleta, crudelitas subinde Regis exsiliis miserorum exsaturata est. *Tunc vero*, addit Victor (3), *memoratae urbis Episcopum, id est Carthaginis, Deo et hominibus manifestum, nomine Quodvultdeum, et maximam turbam Clericorum navibus fractis impositos, nudos atque exspoliatos expelli praecepit: quos Deus, mi-*

(1) *Pers. Vand. lib.* 1. *c.* 3.
(2) *ibid. c.* 4.
(3) *ibid. c.* 5.

seratione bonitatis suae, prospera navigatione Neapolim Campaniae perducere dignatus est civitatem. nec dissimili modo vexatos esse discimus senatores quosque nobilissimos, et honoribus in republica functos, nisi quod serius eos deportari jussit, et exsilium antea in Africa tolerare voluit.

III. Quum autem nulla jam esset pulcherrimae urbis species, nullus, exacto clero, profanatisque templis, Ecclesiae decor; quum et procerum domos Vandali sibi vindicassent, et Ariani Episcopi in sacris Basilicis insiderent: Catholicos urbe ejectos suburbia exceperant: ubi Basilicae erant duae Martyri Cypriano dicatae, in quibus vacare se religioni posse speraverant: nam et visus quibusdam in somnis Cyprianus ipse ferebatur (4), qui Catholicos bono animo esse juberet, et Vandalorum injurias se ulturum polliceretur. verum Deo nondum placato, Gensericus illic quoque furere permissus est. itaque sacras in primis aedes Catholicis ademit. *Sed etiam foris muros,* pergit Victor, *quascumque voluit occupavit, et praecipue duas egregias et amplas sancti Martyris Cypriani, unam, ubi sanguinem fudit, aliam, ubi ejus sepultum est corpus, qui locus Mappalia vocitatur.* tum illud quoque excogitavit, ut exequiarum solatium et funeris honorem mortuis eriperet. *Quis vero sustineat,* inquit, *atque possit sine lacrimis recordari, dum praeciperet nostrorum corpora defunctorum sine sollemnitate hymnorum cum silentio ad sepulturam perduci?* denique ne his quidem contentus, Clericorum partem, quam reliquam illic esse comperit, in exsilium expelli jussit.

(4) Procop. *B. Vand. lib.* 2.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXX.

Quodvultdeo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processerunt Imp. Fl. Placidius Valentinianus v. Fl. Anatolius, qui fasces in Oriente suscepit, dum Augustus in ipsa urbe honorem auspicabatur. Romam enim eum tristes ex Africa nuncii adire compulerant, quod Carthagine capta ne urbs quidem satis tuta videbatur. quamobrem, quidquid labefactatum esset, in muris, turribus, portis, per Praefectum urbis restitui jussit, et quos idem ad murorum portarumque custodiam destinare deberet, edicto monuit, quod vI. nonas Martias promulgatum est (1). at Gensericus in Africa rerum potitus, regiones in potestatem suam redactas describebat ordinabatque. *Disponens quoque,* inquit Victor (2), *singulas quasque provincias, sibi Byzacenam, Abaritanam atque Getuliam et partem Numidiae reservavit: exercitui vero Zeugitanam vel Proconsularem funiculo hereditatis divisit: Valentiniano adhuc Imperatore reliquas, licet jam exterminatas, provincias defendente.* Augusto scilicet parebant etiamtum Mauretaniae tres,

(1) *Nov. lib.* I. *Tit.* 43. (2) *Pers. Vand. lib.* I. *c.* 5.

Tingitana, Caesariensis, Sitifensis, tum provincia Tripolitana, et Numidiae item pars, cujus metropolis Cirta ab armis hostium intacta libertatem retinebat.

ıI. Interea exsules undique in maritimas oras concesserant, ut oblata navigandi occasione alienas peterent terras, victuri sumptibus Christianorum, quos tantarum aerumnarum adspectus ad misericordiam permovisset. forte autem in littus Maxulitanum atque ad isthmum promontorii Mercurii, haud procul Carthagine, Episcopi plures convenerant, quo Rex quandoque excurrere solebat, et in eo tractu spatiari, quem Ligulam vulgus appellabat. ii quum inter se consilium inivissent, ut Regi occurrerent, supplicesque ab eo peterent, ne, jam rerum dominus, locum sibi in Africa aliquem concedere gravaretur, in quo ad suorum solatium consistere possent; ut primum de Regis adventu inaudivere, ad eum squalore ut erant sordidi ac rerum omnium egentes accesserunt, et veniam a tyranno precati, quod secum antea deliberaverant, petierunt. *Quibus ille*, Victoris ut dicam verbis (3), *per internuncium rabido ore respondisse fertur: Decrevi ego de nomine et genere vestro nullum dimittere, et vos audetis talia postvlare? quos etiam vicino mari voluit eadem hora demergere, nisi a suis diu ne hoc faceret rogaretur.* quare, quum suos deserere nollent, ad mysteria peragenda latebrae illis quaerendae fuerunt, ac sedibus saepe mutatis clam conveniendum, ne deprehensi poenas darent. at vero sanctissimus Quodvultdeus et qui cum eo omnium ordinum Clerici, sub exitum anni superioris, ventorum arbitrio commissi fuerant, maris jam periculis defuncti, Italiae littora compleverant, ac piorum hospitiis liberaliter habiti, laborum denique aliquam et miseriarum quietem capiebant. quorum bona pars Neapoli consedisse creditur, ibidemque magnarum virtutum laude floruisse. atque ex horum numero praeter Quodvultdeum celebratur in primis Gaudiosus Abitinensis Episcopus (4), qui monasterium Neapoli, quod adhuc manet, condidisse dicitur, ibique a morte caelestes honores meritus est.

ııI. Ceterum is jam hostis erat Gensericus, ut extra Africam quoque formidaretur. nam et mari jam plurimum poterat, Italiamque classe protinus aedificata atque ornata occupaturus ferebatur. quae res utrumque Augustum ad bellum inferendum concitavit. primus autem Valentinianus Populum Romanum de periculo admonuit, et provinciales omnes, jure armorum reddito, et praeda quam acturi essent, concessa, ad Italiae tutelam vigilare jussit. *Gensericus*, inquit (5), *hostis Imperii nostri haud parvam classem de Carthaginiensi portu nunciatus est eduxisse, cujus repentinus excursus et fortuita depraedatio cunctis est littoribus formidanda. et quamvis clementiae nostrae sollicitudo per diversa loca praesidia disponat, atque invictissimi Principis Theodosii patris nostri jam propinquet exercitus, et excellentissimum virum Patricium nostrum*

(3) *ibid. cap. eodem.*

(4) v. Ruin. *Pers. Vand. P. ıI. c. 9. et* Baron. *Adnot. ad Martyrol. die ııI. Aug. V. III.*

(5) *Nov. lib. I. Tit.* 20.

Aëtium cum magna manu adfore mox credamus, quumque vir illustrissimus Magister militum Sigisvultus tam militum, atque foederatorum tuitionem urbibus ac littoribus non desinet ordinare; tamen quia sub aestiva navigandi opportunitate satis incertum est, ad quam oram terrae possint naves hostium pervenire, singulos universosque nostro monemus edicto, ut Romani roboris confidentia, ex animo, quo debent propria defensare, cum suis adversus hostes, si vis exegerit, salva disciplina publica, servataque ingenuitatis modestia, quibus potuerint, utantur armis, nostrasque provincias ac fortunas proprias fideli conspiratione et juncto umbone tueantur: hac videlicet spe laboris proposita, ut suum fore non ambigat, quidquid hosti victor abstulerit. haec Valentinianus edixit VIII. kal. Julias. sed Gensericus pro Italia Siciliam rursus vexare ac diripere decreverat: quam sano aggressus magna clade affecit, et Panormo obsidione cincto, in potestatem suam redigere conatus est (6). sed quum nuncios accepisset, Sebastianum Bonifacii generum, qui Magister militum fuerat, ex Hispania in Africam trajecisse; veritus ne quid contra Carthaginem moliretur (7), onustos jam praeda exercitus domum reduxit. itaque reditus ejus Italiam quoque et Romam potissimum metu liberavit: quae hoc anno, quum Xystum Pontificem maximum kal. Aprilibus amisisset, magnum moeroris solatium in Leone nuper invenerat, qui ei quadragesimo tertio post die suffectus fuerat.

(6) Isid. *Hist. Vand. p.* 71. apud Labb. *Bibl. T. I.* (7) Prosp. *in Chron.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXXI.

Quodvultdeo Episcopo Carthaginiensi

I. Unus hoc anno Consul processit, isque in Oriente, Cyrus Panoplites. Itali enim nostri sumptibus exhausti honorem Consulatus infinitis largitionibus gravem jam detrectabant. in Africa Sebastiani adventu nihil turbatum: nam ille eo se animo venisse profitebatur, ut gratiam apud Gensericum iniret. sed quia Regi suspectus erat, quod apud Theodosium, qui ei arma inferebat, aliquamdiu diversatus esset, nihil profecit (1), nec multis post annis, quum ad eundem rediisset, hostem eum crudelissimum expertus est. porro Theodosius, classe adversus Vandalos instructa, et ducibus ei praefectis Ariobinda, Anaxilla et Germano, magna Valentiniano auxilia suppetias mittebat. sed illi, ut ait Prosper, *longis cunctationibus negotium differentes, Siciliae magis oneri, quam Africae praesidio fuere.* nam subinde, quum Hunni Thraciam Illyricumque vastarent, Vandalis missis, eos e Sicilia revocari necesse fuit (2), ut Hunnis opponerentur. quamquam apparatus ille nonnihil etiam ad Gensericum cohibendum valuisse dicendus est: nam anno insequenti pax rursum inter eum et Valentinianum certis conditionibus facta est.

(1) Prosp. *in Chron. an.* 440. (2) Isid. apud Labb. *Bibl. T. I. p.* 71.

II. Jamvero qui status Ecclesiae in Africa esset, ubicumque Vandali dominabantur, edicta indicant, quae identidem Rex promulgabat, et crebra sacerdotum exsilia, quibus omne populis Catholicis subsidium eripiebatur. *Terret*, inquit Victor (3), *praeceptis feralibus, ut in medio Vandalorum nostri nullatenus respirarent, neque usquam orandi aut immolandi concederetur gementibus locus.* nec illi magis tuti erant, qui Regis quidem stipendiarii essent, sed incolas Vandalos non haberent. *Nam et diversae calumniae*, addit Victor, *non deerant quotidie etiam illis sacerdotibus, qui in his regionibus versabantur, quae Regis palatio tributa pendebant. et si forsitan quispiam, ut moris est, dum Dei populum admoneret, Pharaonem, Nabuchodonosor, Holophernem aut aliquem similem nominasset, objiciebatur illi, quod in personam Regis ista dixisset, et statim exsilio trudebatur.* haec vero qui ad Regem deferrent, nefarii falsique indices, ex Donatistarum, opinor, fece erant, Arianorum ab origine amici, et Catholicorum perpetui hostes, quibus Africa numquam caruit. nam diu etiam post Vandalorum regnum reliquias eorum superfuisse compertum est.

III. Sed tamen Ecclesiae, quae Romani Imperii finibus etiamtum continebantur, veterem splendorem nondum amiserant: et in tanta ceterarum calamitate, quae antea florentissimae fuerant, divini beneficii magnitudinem admirantes, sedulo operam dabant, ut perpetuam a Deo libertatem impetrarent. Episcoporum simul studium in religione tuenda eminebat, qui veriti, ne latius Ariana haeresis serperet, scriptis quoque eam refutare conati sunt. clarum id temporis nomen Victoris fuit (4), qui Cartennensem Ecclesiam in Caesariensi Mauretania regebat. hic non modo de recta populi sui institutione plurimum laborabat: quem propterea concione advocata saepe adloquebatur, ut homiliae testantur, quas Gennadius commemorat; sed scriptis etiam quam plurimos juvare, et e vitiorum labe non minus, quam e tenebris errorum educere conatus est: quod libri ejus declarant, alter de poenitentia Publicani, in quo regulam vivendi poenitentibus praescribebat, alter adversus Arianos bene longus, quo perversam eorum doctrinam refellebat. quumque maxime optaret, ut haeresis in ipsa Genserici regia, si fieri posset, exstingueretur, consilio etiam aliquando effecit, ut Ariani ipsi librum ejus ad Regem perferrent. par in eadem provincia Voconii Episcopi Castellani sollertia fuit, qui teste Gennadio *scripsit* (5) *adversus Ecclesiae inimicos Judaeos et Arianos et alios haereticos: composuit etiam Sacramentorum egregium volumen.* atque hos deinde imitatus Cerealis Episcopus Castelli Ripensis, quum eum forte Maximinus Episcopus Arianus, ille, opinor, quocum Augustinus disputarat, interrogasset, num in promptu testimonia haberet saltem aliquot e divinis libris sumpta, quibus omissa disputatione Catholicam professionem defenderet et confirmaret; *in nomine*, inquit Genna-

(3) *Pers. Vand. lib. I. c.* 7.
(4) Gennad. *de vir. illustr. c.* 77.
(5) *ibid. c.* 78.

dius (6), *suffragante sibi veritate, non paucis testimoniis, sicut Maximinus irridens petierat, sed copiosis tam veteris, quam novi Testamenti indiciis approbavit, et libello edidit.*

IIII. Quis autem Episcopos Presbyterosque Carthagine pulsos, quos Campania receperat, otiosos sibi fingat, aut nullas a Quodvultdeo litteras ad Ecclesiam suam missas existimet, ut tot miseros servitute oppressos solatio aliquo afficeret, atque ad imitandam majorum constantiam et patientiam hortaretur? quin opus adhuc habemus, inscriptum *Breviarium adversus Arianos* (7), tum alterum ejusdem argumenti contra Varimadum Arianae sectae Diaconum (8), quae ambo inde in Africam ad Catholicos missa credere licet: hujus certe auctor in praefationis exordio se Varimado respondere testatur *dudum in Neapoli urbe Campaniae constitutus,* et eo tempore, quo Ariani de infidelium Regum gloriabantur superbia: Breviarium autem a Sebastiano Comite jam lectum apparet, ante quam ad Gensericum rediret; quum inde similitudinem ab eo desumptam constet, qua religionem suam immutabilem esse oportere, coram Rege comprobavit. quin eodem tempore scripsisse videri possit (9) Vrsinus Monachus de Baptismo non iterando, quum hoc quoque urgere Ariani solerent, ut quos in sectam suam pertraxissent, inexpiabili ipsorum lavacro caput supponerent. illud demum omnes Catholici in exsilio suo praestitisse putandi sunt, ut quotidie Deo pro patria et Ecclesia sua supplicarent, et vota saepe facerent, ne tot Catholicos populos diutius Arianis hostibus suis servire pateretur.

(6) *ibid. c.* 96.
(7) Sirm. *op. var. T. I. p.* 223.
(8) *Bibl. PP. ed. Lugd. T. v. p.* 726.
(9) v. Cavem *T. I. p.* 430. *nov. edit.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXXII.

Quodvultdeo Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuerunt, ambo fortasse ex Oriente, Fl. Eudoxius, Fl. Dioscorus. consilia belli abjicere coactus hoc anno est Valentinianus, postquam classe, quae in Siciliam pervenerat, a Theodosio revocata, satis sibi virium non esse facile sensit, ut Vandalos solus coerceret. nec Gensericus pacis conditiones recusavit, quod domi res tranquillae non essent, et tyrannidem nutare cognovisset. vix sane inter eum et Valentinianum Africa rursum certis spatiis divisa fuerat, quum in Regem magna multorum clade conjuratum est. *In Gensericum,* inquit Prosper, *de successu rerum etiam apud suos superbientem quidam optimates ipsius conspiraverunt. sed molitione detecta, multis ab eo suppliciis excruciati atque extincti sunt: quumque idem audendum etiam ab aliis videretur, tam multis Regis suspicio exitio fuit, ut hac sui cura plus virium perderet, quam si bello superaretur.* in tanta vero caede multos etiam de Catholicis sublatos esse, plures fuga sibi consuluisse,

credibile est. illud certe exploratum habemus, exsules Africanos id temporis adeo frequentes per Italiam fuisse, ut non pauci ulterius progressi, Graeciam et Orientem ipsum peragrarent.

II. Docent haec nos Theodoreti epistolae, exsules ejusmodi amicis studiosissime commendantis, narrantisque (1) quanta Carthaginienses in primis a Vandalis tolerassent: qui et Caelestiacum senatorem maxime celebrat, quod honoribus quondam clarissimus et opibus atque copiis affluens, bonis jam omnibus amissis, calamitatem miser cum uxore et liberis et servis aequo animo ferret, et pietatem, quam secundis rebus neglexerat, in adversis impensius coleret. in eorum numero Episcopi quoque erant, quos idem collegis suis per Orientem magnopere commendavit (2). fuit et puella nobili genere nata, Maria nomine, Eudaemonis clarissimi viri filia, quae (3) cum ancilla in captivitatem ducta, ac deinde mercatoribus quibusdam vendita, Cyrum usque in Syriam pervenerat, et illic servitutem servierat, tanta ancillae erga eam fide, ut quum ambae in famulatu essent, ea tamen Mariam dominam etiamtum agnosceret suam, observaretque et nullum erga illam obsequium praeteriret. quod quidem, ut milites nonnulli rescivere, Mariae attulit libertatem. nam hi pretio a dominis eam et famulam redemerunt. ipse autem Theodoretus, militum pietate laudata, puellam, ut Ecclesiae sumptibus aleretur, Diaconis commisit: decimoque post mense, quum puellae nunciatum esset, patrem ejus vivere, ac magistratu in Occidente fungi, reditus cupidam ad paternos amplexus properare passus est, deditque ei litteras ad Eustathium Episcopum Aegarum in Ciliciam, ut is eam ad patrem per diligentes probosque viros deducendam curaret.

(1) *epist.* 29. 31. 32. 33. 34.
(2) *epist.* 52. *et* 53.
(3) *epist.* 70.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXXIII.

Quodvultdeo Episcopo Carthaginiensi

I. Consul uterque hoc anno ex Occidente fuit, Fl. Anicius Petronius Maximus iterum, Fl. Paterius. Vandalis Africa potitis, quum ingens incolarum numerus solum vertisset, Manichaei quoque, veteres Africae indigenae, et qui advenae Carthagine potissimum latitabant, dura barbarorum imperia aversati discesserant: utque in magna populi frequentia facilius delitescerent, Romam se contulerant. ibi legibus contemptis coetus celebrabant, sodales adlegebant, libros suos passim, ut ab incautis legerentur, diribere conabantur. at hoc anno diligentissimus haeresum investigator Leo Pontifex maximus ad incunabula eorum et latebras usque pervenit: et conventiculis eorum detectis, hominum scelera vulgavit, sodalitia sustulit, codices, quos plurimos reperit, palam incendit. *Quae cura*, inquit Prosper, *viro sancto divinitus, ut apparuit, inspirata*,

non solum Romanae urbi, sed etiam universo Orbi plurimum profuit. siquidem confessionibus in urbe captorum, qui Doctores eorum, qui Episcopi, quive Presbyteri, in quibus provinciis vel civitatibus degerent, patefactum sit; multique Orientalium partium sacerdotes industriam Apostolici Rectoris imitati sunt.

II. At Valeutinianus vicem Afrorum miseratus, quos barbari domo extorres per Romanos fines vagari coëgerant, quum didicisset, in horum numero non paucos reperiri liberalibus studiis eruditos et juris scientia praestantes, qui, si per leges licuisset, sese ad caussas agendas ultro contulissent, his omnino subveniendum censuit, rescripsitque Albino Praefecto Praetorio Italiae (1), *Apud omnes judices his advocationis copiam, remoto legis vinculo, esse permissam, ut aerumnas, in quibus nunc sunt, tali possint remedio sublevare.* tum edoctus, plures ex Afris inopes omnium rerum et precario victu egentes, creditorum acerbitate compelli ad injuriam restituere ea, quae improviso cladis impetu vis major abstraxerat; Albino eidem mandavit, ut tantam inhumanitatem poena coërceret: *Ob hoc*, inquit (2), *inlustris et praecelsa magnificentia tua, pragmatici nostri sequuta praeceptum, sciat, miseriarum circa Afros intuitu, clementiam nostram statuisse, ut nulli nomine Chirographorum creditae pecuniae sive fidejussorum, usque ad recuperationem rerum suarum, quolibet pulsante teneantur: pro quibus neque fidejussores neque mandatores eorum quolibet genere obligatos inquietari volumus, qui plerumque a creditoribus nomine debitorum conveniri pro arbitrii sui interpretatione censuerunt.*

III. Quamquam autem gravis omnino atque dura exsulum Africanorum conditio erat; acerbiora tamen captivi tolerabant, qui vel domi Vandalis serviebant, vel mangonibus venditi in alienas terras ad opus abducebantur, incerti quorum arbitrio victuri essent. ex his memoranda maxime est Iulia Martyr, cui dominus obtigerat Eusebius quidam e Palaestina mercator, veteri superstitione imbutus, et cultor impius inanium Deorum: nec tamen aut pudicitiae suae ac virginalis verecundiae jacturam fecit, aut Christiana instituta et obligatam Deo fidem facto dictove unquam prodidit. nam Domino quidem adeo diligens operam suam navabat (3), nihil ut ille exigere posset accuratius: eadem vero ita vel jejuniis vel lectioni vel precibus intenta, omnes religionis suae partes explebat, ut Pagano homini admirationi esset. itaque singulari quodam Dei beneficio illud adsequuta est, ut pudoris fideique suae laudem Martyrum quoque laurea cumularet. quum enim dominus ejus Eusebius negotiandi caussa in Gallias navigans, cum ea ad insulam Corsicam appulisset, et ad oppidum, quod Caput Corsicae appellabant, tempestivos ventos opperiretur; forte accidit, ut insulani, quorum superstitio ad Gregorii magni tempora perduravit (4), sollemni sacrificio taurum immolarent. quum autem Euse-

(1) *Nov. lib. I. Tit.* 50.
(2) *ibid. Tit.* 22.
(3) *ex Act.* apud Ruin. *II. Vand. P. II. p.* 219.
(4) Gregor. *lib. VII. epist.* 2.

bius sacro illi interfuisset, et Iuliam in navi religioni suae vacare passus esset; ut Pagani Christianam eam esse suspicati sunt, repetere a domino ausi, quatuor se famulas ei daturos spoponderunt, si Iuliam sibi condonasset. qui quum negasset, ullo se pretio adduci posse, ut ea careret; illi, consilio dissimulato, ad convivium eum invitarunt, ut cibo confectus vinoque languidus sopiretur. id quum ex sententia successisset, juvenum turba in navim insilit, puellam abripit, et Diis sacrificare jubet: at illa Christianam se professa, repugnare ac scelus detestari magno animo caepit: alapae, flagella, tormenta nihil permoverunt: mortem denique et crucem minitati, omnia potius subire paratam sensere, quam fidem violare, quam ab infantia coluerat. nulla igitur mora interposita, in crucem Iulia acta est, martyriumque suum invicta consummavit xI. kal. Iunias. quo tempore Monachi incolentes proximam insulam Margaritam, quae nunc Gorgonia vocitatur, quum de Martyris exitu admoniti essent, corpus ejus ad monasterii sui aedem transtulere: unde anno DCCLXIII. Rex Desiderius Brixiam deferendum curavit, postquam illic Ansae uxoris hortatu celeberrimum Monasterium Angelbergae filiae exaedificasset, quod ad aetatem nostram utique mansit claruitque, Iuliae Martyris nomine servato; donec funesta rerum conversio consequuta est, huic quoque inimica, quae devotas Deo Virgines expulit, aedemque Martyris profanavit, corpore ejus in Petrianum templum translato, cui ab Oliveto nomen est.

IIII. Disputatum hoc anno apud Latinos, quo die Pascha insequentis anni agendum esset. nam quum plerique annum, qui instabat, communem ducerent, neque embolismi rationem haberent, Pascha in diem VII. kal. Apriles rejiciebant. at Leo Pontifex maximus, Cyrillum Alexandrinum de ea re scitatus (5), deinde et Paschasinum Diaconum, qui tum in Sicilia versabatur (6), decrevit, ut dies VIIII. kal. Majas, quae proximae futurae essent, status Paschatis dies haberetur. nec vero dubium, in Africam quoque, ut mos ferebat, missas esse litteras, quibus admonerentur Episcopi, ut eum diem sancte servarent. factum subinde est, ut nonnulli tum de eo argumento opus conderent, et exquisitius aliquid excogitarent. ex his fuit Agriustia nescio quis e municipio Timidensium Regiorum in provincia Proconsulari, qui librum suum *De ratione Paschali* Q. Iulio Hilariano (7) dicavit auctori alterius libelli, cujus erat titulus *De Paschali Circulo*: post quos tertius etiam inventus ignoti nominis scriptor (8), qui opus *De computo Paschali* ederet.

(5) v. Baller. *in Leone T. I. p.* 595.
(6) *Leon. epist.* 3.
(7) v. Fabric. *Bibl. m. aevi in* Hilarian.
(8) Mans. *in App. T. I. Misc. Balut. p.* 412.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXXIIII.

Quodvultdeo Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM suscepit Imp. Fl. Theodosius XVIII. collega ei in Occidente datus Caecina Decius Albinus. hoc item anno Valentiniani Aug. indulgentia erga Afros enituit. nam quum ingruente Hunnorum bello ob inopiam aerarii statuisset, viros illustres jam honoribus defunctos per omnes provincias ternos tirones in adaeratione debere persolvere, et pro portione ceteros magistratus et honoratos idem praestare jussisset; Afros ea lege teneri noluit: *exceptis*, inquit (1), *Afris qui hostili necessitate sedibus suis nuper expulsi sunt.* judicium eodem tempore de Manichaeis Romae a Leone institutum, et Acta confecta, quae deinde ad omnes Ecclesias mitterentur, quod Idatius in Fastis suis consignavit (2).

II. Nec ambigendum est, ea Acta ad Ecclesias plerasque pervenisse, quae in Africa Romana etiamtum stabant, et Catholicis institutis sub Episcoporum magisterio florebant. at de his nihil profecto ad eas perlatum est, quae in Vandalorum servitutem redactae, jam neque Episcopum neque Clerum neque templa habebant: quas inter olim ceterarum parens Carthaginiensis Quodvultdeum suum, quem sexennio ante abreptum fleverat, nunc fortasse extinctum lugebat. eum certe in exsilio mortuum, Neapolitani confirmant, in quorum Kalendario veteri marmoreo *Depositio Quodvultdei Episcopi* occurrit X. kal. Martias (3): esto et in Carthaginiensi consignetur (4) VI. Idus Januarias; quod honoris caussa factum crediderim, postquam illic auditum est, Neapoli eum decessisse, nec dies resciri potuit, quo e vita migrasset. nec vero de Quodvultdei vita quidquam novimus, et Ecclesiae Carthaginiensi neminem, eo ejecto, ante annum CCCCLIIII. praefuisse constat (5).

(1) *Nov. lib. I. tit.* 44. *n.* 3.
(2) *Olymp.* 306. *n.* 21.
(3) v. Mazoch. *kal. Neap. p.* 63.
(4) apud Mabill. *Anal. T. III. p.* 401.
(5) apud Canis. *ant. lect. tit. I. ex cod. Aug. Tir. Prosp.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXXV.

post Quodvultdeum Episc. Carthagin.

I. CONSUL processit Imp. Fl. Placidius Valentinianus VI. collega ejus in Oriente Fl. Nomus fuit. Numidiae hoc anno Maurique Sitifenses, quum bello Vandalico attriti fiscalia tributa pendere non possent, legatos ad Valentinianum miserunt orantes, ut sibi aliquid de eo onere remitteret. functi autem legatione dicuntur Palladius V. C. Comes et Tribunus, ac Maximianus vir laudabilis (1): quos Augustus Romae admisit, ac petitio-

(1) *Nov. lib. I. tit.* 23.

nibus provinciarum auditis, minime in Africam tristes redire passus est. Albino enim Praefecto Praetorio Italiae rescriptum dedit amplissimum, quo provinciales maxima tributorum parte relevabat. *Quia aequum est*, ajebat, *aegris provincialibus et publica clade vexatis, humanitatis nostrae beneficiis subveniri, hunc tributi modum ab his magnitudo tua sperandum esse cognoscat, ut retractis septem partibus, octavam tam privatae, quam emphyteuticae glebae possessor agnoscat.* tum sua Numidis, et sua Mauris praescripta tributorum ratione, de eorum etiam appellationibus haec adjecit. *Quicumque intra provincias Africanas ad jus nostrum pertinentes a cujuslibet judicis sententia provocaverint, quoniam decreti antiquitus cognitoris cessat officium, inlustri urbis Praefecti examine ex appellatione se noverint jurgaturos: sed quia transmarinae regionis sunt, inducias temporis annum debere praestari.* demum et illud cavit, ne deessent, qui barbarorum incursiones cohiberent, nec tamen armatus quisquam, nisi publica caussa, esse posset: atque ut ii quam egissent praedam, haberent suam, nisi forte provinciales laesisse accusarentur. judicibus vero administratione perfunctis ante exactos tres menses discedendi de provincia licentiam denegari jussit: *Ita ut*, inquit, *coram positus bene actae rei fruatur laudibus, aut certe, si direptionis alicujus docebitur conscius, discessus celeritute se non subtrahat.*

II. Haec Valentinianus XI. kal. Iulias constituerat, quo Afrorum miseriam solaretur. kalendis iisdem Ecclesiae universae tranquillitati prospexit, obsequutus Leonis Pontificis maximi studiis, qui Principis auctoritatem contra Manichaeos imploraverat. nam edixit (2), *Vt ubicumque terrarum quisquis Manichaeorum fuerit deprehensus, poenas, quas in sacrilegos jura sanxerunt, auctoritate publicae severitatis excipiat.* et addidit, ut crimen eorum publicum haberetur, idque deferre quisque sine fraude posset: nullum iis in militia gradum, nullum in urbibus domicilium esse voluit: haeredum scribendorum atque haereditatum adeundarum jus eripuit, actionem injuriarum ademit, contractus et stipulationes eorum nihil valere sanxit. ac denique severitatis suae hac usus est defensione: *Neque enim*, inquit, *aliquid nimium in eos videtur posse decerni, quorum incesta perversitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota vel pudenda committit.*

(2) *Nov. lib. II. Tit. 2.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXVI.

post Quodvultdeum Episc. Carthagin.

I. Consules, ambo ex Occidente, prodiere Fl. Aëtius III. Q. Aurelius Symmachus. legati, qui anno superiore Romam ad Augustum ex Africa venerant, quum a Leone Pontifice maximo de Ecclesiarum statu inter-

rogati essent, multa retulerant, quae probari nullo modo posse viderentur. ceterum Leo prudentiae suae esse putaverat, ut Episcopum ad eas Ecclesias mitteret, qui de Episcopis praesens quaereret, quos fama culpabat, et de his, quae vera reperisset, ad eum referret. Potentius igitur, cui vicem curae suae se delegasse Leo affirmat, in Africam profectus, omnia diligenter inquisiverat, et in Caesariensi Mauretania creatos quosdam Episcopos deprehenderat, qui nec eo honore digni essent, nec illum ipsum legitime consequuti putarentur: sacerdotum dignitatem in dies imminui, Ecclesiae leges contemni, morum rationem non haberi. quae ut a Potentio accurate exposita Leo cognovit, nihil jam cunctatus, universos Episcopos per Caesariensem Mauretaniam constitutos gravissima epistola commonendos duxit, eoque Davidem Episcopum, sibi et sacerdotii merito et vitae integritate probatum, legavit, qui et litteras ejus perferret, et res singulas ex ejusdem sententia ordinandas curaret. praefatus autem Leo, qua ratione per Potentium omnia sibi antea investiganda censuisset, et quae ab eo relata certis jam indiciis teneret, *Necessarium*, inquit (1), *fuit, ut dolorem cordis nostri, quo pro Dominicorum gregum periculis aestuamus, datis nunc quoque ad dilectionem vestram litteris promeremus: mirantes, tantum apud vos, per occasionem temporis impacati, aut ambientium praesumptionem, aut tumultum valuisse popularem, ut indignis quibusque et longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium et gubernatio Ecclesiae crederetur.* multa subinde loquutus de summa Episcoporum dignitate, et quae in iis deligendis spectari oporteat, quae ab eisdem ex Apostoli monitis Ecclesia requirat, pro argumenti amplitudine persequutus, quid secum ipse deliberasset, quodque praestari servarique vellet, edixit: *Quum ergo*, inquit, *inter vos tantum valuerint aut studia popularium aut ambitus superborum, ut non solum laicos, sed etiam secundarum uxorum viros aut viduarum maritos ad officium cognoscamus pastorale provectos: nonne apertissimae exigunt caussae, ut Ecclesiae, in quibus ista commissa sunt, judicio severiore purgentur? et non solum in tales praesules, sed etiam in ordinatores eorum ultio competens proferatur? sed circumstat nos hinc mansuetudo clementiae, hinc censura justitiae. et quia universae viae Domini misericordia et veritas, cogimur secundum Sedis Apostolicae pietatem ita nostram temperare sententiam, ut trutinato pondere delictorum, quae constat non unius esse mensurae, quaedam definiamus utcumque toleranda, quaedam vero penitus amputanda. Eos enim, qui vel secundas nuptias inierunt, vel viduarum se conjugio sociarunt, nec Apostolica nec legalis auctoritas sacerdotium obtinere permittit: et multo magis illum, si fuerit vestro judicio confutatus, qui, sicut ad nos relatum est, duarum simul est maritus uxorum; vel illum, qui ab uxore dimissus, alteram duxisse perhibetur, privandum honore decernimus. ceteros vero, quorum provectio hoc*

(1) *epist.* 12. *edit.* Baller. *quae primum integra prodiit ex Cod. Florent.*

tantum reprehensionis incurrit, quod ex laicis ad officium Episcopale delecti sunt, neque ex hoc, quod uxores habeant, possunt esse culpabiles, susceptum sacerdotium tenere permittimus: non praejudicantes Apostolicae Sedis statutis nec praecessorum nostrorum nostrisque decretis, quibus salubriter statutum est, ne primum vel secundum aut tertium in Ecclesia gradum quisquam laicorum, quibuslibet suffragiis fultus adscendat, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat. quod enim nunc utcumque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam id, quod omnino interdicimus, usurpare praesumpserit.

II. His enunciatis, quae a Davide Episcopo fusius explicari jusserat, cohortationem adjecit, ut quae mandarat, ab omnibus servarentur, et suus Ecclesiae legibus honor tribueretur; comminatus, quicumque sacerdotem, qualem esse non liceret, consecrassent, iis se jus Ordinationis erepturum. post haec vero Sardicensis quoque Concilii canonem VI. *de non ordinandis Episcopis per vicos et modicas civitates*, quem Afri in primis contempserant, reviviscere omnino ac vigere cupiens, *Illud sane*, inquit, *quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta servari, ut non in quibuslibet locis neque quibuslibet castellis, et ubi ante non fuerunt, Episcopi consecrentur: quum ubi minores sunt plebes minoresque conventus, Presbyterorum cura sufficiat; Episcopalia autem gubernacula non nisi majoribus populis et frequentioribus civitatibus oporteat praesidere: ne quod sanctorum patrum divinitus inspirata decreta vetuerunt, viculis et possessionibus, vel obscuris et solitariis municipiis tribuatur sacerdotale fastigium, et honor, cui debent excellentiora committi, ipsa sui numerositate vilescat. quod nunc in sua dioecesi Restitutus Episcopus factum esse caussatus est, et rationabiliter postulavit, ut si Episcopi eorum locorum, in quibus non debuerant ordinari, humana conditione decesserint, loca ipsa ad jus ejus antistitis redigantur, cujus fuerant ante propria.*

III. Praeter Restitutum alius Episcopus Romam provocaverat nomine Lupicinus, quem collegae a sacris removerant, et provocatione contempta loco cedere coëgerant, ut successorem darent. de hoc Leo sine dubitatione rescribit: *Caussam quoque Lupicini Episcopi illic jubemus audiri. cui multum et saepius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam quum ad nostrum judicium provocasset, immerito eum, pendente negotio, a communione videbamus fuisse suspensum. adjectum etiam illud est, quod huic temere superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari, antequam Lupicinus in praesenti positus aut confutatus aut certe confessus, justae posset subjacere sententiae: ut vacantem locum, quemadmodum disciplina Ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur exciperet.* de quatuor aliis Episcopis, quia non omnium par ratio erat, diversa praescripsit. *Donatum*, inquit, *Salicinensem* (2) *ex*

(2) v. *Tom. I. Episc. Satafensem* Maur. Caesar.

Novatianis cum sua, ut comperimus, plebe conversum, ita Dominico volumus gregi praesidere, ut libellum fidei suae ad nos meminerit dirigendum: quo et Novatiani dogmatis damnet errorem, et plenissime confiteatur Catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico, licet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista jam non est, et a spiritu schismaticae pravitatis alienus, ab Episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate, ita ut et ipse libello ad nos edito Catholicum se esse manifestet. de Aggaro et Tiberiano, quorum a ceteris, qui ex laicis ordinati sunt, in hoc caussa diversa est, quod eorum ordinationi atroces tumultus et saevae seditiones memorantur esse famulatae, vestro judicio cuncta commisimus: ut relata habiti apud vos examinis fide, quid de supradictis statuendum sit, scire possimus. pari autem modo publicas Ecclesiarum et Episcoporum controversias, postquam in Africa diremptae essent, Romam referendas esse censuit, *Ut ea*, inquit, *quae juxta Ecclesiasticum morem juste et rationabiliter fuerint definita, mea quoque sententia roborentur.* haec Leo, illa usus auctoritate, quam ei divinitus datam, qui Petro successerat, Catholica omnis Ecclesia norat et fatebatur. nam quod Janseniani rem molliter interpretantes jamdiu commenti sunt, inter Africanam scilicet ac Romanam Ecclesiam mirum quemdam amorem perpetuumque fuisse, et mutuum semper studium ac plurima summae conjunctionis durasse vincula; ineptiae sunt pueriles facilitate nostra abutentium, ne clarissima Pontificalis potestatis monumenta repudiare penitus ac contemnere videantur.

IIII. Quod reliquum est, eadem nos Leonis epistola docet, Mauros quoque Caesarienses Vandalorum incursionibus esse vexatos: in eoque tumultu ne virgines quidem Deo devotas injuriae expertes fuisse. quae tum, quia invitis illata vis erat, in virginum numero censeri volebant, majorem sibi laudem vindicantes, quam pudor ferre videretur. quare de earum etiam conditione atque jure sententiam Leo tulit hujusmodi: *De his autem, quae in sacro virginitatis proposito constitutae barbaricam pertulere violentiam, et integritatem pudoris non animo, sed corpore perdiderunt, ea nobis servanda videtur moderatio, ut neque in viduarum dejiciantur gradum, neque in sacrarum et perseverantium virginum numero censeantur. quibus, si in omnibus virginalibus observationibus perseverant, et castimoniae soliditatem mente custodiunt, sacramentorum non est neganda communio: quia injustum est, eas in eo vel argui vel notari, quod non voluntas amisit, sed vis hostilis eripuit.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXXVII.

post Quodvultdeum Episc. Carthagin.

I. Consulatum susceperunt Faltonius Probus Alypius, Fl. Ardaburius, hic in Oriente, ille in Occidente. qui vero provinciarum Africanarum

rectores fuerint, quis Tripolitanum limitem, quis reliquos tueretur, plane ignoramus: quamquam Valentiniano nihil antiquius fuisse, quam ut Africam restitueret recrearetque, non obscure leges ostendunt, quas superius commemoravimus: nec dubitandum est, eos viros ad provincias administrandas esse delectos, qui Principis indulgentissimi humanitatem et constantiam referrent. at Ecclesiis praesidio erat aequissimus rei Catholicae moderator Leo, qui vitiis quidem pravisque hominum moribus providentissime occurreret, neque tamen aliorum vires virtute sua metiretur: seque ita custodem legum vindicemque praeberet, ut severitatem, si fas esset, humanitate temperaret. scripsisse eum hoc anno ad Episcopos Siculos novimus (1), ut morem minime Romanum Baptismi in Epiphaniae sollemnibus celebrandi reprehenderet, quem illi, opinor, recentiore memoria a Graecis acceperant. porro ea consuetudo in Africa etiam obtinebat, quam fortasse Episcopi induxerant, qui Conciliorum caussa Graeciam peragraverant. Leo tamen, qui Siculos ad Ecclesiae Romanae instituta revocavit, dandum hoc Afris duxit, ut novum morem Episcoporum suorum consensu comprobatum retinerent. nam post Leonem etiam eo die apud Afros sollemne Baptisma peractum esse, Victoris Vitensis testimonio adnotum est (2).

(1) apud Hard. *Conc. T. I. p.* 1755. (2) *Pers. Vand. lib. II. c.* 17. v. *infra n.* 7. *anni* 484.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXXVIII.

post Quodvultdeum Episc. Carthagin.

I. Consules fuere Fl. Zenon, Rufius Praetextatus Postumianus, ille Orientis, hic Occidentis, qui et praefectura urbis bis functus erat. quietis in Africa Ecclesiis, et omnibus Catholicis inter pericula et aerumnas doctrinae a Patribus acceptae studiosissimis, procul in urbe regia funestam hoc anno seditionis facem Eutyches praeferebat: unde tanta illa nefariae haeresis importunitas exarsit, quae late Orientis Ecclesias pervagata est. quare Ecclesiis Africanis in adversis rebus et dura barbarorum dominatione propitium vel maxime Dei numen fuisse existimandum est, qui opibus earum imminutis auxit religionem, et corporum vexatione animos in libertatem vindicavit. quippe non modo novas haereses respuerunt, sed Arianam etiam Principali favore subnixam et dominorum armis stipatam, quam domi jamdiu ferebant, clarissimis et maximis victoriis superarunt.

II. Ex iis tamen Episcopis, qui jamdiu solum vertere coacti fuerant, quidam id temporis in Oriente ipso versabantur. nam memorat hoc anno Theodoretus in epistola ad Ibam (1) litteras sibi a Cypriano Episcopo Africano adlatas Eusebii Ancyrani, qui Galatas tum non sine laude regebat.

(1) *epist. Theod.* 57.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCXXXXVIIII.

post Quodvultdeum Episc. Carthagin.

I. CONSULATU functi Fl. Protogenes, Turcius Secundus Asturius, fascibus ille Constantinopoli, hic Arelate susceptis. Sebastianus Comes, quem superius ex Hispania ad Gensericum venisse scripsimus, atque inde, quod Regi suspectus esset, Constantinopolim reversum esse, his Consulibus, quum insidias sibi in regia urbe instrui sensisset, rursum in Hispanias ad Gothos profectus, tamquam hostis Romani Imperii, Barcinonem occupavit: mox a Gothis pulsus, in Africam iterum transmisit, atque imprudens in Genserici fidem potestatemque se contulit (1). at vero hic, quum talem apud se hospitem habere nollet, quippe et bello strenuum, et consilio, auctoritate, gloria clarissimum norat; hominis perdendi occasionem ex religione ejus et constantia quaesivit. erat enim Catholicus, et ab Ariana doctrina alienissimus: ut quibus etiam ea argumentis refutaretur, apprime teneret. *Cogitavit Rex*, inquit Victor Vitensis (2), *ut praesentibus Episcopis atque domesticis suis Sebastianum taliter conveniret. Sebastiane, inquit, scio, quia fideliter nobis adhaerere jurasti, cujus veritatem sacramenti labores tui vigilantiaque demonstrant. sed ut nobis connexa semper jugisque maneat amicitia tua, hoc placuit praesentibus sacerdotibus nostris, ut ejus efficiaris cultor religionis, quam et nos et noster populus veneramur. cui Sebastianus, rem inveniens miram multisque necessariam, pro tempore acute respondit: Quaeso, domine Rex, ut nunc unus panis mundissimus ac similaceus afferatur. quem, quum ignorasset Gensericus Sebastiani victoriam, illico jussit afferri. apprehenderis itaque Sebastianus mundissimum panem, ita effatus est. Hic panis, ut ad tantum decorem splendoris veniret, quo mensae regiae necessarius haberetur, discussa spuria furfuris, ex massa similaginis conspersus, per aquam transivit et ignem: idcirco et adspectu clarus, et esu suavis habetur. ita et ego mola Catholicae matris commolitus, et cribro examinationis ut simila munda purgatus, rigatus sum aqua Baptismatis, et igne sancti Spiritus coctus. et ut hic panis de furno, ita et ego per officia sacramentorum divinorum, artifice Deo, de fonte mundus ascendi. sed fiat, si velis, quod ipse propono. iste panis confringatur in frusta, madidetur aqua et iterum conspergatur, mittaturque in furnum: si melior exierit, faciam quod hortaris.* hactenus Sebastianus; similitudinem, ut monuimus, ex Breviario adversus Arianos mutuatus, quod in Campania ab exsulibus Carthaginiensibus scriptum, superius conjectura ducti indicavimus: idem enim in eo exemplum sub operis finem legimus (3). mirum vero, quantum ea argumentatio illum Arianorum consessum abjecerit et elinguem reddiderit! *propositionem*,

(1) Idat. *in Chron. Olymp.* 307. *n.* 26.
(2) *Pers. Vand. lib. I. c.* 6.
(3) apud Sirm. *Op. var. T. I. p.* 238.

inquit Victor, *Gensericus cum omnibus, qui aderant, quum audisset, ita ligatus est, ut se solvere omnino non posset.* ceterum Rex susceptum consilium non deposuit, et Sebastianum paullo post violata hospitii fide interemit. cujus quidem confessio Martyribus eum aequasse visa est (4); quamquam neque Idatius neque Prosper tanto illum honore dignati sunt.

iI. Interea Concilium magnum Ephesum vocatum fuerat, ut de haeresi Eutychiana, quam Flavianus Archiepiscopus Constantinopoli damnaverat, judicium iterum pronunciaretur. eodem legatos, qui praeessent, Leo ab urbe miserat, et Episcopi undique a Theodosio acciti convenerant. litteras autem a Leone aut a Theodosio in Africam usque missas, ut eo Episcopi Africani evocarentur, non constat: desiderati fortasse non sunt, qui jamdiu apud Graecos exsulabant. sed subscriptiones, sive eorum elenchos, qui tum adfuere, Africanum neminem produnt (5). nam qui cietur *Flavianus Adramytinus,* is ad Adramytteum Mysiae urbem pertinebat. Adrumetinus autem provinciae Byzacenae Episcopus hoc anno erat Aurelius, qui quum ab Ecclesia sua exsul abesset, jam Constantinopolim pervenerat, quo tempore illic Eutyches primum damnatus est, et Flaviani sententiae cum reliquis subscripserat (6); nec tamen deinde Ephesum sibi adeundum duxerat: quod ejus fortasse animus jam praesagiret, quem exitum conventus ille, quamque funestum esset habiturus.

(4) *in Martyr.* Gall. Leodii. 1624.
(5) apud Hard. *Conc. T. iI. p.* 83.
(6) *ibid. p.* 174.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCL.

post Quodvultdeum Episc. Carthagin.

I. Consulatum iniverunt Imp. Fl. Placidius Valentinianus vII. Gennadius Valerius Corvinus Avienus, ipse etiam ex Occidente. lex iiI. nonas Martias Romae a Valentiniano promulgata, omnibus gratissima, *de indulgentiis reliquorum* (1). quia tamen in Africa ob quinquennii adjectionem pretium distractorum praediorum nondum ab emptoribus suppletum fuerat, minime id ad reliqua pertinere, admoniti sunt: neque enim ab his residua pars, sed omnis, quae sperari poterat, summa debebatur. multis autem liberalitate indulgentissimi Principis relevatis, unus ipse bis hoc anno in squalore et luctu fuit: nam v. kal. Aug. socerum Theodosium Aug. amisit: et v. kal. Decembres Placidia matre orbatus est.

iI. Ceterum faustus Ecclesiae habitus hic annus est ob Marcianum Augustum Imperio Orientis divinitus datum, et Pulcheriae matrimonio auctum: exinde enim Catholica pax revixit, et discordiarum extincta flamma, doctrinae veteris eluxit integritas. *Hujus edictis,* inquit Prosper (2) *Apostolicae Sedis auctoritatem sequutis, synodus Ephesina damnatur, et apud Chalcedonem celebrari Concilium Episcopale decernitur,*

(1) *Nov. lib. iI. Tit.* 7.
(2) *in Chron. ad hunc. an.*

ut correctis venia mederetur, et pertinaces cum haeresi depellerentur. porro Africa Marciano destinati Imperii auspicium fecerat. nam quo is tempore sub Aspare militans, in pugna adversus Vandalos, quae Romanis adversa fuit, in hostium incidit manus, contigisse ei ferunt inter captivos sub sole dormienti, ut aquila superadvolans corpus ejus alis expansis immota inumbraret: quod quum Rex Gensericus oculis ipse suis vidisset, ratus ea re imperium portendi, Marcianum ad se accitum libertate donasse dicitur, postquam eum jurare coëgisset, numquam se cum Vandalis signa collaturum (3). sed quaecumque sit facto fides, Imperium Marcianus hoc anno, maxima omnium consensione, Constantinopoli suscepit: neque eum Valentinianus collegam est dedignatus, ex quo demum certi ad eum nuncii de viri virtute ac de Pulcheriae Aug. consilio ac voluntate pervenerunt.

(3) Evagr. *H. E. lib. II. c. 1.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLI.

post Quodvultdeum Episc. Carthagin.

I. Consulatum cepit Imp. Fl. Marcianus, eique ex Occidente collega datus est Clodius Adelphius. his Consulibus rursum Africam respexit Valentinianus, et Firminum Praefectum Praetorio, quae Afrorum solatio praestari vellet, lege lata commonuit. *Censeo,* inquit (1), *ut juxta suggestionem culminis tui, honoratis Afris et possessoribus hostili vastatione nudatis isto remedio consulatur, ut quod fortunae impressio sostulit, id quantum potest, largitas Augusta compenset.* ac primum, quia in Numidia Romana ingens desertorum locorum tractus erat, ex eo agrum honoratis et possessoribus ad tredecim millia centuriarum sub quinque annorum vacatione concessit; hisque praeterea duo millia solidorum ex fisco dividi jussit: tum quae in Sitifensi et Caesariensi provincia atque in Numidia essent praedia juris emphyteutici et domus Augustae, ea honoratis dari provinciarum Proconsularis et Byzacenae, quos Vandali e suis finibus ejecerant. denique praedia pistoria, unde Roma alebatur, ad eos tantum pervenire voluit, quos ab hostibus certum esset facultates captivitatis infortunio perdidisse: *penes quos,* inquit, *salvo urbis Romae privilegio, haec humanitas permanebit, donec auspice Deo Africam redire contingat.* enim vero tantis Valentiniani beneficiis recreata Africa, plurimum inde in Ecclesiam quoque utilitatis et commodi redundabat: quod Episcopi in primis Presbyterique alimenta miserae plebi facilius pararent, et in animorum cultura diuturniorem operam navare possent.

II. At haec inter Imperatoriae litterae in Africam perlatae sunt, quibus Primates cum iis Episcopis, quos secum adducere fas esset (2), ad Concilium magnum evocabantur, ut kalendis Septembribus Nicaeae

(1) *Nov. lib. I. Tit. 40.*

(2) apud Hard. *Conc. T. II. p. 46.*

in Bithynia adessent. nam illic primum Marcianus synodum celebrandam censuerat: quae deinde, ut ipse interesse posset, Chalcedonem vocata est. ceterum nemo ex Africa pedem extulisse creditur, et qui adfuere in Concilio Chalcedonensi Africani Episcopi, ex iis fuisse putantur, qui a Genserico in exsilium ejecti, in Graeciam et Orientem jamdiu pervenerant. itinera enim ubique infesta, et Hunnorum late vagantium terror profectionem impediebant: quae caussa fuit, cur ex Occidente illuc perpauci navigarent, et Leoni synodus ipsa in aliud tempus utilius prorogari posse videretur. sed quia Marciani Aug. studiis obsequendum erat, qui maxime optabat, ut quamprimum dissidia omnia ex Ecclesia tollerentur; haud omisit Leo, quod perfici unum poterat, ut epistolae, quam ad Flavianum ipse scripserat, exempla passim ad primores Episcoporum quam celerrime mitteret (3), eique omnes subscribere juberet: quod Africanis quoque Episcopis imperatum esse, credibile est, ut Legati, quos Chalcedonem destinarat, testari vere possent, Occidentem totum cum Leone sentire. itaque hoc pacto Afri quoque tam longe positi, animo et voluntate adfuisse Concilio visi sunt: quemadmodum et Leo de se ipso ad Patres Chalcedonenses scripsit (4), *Non abjuncta a vobis praesentia mea; qui nunc in vicariis meis adsum, et jamdudum in fidei Catholicae praedicatione non desum: ut qui non potestis ignorare, quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare, quid cupiamus.* tres autem ad summum ex iis, qui exsulabant, Chalcedonem adiere (5), Aurelius Adrumetinus, Resticianus, qui Afer tantum in subscriptione dicitur, et Valerianus, qui Bassianensis uno in codice (6) vocatur, et Abbenzensis fuisse creditur. quum tamen ex eo tempore turbatum in Oriente sit, et Jacobitarum e Dioscoro secta per Aegyptum esse coeperit (7), passimque Monophysitae in perniciem rectae doctrinae eruperint; nulla ex ea contagione apud Afros avitae professioni macula adspersa est. tum quamquam Antistites Alexandrini e Dioscoro se ipsos Africae etiam Patriarchas dicere ausi sunt, eos plane mentitos constat, nec praeter Episcopum Carthaginiensem Ecclesiis Africae quemquam unquam praefuisse (8).

(3) Baron. *ad hunc an. p.* 128. *et seq.*
(4) apud Hard. *ibid. p.* 50.
(5) *ibid. p.* 485.
(6) *ibid. T. I. p.* 1806.
(7) v. Renaudot. *Hist. Patr. Alex. p* 414.
(8) *idem T. I. Liturgiar. Orient. p.* 408. *n.* 105.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLII.

post Quodvultdeum Episc. Carthagin.

I. Consulatum gessere Fl. Sporatius, Fl. Herculanus, hic Occidentis Consul, ille Orientis. synodo Chalcedonensi absoluta, et Actis ejus Romam perlatis, curae Leoni fuit, ut de his ad omnes Occidentis Ecclesias perscriberet eodem exemplo, ac simul totius Concilii breviarium mitteret.

Impletis, ajebat (1), *per misericordiam Dei communibus votis, dignum est, fraternitatem vestram sanctorum gaudiorum habere consortium. nam fratres mei, qui vice mea Orientali Synodo praesederunt, quae vota retulere significo, confirmatam Catholicam fidem et glorificatam Apostolicae praedicationis triumpho: quo etiam hi, qui ad deviandum vel seducti fuerant vel impulsi, recepta veritatis luce laetantur. siquidem omnes Domini sacerdotes in una sententia, sancto Spiritu docente, consensere. et de sacramento Dominicae Incarnationis, in qua multorum intelligentia caligabat, ita tenebrae erroris ablatae sunt, ut in uno Domino nostro vero Dei et hominis Filio nec de humanitatis ambigatur natura, nec de Deitatis essentia. in impios autem nefandi erroris auctores, qui indignos se Dei gratia judicantes, correctionis uti remediis noluere, qualis sit lata sententia, exemplaria, quae misimus, edocebunt: ut agnoscat vestra dilectio, fratres carissimi, in sancto examine divinum non defuisse judicium, quo et vindicta retributa est obduratis, et pax impensa correctis. Dominus vos incolumes custodiat, fratres carissimi.* his porro litteris per Africam promulgatis, Catholicos omnes plurimum esse laetatos, probata eorum fides et singulare veteris religionis retinendae studium persuadet.

II. Vna hoc anno lege Valentinianus multa complexus, quum praeciperet, ut caussae omnes forenses tricennali temporum definitione concluderentur, excepit Afrorum negotia, qui se probassent necessitatem Vandalicam pertulisse: ut de eorum caussis illa tempora praefixo tricennio subtraherentur, quae sub hostilitate consumpta esse claruisset (2). sed in eo parum aequus erga Ecclesiam habitus est, quod eadem lege Episcopis jus judiciorum eripuit. nam caussatus, querelas de Episcopali judicio crebras jactari, ita de ea re sanxit: *Quum inter Clericos jurgium vertitur, et ipsis litigatoribus convenit, habeat Episcopus licentiam judicandi: praeeunte tamen vinculo compromissi. quod et laicis, si consentiant, auctoritas nostra permittit: aliter eos Judices esse non patimur.* verum qui modo Episcopos in ordinem redigebat, mox Principis Episcoporum auxilium implorare coactus est. Attila enim post magnas Italicarum urbium clades appropinquante, ad Leonem confugiendum fuit, ab eoque petendum, ut ipse suscepta legatione ad Attilam pergeret, placatoque hoste impendentem calamitatem prohiberet. *Suscepit hoc negotium*, inquit Prosper (3), *cum viro Consulari Avieno et viro Praefectorio Trigetio beatissimus Papa Leo, auxilio Dei fretus, quem sciret numquam piorum laboribus defuisse. nec aliud sequutum est, quam praesumpserat fides. nam tota legatione dignanter accepta, ita summi sacerdotis praesentia Rex gavisus est, ut et bello abstineri praeciperet, et ultra Danubium promissa pace discederet.*

(1) Baron. *ad hunc an. p.* 164.
(2) *Nov. lib. II. Tit.* 12.
(3) *in Chron. ad hunc an.*

III. Aurelium Adrumetinum Episcopum hoc anno in Graecia exsulem obiisse, veri plane simile est: nam Ecclesiae illi anno insequenti Felicem praefuisse inveniemus. atque id indicio, opinor, est, Genserici animum erga Catholicos paullo mitiorem factum, jam tum connivere coepisse, si quid forte Episcopi adversus leges ejus admisissent: vel certe non omnes Vandalos ita Catholico nomini inimicos fuisse, ut quidquid novi tentatum esset, recta ad Regem deferrent.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLIII.

post Quodvultdeum Episc. Carthagin.

I. Consules prodiere Fl. Vincomalus, Fl. Opilio, hic in Occidente, ille in Oriente: quibus Consulibus duo Romani nominis hostes teterrimi interiere, Attila Hunnorum, Thorismundus Visigothorum Reges, nullo tamen reipublicae bono, quae jamdiu malis domesticis laborabat. Catholici Carthaginienses hoc anno, quum tamdiu sine Episcopo fuissent, consilium clam inierunt Valentiniani Aug. exorandi, ut auctoritate sua Gensericum sibi conciliaret, impetraretque, ne se diutius Episcopo carere vellet. nam eos, credo, ad hanc spem erexerat, quod de Adrumetinis fama nunciarat, Ecclesiam apud illos a Felice Episcopo administrari.

II. Verum ea Adrumetinorum laetitia perbrevis fuit, et ante anni exitum Ecclesia illa parto nuper honore spoliata est. forte enim Felix monachum quemdam transmarinum, Joannem nomine, hospitio acceperat. hunc Arianis facile erat tamquam exploratorem ex Italia summissum traducere: itaque res ad Regem delata suspiciosum animum et omnia metuentem nullo negotio impulit, ut Felicem in exsilium ejiceret (1). ceterum ea Felicis calamitas Carthaginiensibus minime obfuit, quominus Valentiniani opera quod in votis erat adsequerentur.

(1) Vict. Vit. *Pers. Vand. lib. I. c.* 7.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLIV.

Deogratias Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Fl. Studius, Fl. Aëtius, ambo ex Oriente: nihil enim hic ad Aëtium Magistrum utriusque militiae pertinebat, quem hoc anno Valentinianus sua manu interfecit; sed apud Marcianum Aug. agebat, et Comes Domesticorum biennio ante fuerat (1). his Consulibus litterae Augusti ad Gensericum adlatae, quibus, Leonis etiam, ut credere par est, hortatu permotus, Regem rogabat, quandoquidem Catholicos Carthagine esse pateretur, ut Episcopum iis praeesse sineret, quem, comitiis permissu ejus habitis, ipsi renunciassent. nec vero inutile illud

(1) v. Hard. *Conc. T. II. p.* 464.

Valentiniani officium fuit, aut Carthaginienses diu frustrata spes est. nam sub anni finem rescriptum tulere, ut Episcopum sibi creare possent: Deique munere hoc etiam accessit, ut sanctissimus plane vir, et temporibus illis maxime idoneus designaretur. *Factum est*, inquit Victor Vitensis (2), *supplicante Valentiniano Augusto, Carthaginiensi Ecclesiae post longum silentium desolationis Episcopum ordinari nomine Deogratias: cujus si nitatur quisquam, quas per illum virtutes Dominus fecerit, paullatim excutere, ante incipient verba deficere, quam ille aliquid explicare.*

II. Enimvero ea Regis indulgentia hoc quoque attulit Catholicis boni, ut Basilicas aliquot recuperarent, in quibus secreti ab Arianis, impune sacris operarentur. ac primus eorum conventus, ut est in veteri Chronico (3), in Basilica Fausti celebratus fuit, ibique VIII. kal. Novembres, qui dies Dominicus erat, a finitimis Episcopis, quos acciverant, consecratus est Deogratias, incredibili Ecclesiae Carthaginiensis gaudio, cui jam spes aliqua affulgebat, fore brevi, ut Clero restituto et veteri splendore revocato, ad pristinum statum dignitatemque rediret.

III. Ceterum viros tum aliquos morum sanctitate insignes, quorum studia ardoremque amoris vis regia coarctabat, impetus quidam divinus alio, opinor, transtulit, ubi Deo liberius vacarent, et barbarorum saluti consulerent. clara certe Severini manet fama, quem Noricorum Apostolum veteres appellarunt (4). hic in Orientem primo se contulisse, mox ad Norici Ripensis oppida Pannoniae superiori vicina, quae barbarorum, ut Eugipius ait (5), crebris premebantur incursibus, divina compulsus revelatione venisse dicitur. vitam ejus ab eodem Eugipio accepimus (6), in qua mirae eminent viri sanctissimi virtutes, et facta Apostolo digna elucent. Afrum vero Severinum, quum ipse patriam suam vel rogatus dissimularet, Eugipius facit his verbis (7): *Loquela tamen ipsius Africanum testabatur, hominem omnino Latinum.*

(2) *Pers. Vand. lib. I. c.* 8.
(3) Canis. *A. L. T. I. ed. Basnag. p.* 311.
(4) v. Basnag. *ibid. p.* 410.
(5) *in epist. ad Paschas. ibid. p.* 412.
(6) Bolland. *T. I. Ian. p.* 486.
(7) *in ep. ad Paschas. uti legit* Canisius.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLV.

Deogratias Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum susceperunt Imp. Fl. Placidius Valentinianus VIII. Fl. Anthemius Marciani Aug. gener, qui postea Occidentis Imperium adeptus est. *Eodem anno*, ut ait Prosper in Chronici sui fine, *Pascha Dominicum die VIII. kalendas Maii celebratum est, pertinaci intentione Alexandrini Episcopi, cui omnes Orientales consentiendum putaverunt.* ceterum in Occidente atque in Africa XV. kal. Majas actum esse, non est ambigendum: in hunc quippe diem Leo magnus indixerat, cujus

auctoritati Ecclesia omnis obsequium debebat. atque id optimo jure factum, litteris ad Marcianum Aug. datis ostendit idem, *quibus*, ut ait Prosper, *ratio veritatis sollicitatae evidenter patefacta est.* at vero non alius hoc annus reipublicae tristior, et Romano nomini luctuosior fuit. inde enim labes et ruina caepit Imperii, quod nulla dein consilia, nullae vires restituere potuerunt. initium malorum a Valentiniani caede ductum est, cujus auctor Petronius Maximus fuit, is qui Consulatum bis gesserat, conspirantibus cum eo Aetii amicis, ut mortem ejus ulciscerentur. patratum Romae parricidium creditur postridie idus Martias (1). ab eo die Maximus Imperium adripuit, et Avitum utriusque militiae Magistrum creavit. sed ex quo rumor in provincias pertulit, Valentinianum e vivis sublatum esse, nihil usquam pacatum fuit, barbaris late in provincias Romanas irruentibus, quos nulla auctoritas, nulla vis cohibebat.

II. Nec vero dispar provinciarum Africanarum conditio fuit, quae hactenus Valentiniano paruerant. nam Gensericus, morte ejus audita, nullo se foedere teneri putavit, et quantum Romana Africa patebat, in potestatem suam ditionemque redegit. *Post cujus mortem*, inquit Victor (2), *totius Africae ambitum obtinuit, nec non et insulas maximas, Sardiniam, Siciliam, Corsicam, Ebusum, Majoricam, Minoricam et alias multas superbia sibi consueta defendit.* qua tamen ratione Vandali in novas provincias immissi fuerint, pacatus ne eorum accessus fuerit, an hostium more omnia peragrarint, litteris traditum non reperio: nisi quod Catholicis Episcopis eos parum aequos fuisse, multa crudelitatis eorum exempla declarant, quae inferius proferentur.

III. Romae interea Maximus, quum jam ingenti invidia flagraret, facinus novum molitus, perniciem sibi et patriae maturavit. nam quum uxorem paullo ante amisisset, hujus loco Eudoxiam Augustam Valentiniani sui morte perculsam abjectamque, ac nuptias omnino detrectantem, in matrimonium perduxit, ac filiam ejus Eudociam Palladio filio nubere coegit (3). id nempe Augustae in moerore suo atque luctu gravissimum accidit, exarsitque animus ejus incredibili dolore atque iracundia acerbissima, nihil jam cupiens, quam ut Augusti sanguinis ultor esset. quia vero serum a Marciano auxilium adfuturum videbat, ab Africa, quae in conspectu esset, sibi arcessendum putavit. itaque litteras clam ad Gensericum misit (4), quibus eum etiam atque etiam rogabat, ut Romam cum exercitu properaret, poenas de Maximo sumpturus, qui amicum ejus et foederatum impie necasset: misit et munera; quae animum ejus capere possent, et majora sperare jussit. porro gratissimae Genserico eae litterae fuere, quae tantam illi diripiendi ac praedandi occasionem praebebant. quare, quum in portu classem haberet instructam ornatamque, propediem cum ingenti exercitu ex Africa solvit, et ante ad Italiae littora accessit, quam eum discessisse Maximus rescivisset. quantus in urbe

(1) Pros. Canis. *Ant. Lect. T. I. p.* 162.
(2) *Pers. Vand. lib. I. c. 4.*
(3) Idat. Prosp. *in Chron. etc.*
(4) Evagr. *H. E. lib. II. c. 7.*

metus, quae omnium trepidatio fuerit, nemo satis explicare verbis possit. primi omnium senatores sese in fugam dedere: cumque his magna eorum turba, quibus aliquod per Italiam perfugium esset. Maximus item consilii expers nec fugientes retinebat, et fugam ipse etiam meditabatur: sed ante quam ex urbe egrederetur, milites et populus auctorem malorum tantorum detestati, partim armis, partim lapidibus incessere: prostratumque unus e Valentiniani protectoribus gladio confodit: corpus per urbem tractum laceratumque et in Tyberim projectum est. haec pridie idus Iunias contigerant: at triduo post adfuit cum exercitu Gensericus, urbemque omni praesidio spoliatam invenit. unus fuit Leo Pontifex maximus, qui ei obviam ex urbe progrederetur, eumque rogaret atque obsecraret, ut ab incendiis et caede abstineret (5).

IIII. Nec Gensericus nihil Leonis auctoritati atque precibus tribuit: sed in tanto tumultu et militari licentia ipsa Regis jussa parum valuere. urbem ingressi Vandali XVII. kal. Iulias, expilandis diripiendisque civium domibus ac templis plerisque omnibus dies quatuordecim vacarunt: quo tempore cuncta scrutati, quidquid auri argentique et gemmarum ubique fuit, rapuerunt: vetera etiam urbis ornamenta ex aere potissimum, statuas, tripodes, vasa, tegulas ipsas Capitolii inauratas in naves comportarunt, ut in Africam conveherentur (6). denique, quum jam restare nihil videretur, quod auferri posset, Gensericus, indicto in Africam reditu, Eudoxiam cum Placidia et Eudocia filiis, et Gaudentium Aëtii filium, maximum praeterea captivorum numerum Carthaginem adduci jussit, et urbem squalore luctuque perditam, et inopia rerum omnium laborantem educto milite reliquit, ut sola aliquando calamitatem suam lugere posset. at quum tantum ille praedae coëgisset, quantum avaritiam multorum satiare posse videretur; non ante Carthaginem reversus est, quam Campaniam caede atque incendiis vastasset, Capuam cepisset ac Nolam, agrum omnem Neapolitanum depopulatus esset (7). tum autem captum quidam putant adolescentem viduae filium, pro cujus redemptione Paullinus Episcopus Nolanus Africam ultro petiisse seque vicarium in servitutem tradidisse fertur (8). sed quia Meropius ille Paullinus Augustini amicus ante annos XXII. decesserat, et Nolam Episcopus alter post eum rexit Paullinus nomine; factum illud praeclarum ad hunc pertinere creditur, quem item Nolani sanctis Caelitibus adnumerant. quamquam ne id quidem satis, ut constare omnia possint, quae a Gregorio Magno narrantur. quum enim Paullinus in captivitate proximum regis exitum praenunciasse hero suo dicatur, repugnat historia, quae Gensericum usque ad annum CCCC.LXXVII. regnasse tradit. itaque vero propiora scripsere, qui haec ad saeculum sextum retrahunt, et ad Paullinum tertium spectare arbitrantur, quo tempore Trasamundus regnabat in Africa.

(5) Vict. Tonnon. *in Chron.*
(6) Procop. *B. Vand. lib. I. c. 9. etc.*
(7) *T. I. Rer. Ital. p. 89. Acct. Miscell.*
(8) Greg. *Dial. lib. III. c.* I. v. Till. *T. XIII. p.* 733. *etc. et* Mur. *Ann. Ital. T. II. P. I. p.* 238. *ed. Rom.* post hos Boll. *T. III. Jun. p.* 230.

V. Interea Avitus, quem Maximus exercitibus praefecerat, et in Gallias miserat, hujus morte et urbis direptione audita, Imperium, qualecumque tum erat, Gothis faventibus, qui plurimum illic poterant, Arelate suscepit, atque inde Romam, populo eum ultro invitante, profectus, legatos ad Marcianum Aug. illico misit oratum, ne se collegam repudiaret, neve opem suam collapsae reipublicae deesse pateretur. ceterum Avito in Africam ne adspirare quidem licuit: et quae Romanis tamdiu moribus vixerat, et libertatem cum dignitate servarat, tota jam arbitrio condonata barbarorum, jugum subiit servitutis, et Vandalica facta est. nisi quod cives neque veterem togam abjecere (9), neque Latinam linguam commutarunt: quam contra Vandali, jam in Hispania Latino sermoni adsueti, receperunt, Latinis etiam usi titulis, quum nummos cuderent (10).

(9) Vict. *Pers. Vand. lib. II. c.* 3. (10) v. Bandur. *p.* 628.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLVI.

Deogratias Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES in Fastis cientur Fl. Varanes, Fl. Ioannes, ambo ex Oriente. ceterum Romae novus Imperator, ut mos erat, Consul processerat, quem tamen Fasti non recepere, quod legationem ejus Marcianus kalendis Ianuariis nondum admisisset. at Afri, ad quos jam Consules nihil pertinebant, annos ab Regis adventu in Africam numerare didicerunt: qui quum transfretaverit anno CCCCXXVIII. his Consulibus annum novi regni vicesimum octavum agebat. enimvero Carthaginem jamdudum pervenerat regia classis spoliis urbis onusta, et captivos exposuerat, quos barbari inter se dividerent venderentque, luctuosis plane nundinis, atque ad speciem et cogitationem acerbis, quum mariti ab uxoribus, liberi a parentibus separarentur. angebat vehementer Afros Catholicos tanta Catholicorum Romanorum aerumna: sed neminem magis, quam Carthaginiensem Episcopum Deogratias, qui nihil eorum praetermisit, quae levandae calamitatis caussa vel consilio vel opibus vel labore efficere atque adsequi potuit. *Statim*, ut a Victore accepimus (1), *sategit vir Deo plenus et carus, universa ministerii vasa aurea vel argentea distrahere, et libertatem de servitute barbarica liberare, et ut conjugia foederata manerent, et pignora genitoribus redderentur. et quia loca nulla sufficiebant ad capessendam multitudinem tantam, Basilicas duas nominatas et amplas, Fausti et Novarum, cum lectulis atque straminibus deputavit: decernens per singulos dies, quantum quis pro merito acciperet. et quia plerosque insuetudo navigii et crudelitas captivitatis afflixerat, non parvus inter eos numerus fuerat aegrotorum, quos ille beatus antistes, ut nutrix pia, per momenta singula cum medicis circumibat, sequentibus*

(1) *Pers. Vand. lib. I. c.* 8.

cibis, ut inspecta vena, quid cui opus esset, illo praesente daretur. sed nec nocturnis horis ad hoc opere misericordiae feriabatur; sed pergebat excurrens per singulos lectos, sciscitans qualiter quisque se haberet. ita se huic tradiderat omnino labori, ut nec defessis membris, nec cariosae jam senectuti parceret. haec omnia Victor de pientissimi Episcopi praeclaris officiis et singulari misericordia: quem virum Deus providentissimo consilio Ecclesiae illi praefecerat, non modo ne tot miseris ex urbe captivis solatium deesset, sed etiam ut idem Arianis et barbaris documento foret, unam esse Catholicam Ecclesiam, in qua vera virtus et gratuita caritas inveniretur.

II. At haec inter Avitus Aug. viribus, ut potuit, confirmatis, quum et Italiam pacasset, et classem jam instructam haberet, legationem ad Gensericum misit, qua monebat, ut pacis meminisset ac foederis, quod cum Valentiniano pepigerat, iisque provinciis contentus esset, quas tum consensu ejus receperat: reliquas redderet, quas ad Imperium Romanum spectare non ignorabat: se quidem paratum addebat, nisi sponte cederet, bello repetere quidquid per vim ademisset; nec illi secum tantummodo, sed cum sociis et foederatis pugnandum fore, quos brevi in expeditionem esset educturus. at Gensericus Aviti legatione contempta, classem sexaginta navium adornari jussit, eamque in insulam Corsicam misit. forte autem Ricimer Comes e Gothorum gente, sed apud Romanos potens, Siculum mare cum classe navigabat. hic, ut Vandalos Corsicam appulisse rescivit, barbaros adortus ingenti clade affecit, tam laeta victoria, ut de ea Avitus laureatos nuncios ad Theodoricum miserit, qui Visigothis in Hispania imperitabat (2). sed tamen Aviti laetitia tristem habuit exitum, nec Genserico post illud proelium metus ab hoste fuit. Ricimer enim facile effecit, ut Avitus, quem oderat, honore spoliaretur, et in ejus locum Senatu auctore Imperator fieret Majorianus, quem anno insequenti Augustum appellatum constat.

III. Alias legationes hoc anno ad Gensericum venisse, a Marciano nempe geminas, compertum est. nam hic edoctus, quae nuper Regis avaritia Roma passa erat, certior etiam factus, Eudoxiam et filias ab eo in Africam abductas esse; legatos ad eum mature proficisci jusserat (3), qui Augustam et filias ab eo repeterent, commonerentque gravibus verbis, ut ab Italiae vastatione abstineret. quum autem infecta legatione illi rediissent, et dura ab Rege responsa nunciassent; Marcianus, qui Augustam et filias ejus in libertatem adserere vellet, legatum alium ex Arianis Episcopis, quo Regi acceptior esset, delegit, Bledam nomine; qui tamen, quum ad Gensericum venisset, ab eoque, partim precibus, partim minis Regem flectere conatus, eadem postulasset, quae priores legati in mandatis habuerant; repulsam aeque tulit, et solus reverti jussus est. Rex insuper, ut ostenderet, quantum ab eo consilio abesset, quod Marcianus urgebat, Eudociam Augustae filiam Hunerico filio suo in matrimonium

(2) Idat. *in Chr.* Prisc. *de Leg. p.* 73. (3) Priscus *de Legat. ibid.*

collocavit: et classem rursum instrui jussit, quam in Italiam et vicinas insulas et Illyricum etiam atque Peloponnesum immitteret (4).

(4) Procop. *B. Vand. lib. I. c.* 5. *etc.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLVII.

Deogratias Episcopo Carthaginiensi

I. Consules, ex Oriente ambo, prodierunt Fl. Constantinus, Fl. Rufus: Genserici in Africa regnantis annus vertebat vicesimus nonus. his autem Consulibus, Januario extremo, Marcianus Aug. diem obiit suum, ejusque loco Imperium adeptus est Leo. nec multo post collegam idem accepit Majorianum, qui Ravennae magno omnium ordinum consensu Augustus dictus est. prima anni navigatione classis praedonum ex Africa solvit, perniciem adlatura, ubicumque nec hostium naves, nec firma praesidia essent. Italiam enim Gensericus et totum Occidentem dotalia nurus suae praedia habebat, quae sibi optimo jure vindicaret. quamquam in Orientis quoque irrupit fines, et Graeciam terrore implevit (1): quin Alexandrinis ipsis timorem incussit, ne ad eas etiam oras praedatum excurreret (2).

II. Jam domi, secundis rebus elatus, rursum vexare Catholicos, et Episcopis in primis inimicus infensusque esse coepit, Arianis nomina eorum deferentibus, quorum virtus maxime enitebat. acti igitur in exsilium ex Mauretania Caesariensi Crescens Aquensis, qui provinciae suae primatu fungebatur: ex Tripolitano tractu Vincens Sabratenus et Cresconius Oënsis, ex Byzacena provincia Eustratius Sufetanus, ex Proconsulari Urbanus Girbensis et Habetdeus Theudalensis, quos omnes Victor recenset (3). ceterum Arianis nemo magis invisus erat, quam Carthaginiensis Episcopus, cujus admirabilis pietas et praeclara misericordis animi ac beneficae voluntatis exempla palam ante oculos omnium erant. *Quare*, inquit Victor (4), *livore Ariani succensi, dolis eum quam plurimis voluerunt saepius enecare.* sed vim Deus prohibuit, et captivorum Romanorum solatio tantum virum tamdiu servavit, dum alii redempti libertatem reciperent, alii mitiori jam servitutis conditione, liberius paullo respirarent.

(1) Proc. *B. Vand. lib. I. c* 5. *et* 22.
(2) Sur. 11. *Dec. p.* 226. §. 33.
(3) *Pers. Vand. lib. I. c.* 7.
(4) *ibid. c.* 8.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLVIII.

Deogratias Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum inierunt ipsi Augusti, Imp. Fl. Leo, Imp. Majorianus. ipsum autem anni initium Ecclesiae Carthaginiensi pertriste fuit. nonis

enim Ianuariis Episcopo suo orbata est: eo certe die *Depositio sancti Deogratias* in illius kalendario enunciatur (1): tres autem ei annos Episcopatus tribuit Victor, quibus menses duo, diesque decem addendi sunt, si nonis eum Ianuariis obiisse statuamus. insidias jamdiu, ut diximus, vitae ejus Ariani instruebant: *Quod credo*, inquit Victor (2), *praevidens Dominus, cito passerem suum de manibus accipitrum voluit liberare.* at eo amisso is fuit in illa Ecclesia luctus, qualis in patris funere moeror filiorum est: advenae etiam consternati, quos ille paterno amore foverat, atque a mortis limine revocaverat. *Cujus exitum*, addit Victor, *ita Urbici captivi planxerunt, ut tunc se putarent magis tradi manibus barbarorum, quando ille perrexit ad caelum.* soluta autem paterno funeri justa sunt, exsequias ejus cohonestantibus Catholicis magna frequentia multisque lacrimis: sepultumque clam corpus, dum populus preces rite fundebat, ne inconsulta pietate abreptus sacras illas magnae animae exsuvias distraheret. *Cujus amore et desiderio*, ait Victor, *populus intentus potuerat membra digni corporis rapere, nisi consilio prudenti, dum pro more orationi vacatur, nesciente multitudine sepeliretur.*

II. Supremis demum officiis defunctus Clerus populusque, in eo totus esse coeperat, ut Episcopum sibi diligeret, qui ejus, quem amiserant, virtutes referre posset. nec diu, opinor, haerendum fuerat post talem pietatis magistrum; ut in ejus schola dignus honore illo discipulus inveniretur. quum ecce tibi a Rege edictum acerbissimum, quo non Carthaginienses solum, sed omnes cujusque urbis Catholici, qui Zeugitanam sive Proconsularem provinciam incolerent, vetabantur, ne Episcopum in demortui locum crearent. unde tantum Arianis vel audaciae vel furoris accrevit, ut, quum Thomas quidam Episcopus per eos dies Carthagine esset, venerabilem senem, saepe jam insidiis appetitum, denique in publico aggrederentur, et faciem ejus catomis caederent (3), id est iisdem virgis, quibus sontium scapulae verberabantur: *Quod ille*, inquit Victor, *non ad opprobrium, sed ad mercedem computans gloriae suae, in Domino laetabatur.* porro ex Episcopis provinciae illius superstites tum numerabantur centum et sexaginta quatuor: ex his vero, anno CCCCLXXXVII. quo Victor Historiam suam scribebat, exstinctis ceteris, ac nemine in eorum locum suffecto, tres tantum restabant, Vincentius Giggensis, Paullus Sinnaritanus, Quintianus Urcitanus, qui tamen procul ab Ecclesiis suis vitam deseruerunt.

III. Exinde Gensericus, Catholicis domi afflictis, ac prope in Arianorum suorum servitutem traditis, animum curamque in externos vexandos diripiendosque convertit. piratae enim rursus navigare, et ad oras Campaniae exscensionem facere jussi sunt. praeerat classi reginae frater, qui e portu solvens magnum aliquid Regi pollicitus fuerat, et victoriam opimamque praedam voto et cogitatione praesumebat. sed Ma-

(1) apud Mabill. *Anal. T. III. p. 401.*
(2) *Pers. Vand. lib. I. c. 8.*
(3) *ibid. lib. I. c. 9.* v. Tillem. *T. XVI. M. E. Not. VIII.*

joriani Aug. diligentia instructae classes Campaniae littora obibant (4), et totus ille tractus praesidiis communitus accessum hostibus intercludebat. pugna tandem ad Liris et Volturni ostia commissa est, in qua Vandali fusi fugatique, magna multorum caede, ac duce ipso interfecto (5), quem Gensericus non modo reducem, sed etiam victorem expectabat. tanta autem Regi ea clades visa est, ut de audacia aliquid sua et confidentia remitteret, et Regis Theodorici amicitiam ac foedus requireret. legatos certe ad eum ex Africa missos per Hispaniam accepimus (6), qui re infecta rediisse videntur.

IIII. Nec vero post tantam rerum conversionem aut florentibus urbibus aut cultis agris aut ordinatis constitutisque provinciis utebatur. multos enim Rex ipse relegarat, plures etiam sponte profugerant; et occasionem nacti, alii atque alii quotidie in Europam transmittebant. in Gallias quippe multos pervenisse, ex Leonis Pontificis maximi responsis ad Rustici Episcopi Narbonensium quaesita discimus. nam hic ab eo sciscitatus fuerat, cum alia multa, tum etiam de his, qui ex Africa vel de Mauretania (7) venissent, et nescirent in qua secta essent baptizati, quid circa eos observari deberet: cui Leo hoc anno respondit his verbis (8): *Non se isti baptizatos nesciunt, sed cujus fidei fuerint, qui eos baptizaverunt, se nescire profitentur. unde quolibet modo formam baptismatis acceperint, baptizandi non sunt; sed per manus impositionem, invocata virtute Spiritus sancti, quam ab haereticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.* unde item illud liquet, reliquias Donatistarum in Africa magnas etiam sub Genserico fuisse: quos ne illa quidem vexatio tam gravis tamque diuturna ad bonam frugem revocavit. ceterum Rex, cui maxime intererat, Catholicos habere pacatos atque imperii patientes, crudelior in eos, quam hactenus fuerat, esse coepit, ut jam secum deliberasse videretur, Catholicum neminem ferre, et omnes tollere, quos ad Arianam sectam traducere non potuisset.

(4) Procop. *B. Vand. lib. I. c. 7.*
(5) Sidon. *carm. V. p. 322. etc.*
(6) Idat. *Olymp. 310. n. 3.*
(7) apud Hard. *Conc. T. I. p. 1764.*
(8) *epist. 167. ed. Baller. n. 18.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLVIIII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consulatu functi Fl. Ricimer, Fl. Patricius, hic in Oriente, ille in Occidente renunciatus: Gensericus regni sui annum tricesimum primum numerabat. quo tempore Majorianus Aug. quum Theodoricum in Galliis praelio vicisset, pacem mox cum eodem habere voluit, et foedere inito, opportune sibi et Imperio Romano eum conciliavit (1), ne ad Genserici partes delatus, bellum, quod in Vandalos moliebatur, viribus illius

(1) Idat. *Olymp. 310. n. 3.*

auctis retardaret. idem ingentem vim navium comparabat, ut classem Vandalis opponeret, quam contemnere non possent: quod illi mature sensisse videntur: neque enim hoc anno prodire ausi, mare, ut antea, infestum habuisse feruntur.

II. At non in Africa eodem modo cum Catholicis se gesserunt, quos voluntaria ac diuturna malorum perpessione mitigatos, nec jam aliud, quam proposita patientiae praemia spectantes, non solum oderant, sed etiam contemnebant. parum Regi tum visum, tot hactenus Catholicos extorres inopesque rerum omnium vagari: caedem inde cogitare, et sanguinem eorum expetere coepit. *sed etiam tum Martyres*, inquit Victor (2), *quam plurimi fuisse probantur, Confessorum autem ingens et plurima multitudo*: quorum tamen nec facta ad nos, nec nomina pervenerunt, paucis quibusdam exceptis, quos idem Victor in Historia sua celebravit. ex his primi sunt, quos Vandalus quidam ductor ordinum Millenarius servos habebat, Martinianus et Saturianus cum germanis duobus, item Maxima ancilla, hero omnes cari, sed Maxima potissimum, quae rem omnem familiarem curabat, et Martinianus, qui confector armorum erat, et operam domino utilem praebebat. hos autem duos Vandalus, ut illis fidelioribus uteretur, matrimonio jungi voluerat. sed Maxima, quae virginitatem Deo suam jamdiu sacraverat, maritum, rudem etiamtum Christianae pietatis, et adolescentia ferocem atque impotentem, consilio tamen atque cohortatione in sententiam adduxerat suam, ut inscio domino pudicitiam ambo servarent, eamque voluptatem sequerentur, qua Deus terrena haec et caduca spernentes, ac divina et immortalia meditantes large perfundit. nec multo post Martinianus novo vitae genere laetus, quum fratres suos tam praeclaro bono carere nollet, explicata illis vivendi ratione, quam Maxima magistra esset amplexus, facile effecerat, ut ejusdem desiderio studioque incenderentur. itaque una in domo quinque jam erant, qui Deum sanctissime colerent, et animo in servitute libero caelestia unice appeterent. haec vero ut certius atque securius adsequi possent, Vandali domum sibi deserendam rati, Tabracam nobile Numidiae oppidum, ubi etiamtum bina monasteria erant, virorum alterum, alterum feminarum, recta confugiunt, et in hoc Maxima, in illud Martinianus et socii admissi ab Andrea Praefecto, Deo se atque omnibus pietatis officiis addicunt.

III. Interea Vandalus, domo mancipiis vacua, fremere, et quo profugissent, inquirere: praemia etiam indici polliceri, ut plures essent, qui rem investigarent. nec diu illi latere potuerunt. advolat hic ad monasteria, ac singulos domum reducit, et in vincula conjicit: torqueri etiam eos jubet, ut Arianos faciat, et nefario baptismo polluat. quum constantissime repugnarent, rescivit omnia Gensericus, heroque mandata dedit, ut tamdiu eos omni ratione affligeret, dum voluntati ejus obsequerentur. ille vero fustibus robustis in serrae modum paratis ita eos caedi jussit,

(2) *Pers. Vand. lib. I. c. 10.*

ut non modo ossa confringerent, sed etiam terga lacerarent: quae tamen carnificina quoties iterata est, toties Confessores divinitus sanati ita sunt, ut nullum plagarum vestigium appareret. deinde quum in arctam custodiam traditi, et compedibus constricti fuissent, robur ipsum, quo detinebantur, computruit ac dissolutum est: quod Victor ab ipso custode se audisse scribit, qui juratus narravit, et recenti tum fama ab omnibus celebratum tradit. potuerat inde Vandalus discere, quam sanctum Deoque acceptum esset eorum propositum, quos saepius divinis prodigiis incolumes integrosque reviserat. sed quia ad miracula ipsa obduruit, et errorem pertinax deponere noluit, ultricem in se suosque numinis iram concitavit. moritur ipse, simul et filii, optima quaeque sive ex familia sive ex animantibus, intereunt. uxor ejus, quae sola restaret, et in angustia rei familiaris versaretur, invictos Confessores Sersaoni cognato Regis dono misit. vix illi in domum ejus pedem intulerant, quum filios et domesticos male a daemone vexari concutique videt. adit igitur Regem, et quae domi pateretur exponit. ad ea Gensericus, Maximam quidem dimittendam decernit: quae ad monasterium reversa, quam adamáverat vivendi regulam optavit servavitque, aevo ipso Victoris superstes, et virginum multarum magistra atque parens. at quatuor Confessores ad regulum quemdam Maurorum, qui Capsur appellabatur, vinculis obstrictos mitti voluit. erat hic superstitioni deditus et inanium Deorum cultor, habitabatque deserta Africae loca, quae Caprapicta vocitabantur.

IIII. Enimvero eo delati athletae illi admirabiles, quum apud eam gentem impia sacrificia frequentari vidissent, et obcaecati populi vicem dolentes miserarentur, Evangelii praecones facti, rudes animos barbarorum et Christiani nominis, nedum instituti, ignaros erudire, mansuefacere, excolere coeperunt. quid plura? nihil de eorum laboribus disperiit, Deoque adspirante factum est, ut quamplurimi Christiani esse vellent. sed novae Ecclesiae constituendae Presbyter deerat, qui eos reciperet, divinorumque sacramentorum participes faceret, et omnium cura suscepta tueretur ac regeret. legatos igitur per deserta tamdiu proficisci jubent, dum ad civitatem aliquam Catholicam et Romanis moribus viventem perveniant, impetrentque ab Episcopo, ut Presbyterum ac ministros nascenti Ecclesiae destinet. infecta legatio non fuit, missusque eo est, qui desideria eorum expleret: condita apud eos aedes Deoque dicata, baptizati magno numero barbari, Ecclesia in dies crescere visa est. porro clarissimis Confessoribus post tot merita quid jam nisi Martyrum laurea in votis esse poterat? eam vero ut adsequerentur, crudelitas Genserici et furor praestitit. nam quum omnia Capsur ad Regem retulisset, ille ad haec incredibili iracundia exarsit, nec solum mori jussit, sed genus quoque mortis praescripsit. *Jubet*, inquit Victor (3), *famulos Dei ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum inter spinosa loca silvarum pariter interire: ut ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis*

(3) *ibid. lib. I. c.* 11.

innocentium corpora carperentur. ita deligati, ut exitum suum invicem perviderent, quum currentibus indomitis equis, plangentibus Mauris, sese mutuo conspicerent, Vale sibi in angusto fugae unusquisque ita dicebat: Frater ora pro me, implevit Deus desiderium nostrum: taliter pervenitur ad regnum caelorum. itaque orando atque psallendo, gaudentibus Angelis pias animas emisere. et addit idem de postuma Martyrum gloria quae in ore omnium erant: *Vbi,* inquit, *usque in hodiernum diem non desinit ingentia mirabilia Iesus Christus Dominus noster operari. nam nobis beatus quondam Faustus Buronitanus Episcopus attestatus est, coecam quandam mulierem illuminatam fuisse, ubi ipse aderat praesens.* nec ambigendum est, in ipsa barbarie Ecclesiam illam parvulam horum sanguine irrigatam adolevisse: Catholicis eo confluentibus, quos Vandali pervertere nitebantur.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLX.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consules fuere Magnus et Apollonius, ille Occidentis, hic Orientis: hisque Consulibus Gensericus annum regni sui tricesimum secundum jamdiu incohaverat. Majorianus Aug. qui Africae recuperandae spem non abjecerat, e Galliis in Hispaniam profectus, inde in Vandalos bellum inferre cogitabat. fama etiam fuit, legati eum personam suscepisse, et in Africam transfretasse, ut praesens ipse, quo statu res essent, cognosceret, et Gensericum etiam et exercitus ejus atque praesidia lustraret (1). ceterum illud extra controversiam est, quum jam a Majoriano classis trecentarum navium comparata esset, ac nemo ignoraret, tantam belli molem in Africam incumbere, terrori eum apparatum Genserico fuisse, nec regna, quibus potitus fuerat, adeo firma visa esse, ut nihil sibi de incerto praeliorum exitu laborandum putaret. quin primus legatos ad Majorianum misit, qui cum eo de pace agerent. deinde quia conditiones acceptae non fuerant, et Romanos bellum a Mauretania occupanda incohaturos non dubitabat, provinciam illam totam prior ipse vastavit, et omnes tractus illius fontes veneno infecit. majus demum facinus ausus est, ut classem Romanam (2) in sinu Virgitano hyemantem aggrederetur, abreptisque aliquot navibus turbatam atque imminutam relinqueret. unde factum est, ut Majorianus expeditionem differret: quamquam majore animo instabat, ut classis quamprimum reficeretur, et copias undique suppeditari jusserat, ne quidquam bellum, quod destinaverat, retardaret. itaque Gensericum rursus pacem petere coëgit (3): quae tamen quibus conditionibus sancita fuerit, non accepimus.

(1) Procop. *B. Vand. lib. I. c.* 7.
(2) Idat. *in Chron. Olymp.* 310. *n.* 4.
(3) Prisc. *de legat. p.* 74. v. Sidonii *carmen.* v. Panegyr. *v.* 56.

II. Sed Rex, hostium metu depulso, Catholicos odio majore prosequutus est, invidiam in eos quotidie quaerentibus Arianis Episcopis, ne virtute eorum et patientia placatus, a secta sua alienaretur. horum autem consiliis incitatus, Diocletianei temporis exempla renovavit. *Mittit Proculum quemdam*, inquit Victor (4), *in provinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum ministeria divina vel libros cunctos, Domini sacerdotes, ut primo armis nudaret, et ita facilius inermes hostis callidus captivaret. quibus se non posse tradere clamantibus sacerdotibus, ipsi rapaci manu cuncta depopulabantur, atque de palliis altaris, proh nefas! camisias sibi et femoralia faciebant. qui tamen Proculus, hujus rei exsequutor, frustatim sibi comedens linguam, in brevi turpissima consumptus est morte.* sed uno exstincto multi adfuere, qui vicarii alienae crudelitatis succederent, nec manifesta Dei ultione deterrerentur. forte inter alios Valeriani Episcopi Abbenzae constantia enituerat, res sacras ne proderet, invicto animo recusantis. hunc vero Rex ita e civitate expelli jussit, ut eum nemo domi accipere, nemo in agro commorantem ferre posset: itaque diu nudus in via publica, quum amplius octoginta esset annorum, jacere coactus est: ad quem in tali exsilio salutatum se venisse Victor testatur.

III. Alia ratione tentata virtus est Numidici Confessoris. huic nomen Archinimus, patria Mascula erat. quum eum Ariani insidiose circumvenissent, fidemque ejus labefactare frustra conati essent, eundem Rex ipse blanditiis primum aggressus, magnis quoque praemiis propositis, ut in sententiam suam concederet, invitavit. verum divitiarum contemptorem expertus, capite damnatum, ad supplicium duci jussit. sed ante carnifici mandarat, ut si eum gladio jam impendente trepidantem vidisset atque ictum pertimescentem, utique feriret occideretque: timido enim et mortem paventi Martyrum gloriam defuturam credebat. sin vero fortem atque intrepidum sub ictu cerneret, gladium cohiberet, dimitteretque. ductus porro ille est, stetit, ubi carnifex voluit, genua flexit, collum vulneri objecit: ictum columnae instar immobilis opperiebatur. quamobrem, *Etsi Martyrem*, inquit Victor (5), *invidus hostis noluit facere, Confessorem tamen nostrum non potuit violare.*

(4) *Pers. Vand. lib. I. c.* 12. (5) *ibid. c.* 15.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXI.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consulatum gesserunt Fl. Severinus, Fl. Dagalaiphus, hic in Oriente, ille in Occidente. Gensericus hoc anno, qui regni ejus tricesimus tertius erat, cura metuque relevatus est, quem illi Majoriani Aug. bellica virtus atque auctoritas afferebat. nam hunc Ricimer Gothus, in Romano exercitu potentissimus, primum Imperio, dein vita spoliavit: tum illius loco Libius Severus creatus est, meritis et fama impar, a

quo nihil metuendum videretur. magnum vero praesidium Ecclesia Catholica in Leone magno amisit, quo potissimum auctore novas haereses compresserat, et praeclaris egregiorum sacerdotum exemplis atque omnium virtutum gloria floruerat. Leoni Hilarus suffectus est, qui jam sub eo obitis legationibus inclaruerat.

II. Haec inter Ariani in Africa adversus Catholicos impune omnia audebant. quid enim furorem eorum retardaret, quibus Rex ipse animos addebat, et laudem impertiebatur? forte Paschae sollemnia agebantur, quae hoc anno XVI. kal. Majas celebrata sunt; quum nunciatum Arianis est, Catholicos Regienses, sive qui in Numidia, sive qui in Mauretania erant; nam de loco non constat: Basilica, quae Regis edicto clausa fuerat, aperta, ad sacrum rite faciendum convenisse. illico Arianus Presbyter, Adduit nomine, manum cogit armatorum, et ad innocentium caedem cohortatus, secum ad Basilicam rapit: portas strictis gladiis invadunt, alii tecta conscendunt, alii e fenestris spicula jaciunt. Lector tum canebat Alleluja sublimis in pulpito: huic primo guttur sagitta trajectum est, et codex de manibus excussus: super quem corruit exanguis. multi ad ipsum altare deinde vulnerati atque occisi sunt, et omne circum caedibus templum funestatum. *Qui gladiis tunc interempti non sunt*, inquit Victor (1), *postea poenis attriti, regio jussu omnes paene necati sunt, praesertim maturioris aetatis.* pari crudelitate alibi saevitum esse idem testatur, *Sicut* inquit, *Tinuzudae*, quae Tunuda sive Thunusda Numidica esse videtur, *contigit in magalibus vici Ammoniae, vel aliis in locis, tempore, quo sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes maximo cum furore, corpus Christi et sanguinem pavimento sparserunt, et illud pollutis pedibus calcaverunt.*

III. Iam qui Catholicos ne in vicis quidem abditos respirare sinebant, multo minus in regia apud Principem versari passi sunt. Theodorico alteri Regis filio Armogastes egregius Catholicus tum apparebat (2): hunc vero Ariani pervertere omni studio conati sunt. nam quum minis et terrore de sententia dimovere non possent, inducti tortores sunt, qui tibias ejus chordis constringerent, tum ipsam frontem nervis obligatam crudelissime torquerent. caelum autem sancto viro respiciente et Christum invocante, fidiculae iterum et saepius disruptae, mirantibus Arianis, qui duplicari nervos, et tormenta iterari non semel jusserant: tum illud mirum magis visum, quod rugae potius, quam sulcus et rimae in fronte apparuerunt. alio igitur modo torqueri hominem placuit, ut uno suspensum pede totum diu corpus deorsum penderet. sed in eo quoque supplicio Armogastes divinam sensit opem, nec minus placido dormire somno visus est, quam si molli in culcitra locatus quiesceret. haec demum edoctus Theodoricus, caput Confessori ut amputaretur, praeceperat: sed a Iocundo sectae suae Presbytero admonitus, si eum gladio peremisset, fore, ut a Romanis, id est a Catholicis, Martyr praedicaretur, et posse eundem longiori

(1) *Pers. Vand. lib. I. c.* 13. (2) *ibid. c.* 14.

vexatione afflictum confici; mutavit sententiam, eumque in provinciam Byzacenam ad scrobes fodiendas damnatum relegavit. mox inde in agrum Carthaginiensem reduxit et ut omnibus contemptui esset, bubulcum fecit. quam ignominiam Armogastes ea constantia pertulit, qua reliquas injurias et omnia supplicia toleraverat. quum autem exitus sui diem adesse cognovisset, Felicem, qui apud Theodoricum Procurator domus erat, et summa fide Catholicus permanebat, ad se accivit, eique locum sub ilice ostendit, ubi corpus suum ab eo condi vellet. quum ille repugnasset, et se in una aliqua Basilica reliquias ejus humaturum dixisset; Armogastes obsistendo perfecit, ut ille promitteret, se jussa facturum. paullo post vir sanctus e vita migravit: Felix vero suprema officia persoluturus, quum terram foderet, ubi ille mandaverat, post longum laborem sarcophagum splendidissimi marmoris, qualis vix regum ullus conditus fuerit, paratum infra invenit, in quo sacrum invicti Confessoris corpus libens lugensque composuit.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consules prodiere ipsi Augusti, Imp. Fl. Leo iterum, Imp. Libius Severus. his Consulibus gravior Majoriani mors esse Romanis coepit, Genserico jam foedus rumpente, quem Severus cohibere non poterat. classis vero Vandalorum navigare rursum visa est, exscensionesque in Italiam et insulas factae, ac direptae passim urbes maritimae, vexata in primis Sicilia, et Sardinia in ditionem Regis redacta (1). Itali ob haec, nam totum jam Imperium Italia erat, metu debilitati, quum tanto hosti impares essent, Leonis Aug. auxilium implorarunt. sed quum is classe eos juvare non posset, legatum in Africam ad Gensericum misit, quocum et Ricimer alium legarat; ab eoque primum postulavit, ut Eudoxiam viduam et filiam ejus Placidiam redire Constantinopolim pateretur: tum Italiae ut parceret, pacemque cum Majoriano pactam servaret (2). sed Gensericus Augustam quidem cum filia ad Leonem hoc anno remisit: at pacem sibi cum Italis fore nullam respondit, nisi Valentiniani Aug. bona, quae filii sui uxori deberentur, ante redderent, atque Aetii etiam substantiam adderent, quae ad filium illius Gaudentium pertineret, quem ipse Roma in Africam cum Eudoxia abduxerat. legatis autem dimissis, hostium loco Italos se habere rursum ostendit, et Vandalos Maurosque piraticam facere, et Italiam ut antea vexare ac diripere jussit.

II. Nec minus interea hostem eum Catholici sentiebant, saepe eo jubente aut connivente, insidiis appetiti, atque vinculis, verberibus atque omni supplicio excruciati. qui tamen singulari quodam Dei miserentis beneficio ad miraculum fortes atque magnanimi pericula contempserunt,

(1) Procop. *B. Vand. lib. I. c. 6.* (2) Prisc. *de legat. p. 47.*

et praeclaris confessionibus nobilitati, vitam etiam de tyranno triumphantes profuderunt. insignis vero inter alios fuit id temporis Saturus Procurator domus Hunerici, qui patrem crudelitate superavit. is in Arianis arguendis perdiu liberior odia jam in se multorum concitaverat: sed Marivadum Diaconum in primis laeserat Regis filio acceptum, et ejus favore subnixum. ceterum ne odiis plus datum videretur, quam aequitas ferret, blanditiae primum adhibitae, atque honores Saturo divitiaeque promissae ingentes, si Hunerico domino morem gerens fieret Arianus. tum admonitus, parata recusanti dira esse supplicia: ac primum domo eum et substantia omni cariturum, mancipia ejus et filios divenditum iri, uxorem ipso praesente Camelario nupturam. at vero Saturus nihil his malis commotus, Arianos provocabat, ut quae destinaverant, maturarent. ii tamen, quod animum ejus expugnare vellent, uxorem submiserunt, quae constantiam ejus moerore suo ac precibus, filiorumque miseratione atque lacrimis labefactaret. et paruit illa quidem, virumque Deo supplicantem convenit stipata filiis, et parvulam in ulnis filiolam gerens lactantem: tum ad ejus pedes cum liberis abjecta, rogare coepit, quo ipse animo ferre posset, ut quos genuerat, in servitutem miseri abducerentur; nec conjugis eum misereret, quae, eo vivente, indigno ac turpi conjugio destinabatur. non ita se eumque natos, ut liberos in servitutem traderent, quorum majores nobilitate claruissent: nec vero quod liberorum caussa facturus esset, Deo fore ignotum, ab eo factum invito, quod quidam fortasse ante ipsum sponte etiam et voluntaria deditione fecissent. cui demum Saturus, Iobi sancti usurpans verba (3), *Tamquam una,* inquit, *ex insipientibus mulieribus loqueris:* dein haec, ut a Victore accepimus (4), *superaddidit: Formidarem, mulier, si sola esset hujus vitae amara dulcedo. artificio, conjux, Diaboli ministras: si diligeres maritum, numquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. distrahant filios, separent uxorem, auferant substantiam; mei Domini ego, securus de promissis, verba tenebo* (5): *Si quis non dimiserit uxorem, filios, agros aut domum, meus non poterit esse discipulus.* exinde Saturus filiorum et conjugis victor, facile in victoriae possessione permansit, nec poena jam ulla deterreri potuit, quominus fidem professionemque suam rebus omnibus anteponeret. *Discedente muliere cum filiis refutata,* inquit Victor, *confortatur Saturus ad coronam, discutitur, expoliatur, poenis conteritur, mendicus dimittitur, interdicitur ei prodeundi accessus. totum ei tulerunt, stolam tamen Baptismatis auferre ei non potuerunt.*

(3) Job. *c. II. n.* 10.
(4) *Per. Vand. lib. I. c.* 16.
(5) Luc. *c. XIII. n.* 26.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXIII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consulatum susceperunt Fl. Vivianus, Caecina Decius Basilius, iisque Consulibus Gensericus regni sui annum tricesimum quintum explebat. nova hoc anno oblata Regi occasio est quasique ansa Italiae compilandae. nam ut Eudoxia Augusta cum Placidia filia Constantinopolim pervenit, Anicium Olybrium, cui filia ejus ante urbis direptionem desponsa fuerat, ibidem invenit; eique Placidiam, Leone Augusto adnuente, in matrimonium collocavit (1). quae postquam Genserico nunciata sunt, satis jam ei caussae esse visum est, ut a Romanis Imperium Olybrio postularet, iisque non adquiescentibus, ut eos tamdiu terra marique persequeretur, dum nurus suae sororem hujusque virum Augustos renunciatos audiret (2). quare Romanis rursum ad Leonem Aug. confugiendum fuit, qui Tatianum Patricium in Africam legavit, ut Gensericum Italis aliqua ratione placaret. sed ea quoque legatio irrita fuit (3).

II. Hunc item annum Catholicorum per Africam confessionibus nobilitatum esse, ut ut viros designare non possumus, Victoris tamen luculento testimonio plane manifestum est, qui Confessorum sub Genserico ingentem et plurimam multitudinem exstitisse confirmat (4). sed Catholicos, qui Mauretaniam et provinciam Tripolitanam, id est regni Africani extrema incolebant, tranquilliores fuisse, veri omnino simile est: nam Vandali in Numidia fere et provinciis Zeugitana et Byzacena consederant; quos inter Ariani Episcopi versabantur, quibus maxime auctoribus Catholico nomini invidia creabatur.

III. Pertinet ad hunc annum ignoti scriptoris liber in Africa editus *De Genealogiis Patriarcharum* (5): in quo quidem ad nos non pauca de Genserico, quem Geisericum vocat, sub finem transmissa essent, nisi extremam codicis partem vetustate prope absumptam accepissemus. numerat ille Genserici annos a Carthagine capta: itaque annus hic regni Genserici vicesimus quartus ab eo dicitur, qui a prima Africae vastatione sextus ei et tricesimus erat.

(1) Evagr. *H. E. lib. II. c. 7.*
(2) Prisc. *de legat. p. 74.*
(3) *idem ibid. et p. 49.*
(4) *Pers. Vand. lib. I. c. 10.*
(5) Mans. *in App. T. I. Misc. Balut. p. 405.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXIIII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consulatum gesserunt Fl. Rusticus, Fl. Anicius Olybrius, is qui deinde Imperium delibavit. Gensericus, qui annum regni tricesimum sextum attigerat, Siciliam hoc anno compilatum Vandalorum suorum classem

misit. forte exercitum Gothorum illic Marcellinus Patricius regebat, cui jamdiu Majorianus eam insulam committendam duxerat, invito Ricimere, qui laudi ejus invidebat. Vandali vero, qui saepe provinciam illam impune vexaverant, quum licentius vagarentur, nec satis sibi caverent, ingruente Gothorum exercitu caesi passim aut fugati sunt, iis etiam ejectis, qui oppida jampridem aliquot occupaverant (1).

II. At Gensericus nunciis de clade suorum acceptis, iram, qua aestuare coeperat, ut mos illi fuit, in Catholicos effudit. nam hoc, opinor, anno contigere, quae Victor de Ecclesia Carthaginiensi tradit. *Post haec,* inquit (2), *Gensericus Ecclesiam Carthaginis claudi praecepit, dissipatis atque dispersis per diversa exsiliorum loca, quia Episcopus non erat, Presbyteris et ministris:* ut nullis, si fieri posset, Catholicae religionis vestigiis Carthagine relictis, sola ubique Ariana perfidia dominaretur. Vandali etiam duo, qui se Catholicae Ecclesiae addixerant, gravia multa perpessi jam tum dicuntur (3), quamquam saevius eos deinde Hunericus afflixit: nec minus tentata fides Dagilae (4) matronae, quae uxor erat Praepositi Cellariorum: quamquam haec quoque sub Hunerico acerbiora tulit. nec dubium est, multo plures in certamen adductos esse, et magnis virtutis suae exemplis editis, praeclaras victorias retulisse. verum aut scriptore caruerunt, aut certe quae scripta fuerant, vetustate interiere.

(1) Idat. *in Chron. Olymp.* 311.
(2) *Pers. Vand. lib. I. c.* 17.
(3) Vict. *ibid. lib. v. c.* 10.
(4) *idem ibid. c.* 8.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXV.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consules, ex Oriente ambo, prodierunt Fl. Basiliscus, Fl. Herminericus: regni autem Genserici annus erat tricesimus septimus. Severum Aug. hoc anno decessisse constat, quum Romae esset: fama vero percrebuit, veneno eum a Ricimere esse sublatum. exinde biennium sine Augusto Italia fuit: Ricimere, penes quem exercitus erat, omnia ad arbitrium moderante. ceterum tutelam Italiae hic suscepit, ac bellum in Vandalos apparare, classemque instruere aggressus est (1). hos tamen Italiae motus facile Gensericus contemnebat, qui quam attritae Italorum res essent, optime norat; et piratas suos Orientis provincias vastatum mittebat, quod jam Italis vix quidquam restaret, quo illi ditari possent.

II. Concilium Hilarus Pontifex maximus Romam vocavit, in quo plerique ex Italia Episcopi adfuere, cumque his duo etiam ex Africa, Restitutus et Octavius: quod et ii tum Romae, aliis opinor de caussis versarentur. perlatos porro ab his in Africam ejus Concilii canones puto: quum hoc quoque decretum esset, ut quae praescripta definitaque essent, ea in omnium Ecclesiarum notitiam efferrentur (2).

(1) Idat. *in Chron. Olymp.* 311.
(2) Hard. *Conc. T. II. p.* 799.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXVI.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consules fuere Imp. Fl. Leo III. Tib. Fabius Tatianus, uterque in Oriente. Gensericus ab ejus adventu in Africam annum numerabat tricesimum octavum: cui tamen cruda viridisque senectus erat, ut neque crudelitas ejus in Catholicos, neque furor in hostes annis mitigari videretur. id designare Victor volebat, quum delibatis iis, quae Rex barbarus multa atque atrocia in Africa patraverat, quam multis praeterea in provinciis debacchatus esset, sic indicavit (1): *Quae vero in Hispania, in Italia, Dalmatia, Campania, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutiis, Venetia, Lucania, Epiro Veteri, Hellade gesserit, melius ibi ipsi, qui passi sunt, miserabiliter lugendo narrabunt:* quibus verbis multorum plane annorum rapinas, incendia, vexationes, caedes complexus est.

II. At hoc anno ferocitate atque audacia pari expectabat, quo tandem Ricimeris expeditio et totus ille Italicus apparatus recideret. nec Ricimeri animus deerat, aut Itali serius classem, quam opus esset, ornarant. verum venti tempestatesque adeo Genserico obsecundarunt, ut clauso mari ac numquam sedatis fluctibus, cursum tenere classis et in Africam transmittere nullo modo potuerit (2). itaque Rex eo successu ferocior etiam factus est, nec se jam virtute solum, sed etiam felicitate magnum putavit. accessit paullo post, quae animum ejus inflaret, Regis Remismondi in Hispania dominantis legatio, et quae item a Rege Visigothorum Enrico missa est, qui nuper in Galliis Theodorico fratri successerat (3): horum enim amicitia fretus, satis se communitum existimabat, ne ullius arma pertimesceret.

(1) *Pers. Vand. lib. I. c.* 17.
(2) Idat. *in Chron. Olymp.* 311.
(3) Sidon. *lib. VII. epist.* 6. Isid. *et* Idat. *in Chron. etc.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXVII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consulatum iniere Fl. Pusaeus, Fl. Ioannes, ambo in Oriente: quibus Consulibus Gensericus regni sui annum agebat tricesimum nonum. quum autem Imperator Occidenti nondum datus esset, instabat ille, ut Olybrius crearetur, qui nurus suae sororem Placidiam in matrimonium duxerat. sed Leo Aug. jamdiu in Gensericum iratus, quod nec Italiae rogatus pepercisset, et insuper Orientis provincias attentasset, Anthemium virum Consularem, qui Marcianam Marciani Aug. filiam uxorem habebat, hoc anno praeoptavit, et Romanis per legatos petentibus ultro dedit (1):

(1) Procop. *B. Vand. lib. I. c.* 6.

qui statim, magno stipatus exercitu, et lectissimis ordinum ductoribus praeeuntibus, in Italiam atque in urbem summa omnium laetitia venit, Hilaro Pontifice maximo etiamtum superstite; quippe qui Augustum admonuisse fertur, ne Philothei haeretici Macedoniani consilia in republica administranda sequeretur (2).

II. Eodem tempore Leo Aug. Philarchum ad Gensericum legavit, qui eum ab Italia atque ab Oriente abstinere juberet: moneretque, nisi obtemperasset, bellum in Africam usque illatum iri. cui Rex mirari se ait, qui primus pacta violasset, hoc a se petere audere (3): spretum enim Olybrium indignabatur, et negatum sibi jactabat, quod deberetur. itaque rejecta legatione, bello se decertaturum respondit; et ab eo die omnem in id curam contulit, ut delectum haberet, copias quam maximas compararet, Africam late praesidiis classibusque muniret. nec minus Leo, postquam Philarchus Regis responsa retulit, bellum, quod minatus fuerat, moliri, instruere exercitum, classem ornare coepit.

(2) Gelas. *epist.* 11.

(3) Procop. *ibid. etc.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXVIII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consul in urbe processit Imp. Fl. Anthemius iterum: de collega minus constat: unusque Victor Tonnonensis Consulem cum eo facit Leonem Aug. IIII. eodem anno VIIII. kal. Martias (1) Ecclesia Romana Hilarum amisit, in cujus locum creavit Simplicium. haec inter Romae etiam bellum in Vandalos apparabatur, Ricimere instante, qui nuper Anthemii Aug. filiam uxorem duxerat: quae legati Regis Remismondi a se in urbe visa, in Hispaniam reduces retulerunt (2).

II. At Leo Aug. viribus Imperii sui contra Vandalos pugnaturus, omnes Italiae apparatus conatusque longe superavit. naves enim ex toto Oriente amplius mille, et magnas undique copias contraxit, ut singulae naves milites veherent centenos (3). tantae autem classi Anthemii auxilia accessere, ne illa quidem modica: ut nihil majus ab ullo Imperatore tentatum antea praestitumque putaretur (4). belli summa Basilisco Verinae Aug. fratri commissa est, viro Consulari, et virtute saepius Thracico bello spectata. datus ei Legatus Ioannes, vir bellica laude clarissimus. duces item constituti duo, Marcellinus et Heraclius, quorum alter Sardiniam occuparet, alter provinciam Tripolitanam invaderet. e Sicilia solvisse classis trifariam creditur, sed primus omnium mandata, quae receperat, Marcellinus effecit, Sardinia adventu ipso subacta, et Vandalis caesis, qui fugam non maturaverant. Basiliscus, qui Carthaginem recta petere jussus fuerat, classem Genserici obviam offendit, quacum saepe

(1) v. Pag. *ad an.* 467. *n.* 3.
(2) Idat. *in fin. Chron. n.* 3.

(3) Cedren. *p.* 350.
(4) Procop. *B. Vand. lib. I. c.* 6.

conflixisse dicitur (5), neque exitu infausto: nam multis Vandalorum navibus captis aut depressis, Carthaginem usque victor pervenit. sed quum jam victoriam teneret, atque hosti conditiones dicere posset; legatos Genserici, qui magnum auri pondus adferebant, nefaria proditione admisit, et inducias cum hoste, quas dolo petebant, pessimo publico atque ingenti suorum pernicie pepigit. nam Gensericus induciis ad insidias struendas usus, naves ad incendium faciendum paratas in confertam Basilisci classem noctu immisit, quae vento obsecundante repente irruentes partim inflammarunt, partim in fugam conjecerunt, Vandalis fugientes urgentibus, quos Gensericus per littora dispositos monuerat, ut Romanos abeuntes persequerentur. quo in periculo Ioannis Legati virtus enituit, qui suos cohortatus, acerrime contra hostes pugnavit, et post multorum caedem, quum navis ejus in potestatem Vandalorum venisset, arrepta tabula se in mare projecit, et vita a Gensone Regis filio oblata, vivere recusavit (6). bona tamen navium pars cum Basilisco in Siciliam pervenit: qui deinde Constantinopolim reversus, quia proditionis passim accusabatur, in asylum confugit. inde, Verina Augusta pro eo supplicante, Heracleam in Traciam secedere permissus est.

III. Heraclius vero cum Marso Isauro provinciam Tripolitanam, si Procopium audias, Vandalis ejectis jam receperat, quum Basiliscus Carthaginem accedebat. sed Theophanes biennio post, quod veri minus simile est (7), bellum illic gestum narrat, et Gensericum pacem petere coactum esse: quam et a Leone impetrarit, qui domestico periculo et civili dissensione perterritus, probatos exercituum duces Constantinopolim redire, ac sibi praesto esse cupiebat. ceterum Procopius nullam inter Regem et Augustum pacem fuisse significat, ac diserte post hunc annum usque ad Zenonis Aug. tempora Vandalos Romanis arma intulisse, et multo etiam crudelius quam antea eorum fines vastasse scribit. itaque si paci unquam Gensericus studuit, hanc id temporis cum Catholicis eum habuisse crediderim, quos domi pacatos esse maxime intererat: ut paullum in tantis Vandalorum motibus respirasse, et libere pietati ac religioni indulsisse putandi sint.

(5) Theoph. *ad an. Alex.* 461.
(6) Procop. *B. Vand. ibid. p.* 193.
(7) v. Tillem. *H. Emp. T. VI. p.* 640.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXVIIII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Signant hunc annum Consules Fl. Zenon Isauricus, Fl. Martianus: qui regni Genserici quadragesimus primus erat. nulla Regis facta illustria huic anno adscribuntur, sed operam ab eo positam in restituendis urbibus, quas vis belli afflixerat, minime ambigendum est. geminae autem exstitere caussae, cur ipse in primis laetaretur, et unde plus firmamenti

ac virium sibi et regno suo accessisse existimaret. nam in Italia quidem gravis et acerba dissensio inter Anthemium et Ricimerem commota fuerat (1), quae populis in contraria studia divisis, civile potius, quam hostile bellum minabatur. Constantinopoli autem Aspar Arianus et Genserici amicus, cujus opera Basiliscus anno superiore classem hosti prodidisse putabatur, jam a Leone impetraverat, ut filius ejus Patricius in spem Imperii Caesar appellaretur (2).

II. Florebat, id temporis in Galliis vir doctus ex Africa Domnulus, quem Apollinaris Sidonius virum Quaestorium appellat (3), ac saepe a litteris et politioris humanitatis studiis commendat (4). nimirum qui eum vitae cursum petivissent, quid in Africa sperare poterant, Vandalis dominantibus? sed ea Domnuli potior laus, quod pietatem coleret, et monasteriorum secessus amaret, in quae, ut Sidonius ait (5), libenter solitus ascendere, jam caelestibus supernisque habitaculis praeludebat.

(1) Ennod. *in vit. Epiph. Tic. p.* 1002.
(2) Zonar. *p.* 41. *etc.*
(3) *in praef. ad carm.* 14.
(4) *lib.* VIII. *epist.* 13. *et* 15.
(5) *lib.* III. *epist.* 25.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXX.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Fl. Iordane, Fl. Severo Consulibus annum Gensericus quadragesimum secundum regni sui agebat, felicior in dies, si potest ulla in scelere esse felicitas. hoc certe anno Euricum Visigothorum Regem Arianum, in Hispania late dominantem, partim cohortationibus, partim muneribus impulit (1), ut Anthemio Aug. bellum indiceret, quod in Galliis potissimum gestum est. ita non modo sine metu Africa fuit, sed classis quoque ejus navigare libere et praedas agere potuit.

II. At vero Catholicis Afris quae id temporis libertas concederetur, exploratum non habemus. sed illud omnino admittendum est, tot inter calamitates religionem in iis atque pietatem radices egisse, et quidquid vitii inoleverat, amputatum avulsumve esse: quod egregia eorum facta declarant, qui deinde ob Catholicam professionem non exsilia solum, sed mortem ipsam invicta constantia pertulerunt. cum his puer trimus crescebat, Telepte in provincia Byzacena natus, magnus Fulgentius, is qui postea Ruspensium Episcopus factus, clarissimis omnium virtutum exemplis eluxit. non unum ei nomen cognomenve, ut tempora illa ferebant, sed *Fabius Claudius Gordianus Fulgentius* dicebatur (2), quae nobilitatis indicia viri sancti contemnere soliti, aliquando usurparunt, quum nempe ad Ecclesiae dignitatem tuendam conferre aliquid viderentur,

(1) Jornand. *de reb. Goth. c.* 45.
(2) Fabric. *B. Gr. T.* XIII. *p.* 800.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXI.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. CONSULATUM gesserunt Imp. Fl. Leo IIII. Fl. Probianus: quibus Consulibus Gensericus annum regni sui quadragesimum tertium attigerat. parum laeti hoc anno ad Regem nuncii venere Constantinopoli, Asparem et filios novis rebus studentes a Leone Aug. esse interemptos. sed hoc illi ansam praebebat ad provincias Orientis vexandas: ut nempe Arianorum suorum mortem ulcisceretur. tanti autem seditiosorum motus conatusque erant Constantinopoli, nihil ut inde periculi aut suspicionis importari Africae posset. nec minus Anthemium Visigothorum irruptio et Eurici arma detinebant: quamobrem Gensericus domi etiam quietus vincebat, et regnum suum alienis laboribus confirmabat, Hunerico illud filio maximum et locupletissimum traditurus, qui jam ex Eudocia Hildericum susceperat: ut Regi seni in domo ejus perpetuo mansura dominatio portenderetur.

II. In illa igitur regni amplissimi tranquillitate, in tanta congestarum opum copia, quum summa ejus apud exteros reges esset auctoritas, maxima rerum gestarum gloria, nemo tum Genserico felicior habebatur. sed Catholici homines, qui plus sapiebant, hinc maxime intellexerunt, quam ea bona levia essent, et nullo apud Deum in pretio; quandoquidem his cumulatum voluerat hostem nominis sui, crudelem, impium, caede Martyrum cruentatum.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. CONSULES fuere Fl. Festus, Fl. Marcianus: regni autem Genserici annus decurrebat quadragesimus quartus. praeclarum hoc anno facinus in aula Regis ausa mulier est, cui nec regiae splendor nec copia divitiarum nec famulorum et ancillarum obsequia veteri libertate potiora visa sunt. ea fuit Eudocia Eudoxiae Augustae filia, quam Gensericus Roma abductam Hunerico filio sedecim ante annis in matrimonium collocaverat. nam jamdiu Ariani hominis et barbari conjugium perosa, quum sese illi optanti ac quaerenti occasio obtulisset, fugam adripuit, et Regem ac maritum elapsa fefellit (1), ut libera ad suos ac votorum compos avolaret. Constantinopolim igitur (2) primum petiit, ut Augustos salutaret, deinde Hierosolyma, ubi et avia ejus obierat, se contulit, cujus item sepulcrum invisit. illic aviae exemplo, quod ei reliquum vitae fuit, inter veneranda Christianae religionis monumenta traduxit, et magnum divinae Anastaseos templum, omni substantia sua testamento transmissa, ample

(1) Theoph. *ad an. Alex.* 464. (2) Zonar. *in Marciano*

magnificeque ditavit: illud unum ab Archiepiscopo precata, ut mancipii sui, quo in fuga fidissimo usa esset, Curci nomine, ac liberorum et conjugis ejus curam susciperet (3).

II. Interea Gensericum nurus suae fuga illa improvisa etiamtum frementem insperatae Imperii vices, ac repentini Italiae motus placaverunt. nam Ricimeris conspiratione non modo Anthemius Romae sublatus est; sed etiam Olybrius, cui jamdiu Imperium postulabat, in ejus locum Augustus est appellatus. quare gloriari Rex denique poterat, Hunericum filium pari cum Augusto dignitate florere: quum hujus uxor esset Placidia Eudociae soror, quam modo commemoravimus. sed Olybrius, imperium, qualecumque tum erat, vix nactus, cum vita amisit, quarto dudum mense incohato, ex quo Anthemius occubuerat, et altero post mense, quam parricida ille Principum Ricimer decessisset (4).

III. Haec deinde consequutum ostentum est terroris plenum, quod Africae e regione sitae invisum fuisse haud crediderim, quum tota Europa spectatum late cognitumque acceperimus. nam, ut Marcellini Comitis utar verbis, *Vesuvius mons Campaniae torridus, intestinis ignibus aestuans, exusta evomuit viscera, nocturnisque in die tenebris incumbentibus, omnem Europae faciem minuto contexit pulvere.* id VIII. idus Novembres contigisse, indicio sunt Fasti Ecclesiae Graecae, in quibus ad eum diem prodigii ejus memoria celebratur (5).

(3) Theoph. *ibid.*
(4) Evagr. *lib. II. c.* 16. Vict. Tonnon. *etc.*
(5) v. *Kal. CP. vol. I. p.* 215.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXIII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consulatum suscepit gessitque solus Imp. Fl. Leo V. quo Consule Gensericus annum regni sui quadragesimum quintum numerabat. eodem anno Leo Aug. vitam suam in exitu esse sentiens, Leonem Zenonis generi filium Caesarem fecit, mox et collegam adscivit (1). Italia quartum jam mensem post Olybrii mortem sine Imperatore fuerat: quum Glycerius III. nonas Martias Ravennae Augustus appellatus est, Leone insciente, qui jam alium destinabat. ne quid autem Gensericus ab Italia metueret, Ostrogothi, qui Pannoniam incolebant, duce Videmiro jam aderant, si quid reliquum erat, direpturi: quos Glycerius muneribus placatos domum redire persuasit (2).

II. Quum porro subit, quam crebro Italia id temporis a barbaris vexaretur, quam exhaustae opibus urbes essent, quam passim oppida et agri ipsi squalerent; jam quos ex Afris miseriores dicam, plane anceps ignoro, eos ne, qui in Africa sub Vandalis grave servitutis jugum ferebant; an eos, qui servitutem fugientes, vel etiam in exsilium

(1) Candid. Isaur. *H. B. T. I. p.* 18.
(2) Jornand. *de reb. Goth. c.* 56. *etc.*

ejecti, Italiam petierant, et egestatem suam fortuita stipe aut precario quaestu sustentabant. magnas enim utrobique aerumnas propositas video, odia multorum, offensiones, pericula: ut unum omnibus solatium in illis malis reliquum esset sceleris pura religio, et Deo teste conscentia recte factorum. haec eos et in servitute et in egestate felices praestare potuerunt, atque ad caeli conspectum certamque spem libertatis erigere, quam semel adepti numquam essent amissuri.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXIIII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consul processit sine collega Imp. Fl. Leo junior. Glycerius Romae Imperatorem agebat; sed jam Leo senior Augustus Julium Nepotem designaverat, qui Ravennae Imperium auspicatus, Glycerium subinde ad portum Ostiensem comprehensum in ordinem redegit; mox detonsum et Episcopum factum, Salonitanae Ecclesiae praeesse passus est (1). interea Leo Constantinopoli decesserat mense Januario, jamque Leonis junioris consensu Zenon hujus pater Augustus cum figlio appellatus fuerat; qui mox solus, eo etiam morte praerepto, Imperium Orientis administravit (2).

II. At Gensericus, qui regni sui annum quadragesimum sextum attigerat, in ipsa senectute bellator et praedo, classem primo vere maria de more obire, et ad Orientis oras accedere jusserat. quas potissimum urbes Vandali aggressi mox fuerint, quas praedas egerint, consignatum litteris non invenio. sed gravissimam Orienti eam expeditionem fuisse, pacis cum Genserico faciendae consilium hoc anno a Zenone susceptum ostendit: qui bellum, opinor, in ipso Imperii sui exordio, rei militaris non ignarus utique praeoptasset, nisi eum ingentes illae classes et Vandalici exercitus robur et facta deterruissent: praesertim quum Italia ipsa opem occidenti Imperio afferri vellet, quod sustinere viribus suis frustra conabatur.

(1) Marcellin. *in Chron. etc.* (2) Vict. Tonnon. *in Chron. etc.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXV.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consulatu solus functus est Imp. Fl. Zenon Isauricus iterum: quo Consule Gensericus regni sui annum agebat quadragesimum septimum. Iulius Nepos hoc anno Ravenna pulsus, Imperii abjecit insignia (1), quibus Orestes Patricius Romulum filium ornavit, qui Augustulus dictus est, et tantam illam personam in Italia ultimus gessit. haec inter Zenon Aug. lectum e senatorum numero Severum, quem Carthaginem ad Gen-

(1) Jornand. *de reb. Goth. c.* 45.

sericum legaret, ut dignitatem viro adderet, Patricium creavit, ac subinde in Africam legationis caussa proficisci jussit. mature haec resciverat Gensericus, et Severo ad eum navigante, classem e portu solvere imperaverat, et Nicopolim, oppidum in Epiro maximum petere; quod ante captum a Vandalis est, quam Severus Carthaginem perveniret (2).

II. Enimvero Legatus, ubi primum a Genserico admissus est, graviter queri coepit, quod de pace acturus, se Rex hostiliter gereret, et foedera armatus iniret. cui Gensericus, quae quidem eatenus gesta essent, ea ab hoste in hostem patrata respondit: exinde se legationem ultro missam accipere, et quae afferret, libenti animo auditurum. miratus autem Legati modestiam ac temperantiam, colloquiis ejus delectari coepit; tum aequitatem ejus et abstinentiam singularem expertus, (munera enim Regis recusaverat, nec alia sibi dona accepta fore dixerat, quam eorum vitam et libertatem, quos e gente sua apud Regem captivos videret) laudavit Rex tantam Severi continentiam, tamque benevolum animum; et captivos quidem, qui apud se et filios essent, se ei omnes remittere ait: ceteros, quos donare ipse non posset, si redimere vellet, iis non invitis, in quorum mancipio erant, se ultro permittere, ut de pretio pacisceretur. cujus rei caussa Severus, quidquid auri argentique ac vestis apud se habebat, vendidit, et quam plurimos potuit, in libertatem adseruit.

III. Quae post haec conditiones pacis dictae fuerint, non liquet: at illud exploratum est, eo foedere fidem Vandalorum devinctam esse, nec pacem illam brevem fuisse, sed ad Iustiniani usque tempora perdurasse. novimus etiam curae Legato fuisse, ut Regem Catholicis Afris placaret, ejusque opera ab eodem impetratum, ut templa Catholicorum Carthagine aperirentur (3), et Presbyteris totique Clero Carthaginiensi postliminium esset. quamobrem tanta omnium laetitia fuit, ut speciem jam aliquam videre sibi viderentur quasi reviviscentis illius Ecclesiae, quam parentum aetate filii florentissimam fuisse audierant; parentes ipsi aliquot supestites, adolescentiam ultimam repetentes, clarissimam et maximam recordabantur.

(2) Malch. Rhet. *de legat. p.* 87. *T. I. H. B.* (3) Vict. *Pers. Vand. lib. I. c.* 17.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXVI.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consules prodiere Fl. Basiliscus iterum, Fl. Harmatius. Zenone enim deturbato, Basiliscus tyrannidem occupaverat, ac simul, ut mos novorum Principum ferebat, Consularia ornamenta susceperat, adscito sibi collega Harmatio, quem factionis suae fautorem habuerat. his autem Consulibus quae reliqua erat in Italia Imperii Romani umbra, evanuit penitus periitque, Romulo pulso, Oreste patre interfecto, ac pro Impe-

ratore, quem semper reipublicae Romanus Orbis suffecerat, Rege e barbarorum gente inducto, qui regnum Italiae incohavit (1). is fuit Odoacer, modo miles ex foederatis barbaris, quos Augusti in exercitibus auxiliares jamdiu habere coeperant, mox gregalium consensu et favore Rex; quem Roma ipsa ferre coacta est, quingentis septem annis post Actiacam victoriam, cum annus esset a condita urbe M.CC.XXVIII. ceterum Odoacer regiam Ravennae constituit, nec de veteri reipublicae forma quidquam mutavit. idem ut quieti Italiae consuleret, Gensericum sibi conciliare nisus est: in eaque re felicior, quam superiores Principes fuerant, non modo pacem cum ipso sanxit, sed etiam Siciliam ab eo hac conditione impetravit, ut Lilybeum quidem Vandalorum esset (2), ipse autem pro reliqua insula tributum Regi Vandalorum quotannis penderet (3).

II. Haec porro Genserici facilitas eo spectabat, ut regnum, quod ab adventu ejus in Africam anno jam quadragesimo octavo obtinebat, Hunerico filio brevi relicturus, tranquillum et omni praesidio firmatum ac constitutum transmitteret. itaque, quamquam non ignorabat, quae rerum conversio Constantinopoli consequuta esset, pacem quoque et conditiones, quas cum Zenone Aug. pactus fuerat, sancte servavit, et Catholicos exsules (4), qui Carthaginem redibant, coetus suos celebrare, et sacris operari passus est. quo tempore Vandali ipsi, qui provincias Africae regebant, Regis exemplo admoniti, reliquis Catholicis, quos fidelissimos ac patientissimos norant, aequiores atque humaniores fuisse putandi sunt. quin et in tota Mauretania, in Numidia atque in provincia Byzacena permissum apparet esse, ut in demortuorum locum novi Episcopi constituerentur: nam octavo post anno, cum Ecclesiae omnes viduatae rectoribus suis sunt, in singulis illis provinciis vel duplo major Episcoporum inventus est numerus, quam eorum esset, qui tum in Proconsulari provincia censebantur.

(1) Jornand. *de reb. Goth. c.* 46.
(2) Procop. *B. Vand. lib. II. c.* 5.
(3) Vict. *Pers. Vand. lib. I. c.* 4.
(4) *idem ibid. c.* 17.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXVII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consules hic annus nullos habuit, itaque in Fastis designatur *post Consulatum Basilisci et Harmatii.* ceterum faustus Zenoni Aug. fuit: Imperium enim tyranno capto recepit. in Italia Iulius Nepos, quem Zeno Augustum quadriennio ante fecerat, frustra Odoacri regnum labefactare conatus est. at vero in Africa illud gentis Vandalicae robur, illud Arianae factionis columen tandem aliquando concidit, et in uno Genserico terror provinciarum, eversor regnorum, exterminator Romani nominis, terrae marisque domitor exstinctus est. erat hic annus, ex quo

Vandalos in Africam traduxerat, quadragesimus nonus, a capta Carthagine tricesimus octavus: decessisse autem creditur VIII. kal. Februarias (1), Hunerico filio regni successore ea lege designato, ut post eum alter e suis regnaret (2), qui major natu esset. atque idem filio strenuos quosdam viros, quibus familiarissime usus erat, summo studio commendasse dicitur, eumque jurare coëgisse, nihil sibi antiquius futurum, quam ut ii apud se honoribus et gratia florerent. fuit enim in Rege illo cum in dignoscendis aestimandisque hominum ingeniis ac moribus acre judicium, tum etiam in virtute honoranda, praeclarisque factis remunerandis mira voluntas et animus plane regius. sed in Hunerico vitia quidem patris omnia revixerunt, at nulla virtutis umbra reperta est; quamquam simulator egregius eos ipsos initio decepit, quum aliud secum moliretur, aliud sperare omnes juberet.

II. His artibus regnum auspicante Hunerico, mox etiam Catholici, quae miserorum in bene sperando facilitas est, obliti jam quid ille adversus nonnullos Confessores privatus gessisset, animos erexerunt, et felices denique dies adventare putabant, quibus Ecclesia pristinam dignitatem et gloriam consequeretur. nam ille *In primordio regni*, inquit Victor (3), *ut habet subtilitas barbarorum, coepit mitius et moderatius agere, et maxime circa religionem nostram: ut etiam ubi antea sub Rege Genserico praejudicatum fuerat; ne spiritales fierent conventus, conventicula concurrerent populorum.* accessit vero ad fallendos plerosque mirum in speciem religionis studium, et summa in Manichaeos acerbitas severitasque inexorabilis. nam multos ex his vivos combussit, plurimos navibus impositos diversa in loca deportandos curavit. et erant plerique omnes ex ipsius Regis secta, Presbyterique non pauci ac Diaconi Arianorum, quorum in numero Monachus repertus quidam nomine Clementianus, qui scriptum in femore habebat, *Manichaeus discipulus Christi Jesu* (4). itaque majori hoc laudi Hunerico vertebatur, quod ne suis quidem pepercisset, et in criminibus vindicandis sceleris gravitatem, non hominum conditionem spectasset. ceterum ea Regis simulatio cum diuturna propitiae voluntatis significatione non parum Catholicis profuit: liberius enim Episcopi Presbyterique munere suo diu functi sunt; et qui ex iis plus videbant, eos, qui sibi fausta omnia promitterent, orare atque hortari non destiterunt, ne quod a Deo tempus ad animos confirmandos tribuebatur, inani laetitiae voluptate abrepti, sine ullo pietatis studio aut ulla malorum futurorum providentia elabi paterentur.

(1) v. Till. *M. E. T. xvI. p.* 795.
(2) Vict. *Pers. Vand. lib. II. c.* 5.
(3) *Pers. Vand. lib. II. c.* 1.
(4) Victor *ibidem.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXVIII.

post Deogratias Episc. Carthagin.

I. Consul in Oriente Illus fuit sine collega, eo honore a Zenone auctus, quod ejus maxime opera ipse iterum Imperio potitus esset. in Africa Hunericus annum regni alterum vix incohaverat, quum jam ingenium ejus erumpere, et quaenam esset hominis indoles, apparere coepit. neque enim illi aut a Zenone Aug. aut a Regibus, qui per Europam dominabantur, metus erat ullus aut levis belli suspicio; quum eos omnes non modo foederatos, sed etiam amicos haberet: tum qui in Africa bellum minabantur, agrestes Mauri (1), eos non magno exercitu facile coërcebat. itaque domi impune, quae vellet, tentare poterat, opibus suis ac potentia cuique terribilis, et veterum quoque amicorum praesidio vallatus. porro ei ab avaritia exordium fuit, quo vitio, praesertim in Principibus, nihil est tetrius. alieni quotidie appetens, omnium locupletum bona spe primum et aviditate devorabat (2): tum eorum spoliandorum caussam rationemque inveniebat, acerrima illa ministra avaritiae calumnia, quam quis effugere posset, Rege ipso bona repetente atque accusante! unde tritum sermone proverbium teste Victore (3) apud Afros fuit, *Rex egens magnus est calumniator.* ut autem privatum quemque ditissimum compilabat, sic provincias tributis indictis exhauriebat; et caussas in dies novas, quas praetexeret, ipsa habendi cupiditas scrutabatur.

II. Forte autem in patris commentariis repererat, occupata olim esse a Leone Aug. bona quaedam annuosque reditus, qui ad Eudociam uxorem ejus pertinerent (4): negotiatores etiam quosdam Carthaginienses belli tempore a Romanis captos, pace facta domum inopes mercibus amissis rediisse. ne haec quidem Hunericus negligenda ratus, legatos Constantinopolim, qui ea repeterent, misit, et a Zenone, quo cum pax a Genserico patre sancita fuerat, tamquam ex foedere reddi postularent. verum hujusmodi legatio, quae Regi parum honorifica videbatur, et insanam ejus in summa rerum copia avaritiam prodebat, nec magnam Zenoni molestiam attulit, et Catholicis Carthaginiensibus perutilis fuit.

(1) Procop. *B. Vand. lib. I. c. 8.*
(2) Vict. *Pers. Vand. lib. II. c. 1.*
(3) *ibid. c. 1.*
(4) Malch. Rhet. *de legat. p. 95.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXVIIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum solus gessit Imp. Fl. Zeno, eoque Consule Rex Hunericus annum regni sui tertium incohavit, Catholicis non modo pacatum, sed etiam faustum. nam legati, quos Rex Constantinopolim miserat, quum laute honorificeque a Zenone accepti, mandata exposuissent, et responsa

accepissent, quae Regi satisfacere possent; in Africam jam redierant, nec soli, sed cum ipsis Zenonis quoque ac Placidiae legatus Alexander Vir Illustris, qui Catholicorum caussam apud Regem ageret, impetraretque, ut Episcopum Ecclesiae Carthaginiensi praefici pateretur. *Dedit autem licentiam*, inquit de Hunerico Victor (1), *Zenone Imperatore atque Placidia relicta Olybrii rogantibus, ut Carthaginiensis Ecclesia sibi quem vellet Episcopum ordinaret, quae jam per viginti quatuor annos tali ornamento fuerat destituta.* jus enim suum ultimo usurparat anno CCCCLIIII. quo Deogratias renunciatus fuit.

II. Iam vero ut ea res manavit in vulgus, illico in Basilicam tota Ecclesia Carthaginiensis gaudio exultans convenit. adfuit subinde a Rege missus Alexander Legatus et Notarius Vitarit, qui edictum Regis publice legeret, his scriptum verbis (2): *Iussit vobis Dominus noster dici, Quia Imp. Zenon et nobilissima Placidia per Alexandrum Virum Illustrem scripserunt, petentes, ut Ecclesia Carthaginis religionis vestrae proprium Episcopum habeat; hoc fieri praecepit, atque eis rescripsit, vel Legatis ab eis directis dici jussit, ut sicut petierunt, vobis Episcopum quem volueritis ordinetis: sub eo tenore, ut nostrae religionis Episcopi, qui apud Constantinopolim sunt, et per alias provincias Orientis, ex ejus praecepto liberum arbitrium habeant in Ecclesiis suis, quibus voluerint linguis populo tractare, et legem Christianam colere; quemadmodum vos hic vel in aliis Ecclesiis, quae in provinciis Africanis constitutae sunt, liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris Missas agere vel tractare, et quae legis vestrae sunt, quemadmodum vultis, facere. Nam si hoc circa eos non fuerit observatum, tam Episcopus, qui ordinatus fuerit, quam Clerici, sed et alii Episcopi cum Clericis suis, qui in Africanis provinciis sunt, jubebuntur inter Mauros mitti.* perlectum Edictum constat X. kal. Iulias, Episcopis etiam aliquot praesentibus, quos inter aderat ipse, qui haec refert, Victor Vitensis. et hi quidem audita Regis sanctione vehementer commoti sunt; dolum enim inesse, et Regem ex fide bona non agere, plane senserant: quare Legatum compellantes, *Si ita est*, dixerunt, *interpositis his conditionibus periculosis, haec Ecclesia Episcopum non delectatur habere. gubernet eam Christus, qui semper dignatus est gubernare.* sed nec Legatus suggestionem Episcoporum admisit, et populus, qui praesentibus ducitur, nec de futuro laborat, tanta exarsit visendi Episcopi cupiditate, ut vociferatione et clamoribus, quos sedare nemo poterat, Episcopum creari juberet.

III. Itaque impetravit denique populus, quod pervolebat: designatus Episcopus est Eugenius, vir sanctus Deoque acceptus, atque in Basilicae throno sublimis sedit, omnibus plaudentibus, sed juventute in primis laetitia gestiente, quae Episcopum Carthaginiensem numquam viderat (3).

(1) *Pers. Vand. lib. II. c. 1.*
(2) Vict. *ibid. c. 2.*
(3) Vict. *ibid. c. 2.*

Ecclesia vero in eximio Episcopo antiquae religionis exemplar nacta est: quale tunc opus erat impendente calamitate, quae Catholicos omnes in summum discrimen adduxit, ac virtutis eorum atque constantiae periculum fecit. ad quos sane confirmandos Eugenii plurimum invictus animus et summa auctoritas valuit. itaque de eo postea et de Episcopis, qui eum imitati fuerant, ad Episcopos Dardaniae scribebat Gelasius Pontifex maximus (4), *Ecce nuper Hunerico Regi Vandalicae nationis vir magnus et egregius sacerdos Eugenius Carthaginiensis Episcopus multique cum eodem Catholici sacerdotes constanter restiterunt saevienti: cunctaque extrema tolerantes hodieque persecutoribus resistere non omittunt.*

IIII. At Alexander legatione sua functus, quum jam Carthagine discederet, socios itineris Legatos Regis accepit, quos ille ad Zenonem mittebat, ut foedus cum eo renovarent, et Placidiam Eudociae uxoris suae sororem inviserent: cujus etiam caussa mandata dederat, ut de honoribus ejus commodisque inquirentes ab Augusto enixe peterent, ut splendoris dignitatisque clarissimae feminae ratio haberetur. eos vero Zenon, qui paci maxime studebat, summo cum honore laetus recepit (5), et de Placidia pollicitus, quae Rex postulabat, magnis muneribus donatos in Africam remisit.

(4) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 914.

(5) Malch. Rhet. *de legat. p.* 95.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXX.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consul processit sine collega Fl. Basilius junior. hoc Consule Hunericus anno regni quarto incohato, quum avaritiae jam et rapacitatis suae haud levia documenta dedisset, crudelitatem deinceps expromere coepit, quam protinus multorum caedibus et sanguine, ne dum exsiliis et corporum vexationibus saturavit. atque ut omnem humanitatem exuisse videretur, ab domo sua et agnatorum funeribus initium fecit. *Ipse autem*, inquit Victor (1), *qui sese jamdudum omnibus lenem ostenderat, desiderans post obitum suum filiis, quod non contigit, regnum statuere, Theodericum fratrem filiosque ejus, Gentonisque fratris nihilominus filios crudeliter coepit insequi: quorum nullum dimitteret, nisi ei mors desiderii sui voluntatem auferret.* tum sublatam ab eo narrat Theoderici uxorem, crimine imposito, ut famam quoque laederet; post eam filium natu maximum ac litteris institutum, cui primo inter Genserici nepotes regnum debebatur. et quia apud Theodericum Episcopus erat Arianus nomine Jocundus, quem Patriarcham vocabant, vir magnae auctoritatis, qui suffragio suo regnum in Theoderici domum transferre posse putaretur; hunc etiam necatum Victor tradit, neque clam, sed in foro palam, ad-

(1) *Pers. Vand. lib. II. c.* 5.

stante pro gradibus populo, et crudelissimo mortis genere: vivum enim cremari Rex jussit. quare jam Catholici quid sibi immineret mali, conjectura prospiciebant, eratque multorum judicium, *Qui in suo ita crudelis effectus est sacerdote, quando nostrae religioni vel nobis parciturus est iste?* nec illi quidem falsi sunt: sed Hunericus nondum suorum miseriis expletus erat. itaque Godagim Gentonis filium majorem cum uxore solum, ne servulo quidem aut ancilla concessis, relegavit. in exsilium item Theodericus, conjuge jam et filio amissis, nudus ejectus est: quo postea exstincto, puer ejus infans, qui supererat, et filiae geminae adolescentes in longinquas terras amandatae sunt. hinc odium ejus in nobiles quosque, atque in eos maxime, quos pater fidei ipsius commendarat, repente erupit. trucidati plurimi aut incensi: ipse Heldicus, qui sub Genserico Praepositus regni fuerat, jam senex capite abscisso interiit, uxor ejus et alia femina nomine Theucaria combustae, earumque corpora per urbem raptata, et vix vespere, Episcopis Arianis supplicantibus, humi condita. Camut Heldici frater, quum in templum eorum confugisset, vitam retinuit, sed diu sordido in loco conclusus, mox in agrum ad scrobes fodiendas relegatus est, ubi singulis mensibus semel flagellis sectus, modico pane et aqua victitaret (1).

II. Nulla jam Carthaginis regio tum erat, quae multorum caedibus funesta, fletus gemitusque non iteraret. sed Catholicos nulla etiamtum praeter pavorem ac metum clades vexabat. in ipsa autem trepidatione Eugenii Episcopi exemplo confirmabantur, qui nihil de summo illo religionis atque pietatis studio remittebat, aderat cuique consilio, cohortatione, opibus, paratus et vitam profundere suam, ut alienam servaret. miseros in primis et egentes quotidiana illius liberalitate sublevatos constat (2), Vandalis ipsis viri caritatem et beneficentiam mirantibus, qui nihil sibi seponeret, et omnia bona sua munifice largiretur. sed ea Catholicorum impunitas diuturna non fuit. illa eadem Eugenii virtus, quae barbaris quoque admirationi erat, Arianorum Episcoporum oculos perstrinxit, et fulgore suo ussit. *Coeperunt exinde*, inquit Victor, *Arianorum Episcopi invidia gravi torqueri, quotidianis, et praecipue Cyrila, eum calumniis insectantes. suggerunt Regi de illo, ut suum nequaquam sederet thronum, neque ad Dei populum verbum faceret consuetum. deinde ut quoscumque mares vel feminas in habitu barbaro incedentes in Ecclesia conspiceret, prohiberet.* haec illi quum Regi persuasissent, initium ejus cladis attulerunt, quae Ecclesiam Africanam sub Hunerico totam afflixit ac perdidit.

III. Lex Eugenio statim indicitur, ne quem ex iis, qui cum Vandalica veste procederent, in templum ad sacra et concionem admitteret. ille, qui multos eo habitu Catholicos accedere sciret; nam et Vandali erant Catholici, et ex Carthaginiensibus qui Regi apparebant, aut in aula famulabantur, barbaricum sibi cultum adhibuerant: nihil cunctatus

(1) Vict. *Pers. Vand. lib. II. c. 5.* (2) Vict. *ibid. c. 3.*

aperte et ingenue respondit, *Domus Dei omnibus patet, intrantes nullus poterit repellere.* quae quum Regi nunciata essent, quamquam dira jam in Catholicos meditabatur, Zenonis Aug. foedus et Alexandri legationem reveritus, parsit Eugenio; sed crudelem omnino poenam in eos excogitavit, qui ad Catholicorum templum Vandalico induti vestitu accessissent. *Statuit*, inquit Victor (3), *in portis Ecclesiae collocari tortores: qui videntes feminam vel masculum in specie suae gentis ambulantes, illico palis minoribus dentatis jactis in capite, crinibusque in eisdem colligatis, ac vehementius stringentes, simul cum capillis omnem pelliculam capitis auferebant. nonnulli autem, dum hoc fieret statim oculos amiserunt, alii ipso dolore defuncti sunt. mulieres vero post hanc poenam, capitibus pelle nudatis, praecone praeeunte per plateas, ad ostensionem totius civitatis ducebantur: quod sibi magis quae patiebantur, lucrum maximum computabant. quorum nos plurimos novimus, nec scimus aliquem eorum tunc, etiam poenis urgentibus, a recto itinere destitisse.* tanta porro illustrium Confessorum constantia ad alia consilia Hunericum convertit. ac primum edixit, ut qui in aula ejus Catholicam religionem sequerentur, neque annonam neque stipendia acciperent. tum ut eosdem laboribus rusticanis contereret, sub messis tempus ingenuos quosque viros ac delicatos in Uticenses agros misit, ut ardente sub sole messem peragerent. quos inter fuit, qui quum, arefacta jamdiu manu, dare se operam non posse ostenderet, ad eamque tamen vi urgeretur; ceteris pro socio Deum comprecantibus, repente sanatus est. sed levia haec, neque malis iis comparanda, quae deinde Catholicorum omnium communia fuere.

(3) *ibid. c. 4.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXI.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Signat hunc annum Consul Fl. Placidus sine collega: Hunericus annum regni quintum ordiebatur. ambiguum jam Afris Catholicis esse vix poterat, quid sibi a Rege expectandum esset, qui natura crudelis et voluntate inimicus, in domum suam atque in gentis Vandalicae principes viros plurimum saevierat, deinde Vandalos quosque Catholicos aversatus domo ejecerat, tormentis excruciaverat, corporum vexatione ac laborum asperitate perdere nisus erat. quo tamen paratiores instructioresque in certamen venirent, nee jam esset, qui sibi in posterum mitiora tempora polliceretur; sic eos Deus signis ante atque ostentis admonuit, ut quae impenderent calamitates, facile praenoscerent ae prope oculis usurparent. *Vidit quidam*, ut Victoris utar verbis (1), *Fausti Ecclesiam solito in ornatu fulgentem, cereis quoque fulgentibus,*

(1) *Pers. Vand. lib. II. c. 6.*

palliorumque velamine ac lampadibus rutilantem. et dum laetaretur candore tanti fulgoris, subito, ait, luminis illius concupiscibilis exstinctus est fulgor, ac tenebris succedentibus adversarius naribus natus est foetor: omnisque illa albatorum turba, expellentibus quibusdam Aethiopibus minata est foras, ob hoc jugiter lamentans, quod eam in claritate pristina nequaquam viderit iterum restitutam. atque haec qui viderat, idem ad Eugenium deductus narravit, Episcopis aliis praesentibus, quos inter aderat Victor, qui ea litteris consignavit. quare notum brevi plerisque fuit, Basilicarum vastitatem et Episcoporum exsilia portendi. nec multo post res eadem aliorum est visis monstrisque firmata. fuit enim e Presbyterorum collegio, qui eam ipsam Fausti Basilicam videre sibi visus refertam turbis innumerabilium populorum, mox eandem vacuam spectavit, in eamque pro hominum multitudine inductos porcorum et caprarum greges. objecta alteri est area triticea frumento necdum ventilato: qui dum ingentem illum acervum contemplaretur, turbinis irruentis sonitum audivit, excitumque pulverem improviso impetu contemplatus, paleam illico omnem ab area avectam vidit, granis tritici remanentibus: ac subinde procerum virum splendido vultu et nitida in veste fulgentem adspexit, qui grana illa, inanibus aut macilentis corruptisque rejectis, purgare coepit, eique operi tamdiu institit, dum ex tanto illo tritici cumulo exiguus acervus relinqueretur: quibus ostentis nemo significatum sibi divinitus non intellexit, durum jam fidei virtutisque experimentum instare atque periculum Catholicis omnibus, e quibus multi ab Ecclesia atque a bonorum societate defecturi viderentur.

II. Neque vero hic prodigiorum ejusmodi finis fuit: audita alii vox est e Ziquensi monte in dextram laevamque plagam clamantis, *Migrate, migrate:* alius caelo nubibus obducto ac rugiente lapides absistere vidit ingentes, qui in terram delati ardebant, et quo ferebantur, incendium excitabant. at duorum in primis Episcoporum, Paulli Siccensis et Quintiani Larensis insignes fuere visiones ac memorabiles. *Vidit,* inquit Victor, *et venerabilis Paullus Episcopus arborem usque ad caelos ramis florentibus extensam, quae etiam dilatione sua omnem paene Africam opacabat. et quum universi ejus magnitudine et speciositate gauderent, ecce subito, inquit, venit asinus violentus, qui defricans cervicem suam super robur radicum ejus, impulsu suo cum ingenti sonitu illam mirabilem arborem elisit ad terram. Sed et Quintianus honorabilis Episcopus vidit se super quemdam montem stare, de quo conspiciebat gregem innumerabilium ovium, et in medio gregis duae erant ollae nimium bullientes. aderant autem ovium occisores, qui earum carnes ollis bullientibus demergebant: et quum ita fieret, omnis illa magnitudo gregis consumpta est.*

III. Hac Deus ratione, quod et Cypriani aevo factum vidimus, tamquam classicum exorsus, Catholicos omnes armabat ad pugnam. quotidie enim haec in ore hominum erant, et quamquam non una erat

eorum interpretatio, omnes tamen fatebantur, magnam significari rerum conversionem, magnum cuique pro Catholica religione propositum esse certamen. quid ollae binae a Quintiano visae portenderent, diutius quaesitum videtur: sed postquam ira Regis erupit, et proscriptiones atque exsilia coeperunt, intellectum est, civitates duas designatas Siccensem et Larensem, in quas primum magno numero Catholici coacti sunt, ut inde in deserta loca amandarentur: vel certe ipsum Regem et Cyrilam Arianorum Episcopum significatos, quorum nutu arbitrioque tantum malorum inferebatur. ut enim in corporibus, sic in republica gravissimus est morbus, qui a capite diffunditur.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gessere Fl. Severinus, Fl. Trocundus: quibus Consulibus Hunericus annum regni sui sextum agebat. ne hoc quidem anno in omnes Catholicos aperte ac palam saevitum est. caussae enim quaerebantur, quae justae videri possent: nec ansam Catholici ad reprehendendum praebebant, cumulate officium cuique reddentes, nulli graves, immemores injuriarum. ergo domi Rex quos reliquos habebat Catholicos, iis praecipiendum duxit, ut Ariani fierent: ratus hanc sibi viam expeditissimam fore, ut crudelitatem in iis, quos oderat, suam posset expromere. *Censet primo tyrannus*, inquit Victor (1), *jussione terribili, ut nemo in ejus palatio militaret, neque publicas ageret actiones, nisi sese Arianum fecisset.* at edicto illo proposito, plerorumque invicta apparuit constantia: ingensque admodum numerus eorum fuit, qui ut fidem Deo servarunt, honore abierunt, et quae gerebant insignia remisere. ille vero triumphare, quod odium jam suum explere posset. vix sane illi domos suas se receperant, ut Deo potius inopes ignotique, quam tyranno divites spectatique famularentur, quum eos aedibus expulsos et omni substantia spoliatos in Siciliam Sardiniamve relegavit. qua in re avaritia quoque Regis crudelitati conjuncta, quae in omnium fortunas imminebat, tot domibus compilatis, non saturata, sed aucta est. itaque ad alias rapinas praedasque festinavit. edixit enim, ut tota Africa ubicumque Catholicus Episcopus defunctus esset, quidquid ille moriens reliquisset, id omne fisco adtribueretur: quicumque autem in demortui locum esset designatus, ne is ante consecrari posset, quam solidos quingentos in fiscum regium intulisset. sed ea lex Arianis Episcopis minus arrisit: qui veriti ne sodales eorum per Orientem multam eandem sufferre cogerentur, auctores Regi fuerunt, ut eam abrogaret.

II. Ac Rex quidem non invitus morem gessit, sed majus adversus Episcopos facinus aggressus est, ut aliquam denique, quam praetexeret,

(1) *Pers. Vand. lib. II. c. 7.*

caussam haberet furoris expromendi sui, quae justa et probabilis videretur. sacras ille virgines, quae Deo devotae pudorem suum religiosissime servabant, unum in locum congregari jubet: mittit eodem Vandalos suos cum obstetricibus Arianis, quae nec matribus virginum nec matrona ulla Catholica adstantibus, contra omnia verecundiae pudorisque jura, de earum virginitate pronunciarent. tum crudelia miseris tormenta adhibita, ut manibus suspensae penderent, gravi pedibus pondere illigato, admoventibus interea corpori candentes ferri laminas tortoribus easque hortantibus, ut se ab Episcopis Clericisque violatas affirmarent. cujus tum supplicii acerbitate plurimae interierunt: quae vero mortem evasere, cute, quam ignis torruerat, arescente, deorsum deflexae, quasi senecta curvae incedebant. nihil tamen Hunericus in eo, quod urgebat, profecit; quumque macula gravissima Episcopos et Clerum afficere vellet, hoc est adsequutus, ut pudicitia eorum ac sanctimonia maximo etiam et locupletissimo Martyrum testimonio celebraretur. quare quos perdere tamquam judex volebat, manifestus inimicus vexare coactus est: nec caussa, quae Martyres facit, arte ulla vel dolo celari potuit.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consul processit Anicius Faustus sine collega, eoque Consule annus regni Hunerici septimus initium duxit. eodem anno Romae mortuus est Simplicius Pontifex maximus, cui Ecclesia Romana successorem dedit Felicem, quem tertium ejus nominis appellant, qui alterum legitimo pontificatu aliquamdiu functum arbitrantur. jam vero ad aperti denique belli tempora pervenimus, quum Rex, missis ambagibus, ex omni Ecclesiae ordine primam veluti aciem quatuor millia nongentos septuaginta sex Catholicos Mauris barbaris tradi, atque in desertissimam solitudinem deportari jussit. duae designatae sunt civitates in provinciae Proconsularis finibus, Colonia Larium et Sicca Veneria, quo omnes cogerentur, quos primos exsilio multaverat, et unde eos Mauri uno agmine in deserta deducerent. quo in numero permultos fuisse senio confectos aut luminibus captos aut pedibus laborantes, auctor est Victor (1), tum spectator nobilissimi illius exercitus, et testis crudelitatis, quam Hunericus in Felicem Episcopum Abbiritanorum majorum adhibuit. erat hic non modo senex et quadragesimum quartum pontificatus sui annum agens, sed etiam resolutione nervorum adeo debilitatus atque abjectus, ut neque sentiret quidquam, neque ullo modo loqueretur. quare quum ne jumento quidem portari posset, vicem ejus miserati Comites, Vandalis ducibus suis persuaserunt, a Rege peterent, quando is non diu victurus esset, nec in exsilium perduci posset, ut eum Carthagine deponi

(1) *Pers. Vand. lib. II. c. 8.*

pateretur. at vero tyranni illud fuit responsum, *Si animali sedere non potest, jungantur boves indomiti, qui eum colligatum funibus trahendo perducant quo ego praecepi.* quae inhumani hominis jussa ne implerentur, hunc sibi laborem alternis mitissimi Confessores sumpserunt, ut senem jumento transverse impositum illigatumque ipsi itinere toto deveherent.

II. Exsules jam universi ad duas illas urbes inter se proximas pervenerant, unde simul ad exsilii locum proficisci debebant; quum duo a Rege submissi Comites illuc accessere, ut Confessorum animos tentarent, atque ad Arianam si possent haeresim sectamque traducerent. itaque obire et obvium quemque blande appellare coeperunt, nihil non a Rege sperare jubentes, quicumque consiliis suis adquievissent. sed magnanimi Confessores nec quae amiserant requirentes, nec quae impendebant aversantes, promissa respuerunt, et propositi tenaces Catholicam professionem constantissime iterarunt: *Statim*, inquit Victor (2), *illis ingenti vociferatione clamantibus et dicentibus, Christiani sumus, Catholici sumus, Trinitatem unum Deum inviolabiliter confitemur.* post haec inclusi omnes sunt, laxiori tamen custodia, ut adeundi ac divina mysteria apud eos celebrandi copia Episcopis fieret. datum etiam matribus, ut filios inviserent: quarum aliae quidem se Martyres peperisse gaudebant, ac de eorum constantia laetabantur; at aliae materno nimium amori indulgentes tristitiam praeferebant, hortari etiam filios ausae, ut fidem proderent suam, et nefario se baptismo polluendos Arianis traderent: quamquam ne unus quidem e pueris quamplurimis inventus est, qui tantillum mente aut lingua titubaret. hilares interea Confessores profectionis suae diem expectabant. sed Regi haud satis erat, si eos procul rerum omnium egentes amandaret, nisi ante fame, sordibus, squalore obruisset (3). jubet tantam multitudinem in angusta ac teterrima loca detrudi et compingi, aditu omni externis intercluso, et custodibus poenae comminatione deterritis, si negligentius se gessissent. mandata Regis Vandali conficiunt: *Iactantur*, inquit Victor, *Confessores Christi super invicem, angustia coarctante, unus super alium, ut agmina locustarum, et, ut proprie dicatur, ut grana pretiosissima frumentorum.* illic stipati conclusique, nec libero spiritu nec communi luce utebantur; aër vero crassissimus idem ac foetidus ducere animam non sinebat. quum nemo esset, qui proximo cuique solatio esse nollet, molestus tamen gravisque naturae conditione esse cogebatur; quippe nulla secedendi copia erat, et quibus primum vestigiis institerant, eadem omnes premebant: ut jam foetor ille atque horror universa poenarum genera superaret. permoti porro miseratione Catholici, qui undique ad Confessores visendos convenerant, quum Vandali custodes dormirent, a Mauris, quos grandi pecunia donarant, impetrarunt, ut pedem illuc inferrent: at vix ingressi tantum jam sordium invenere, ut tamquam in luto atque coeno ad genua usque mergerentur.

(2) *ibid. c.* 9. (3) *ibid. c.* 10.

II. Dies tandem illuxit, Dominicus is fuit, quo Mauri eos in deserta deducere jussi sunt. quales inde exierint, quo squalore obsiti, quam foedis vestibus, horret animus cogitando: sed iidem tantam in fronte, in oculis, in incessu laetitiam praeferebant, ut qui aderant et agmen eorum frequentissimi spectabant, mirati stuperent, ac prae fletu loqui vix possent. erat inter hos, inquit Victor (4), *Cyprianus Unuzibirensis Episcopus, consolator egregius, qui singulos pio et paterno fovebat affectu, non sine fluminibus lacrimarum, paratus pro fratribus animam ponere, et se ultroneum, si dimitteretur, talibus passionibus dare: qui totum quod habuit, egentibus fratribus in illa tunc necessitate expendit. quaerebat enim occasionem, qualiter Confessoribus sociaretur, ipse animo et virtute Confessor: qui postea per multos agones et squalores carceris ad exsilium, quod desiderabat, cum exsultatione perrexit.* iter interea suum procedentes peragebant Confessores, Mauris agmen stipantibus, et qua ibant, accurrentes intuebantur Catholicorum sibi bene precantium catervas: quorum etiam alii cereos accensos gestabant, alii infantes ad eorum pedes abjiciebant clamabantque, *Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquae perennis? qui nobis poenitentiae munus collaturi sunt, et reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculi soluturi? quia vobis dictum est, Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis. qui nos sollemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? aut a quibus divini sacrificii ritus exhibendus est consuetus?* haec illi et alia hujusmodi: ut et ad sequendos eos parati essent; quos Mauri repellebant, et via decedere jussos separabant. at Confessores contentius ambulare cogebantur, ut mature ad mansionem perveniretur: qui caelum spectantes canebant, *Haec est gloria omnibus sanctis ejus*, et ad caelestem se patriam contendere cogitabant. verum quia non omnium pares animo vires erant, senes jam et qui delicatiore erant corpore, defatigati deficiebant: quos barbari hastilium cuspidibus lapidibusque ad cursum incitabant, quorum ictibus prope conficiebantur.

III. Ceterum plures e Catholicis, qui submoti fuerant, vel invitis Mauris, sanctum illud agmen subsequi non destitere, quibuscum Victor ipse Vitensis, qui haec litteris mandavit, iter habebat. fuit et muliercula cum iisdem, quae mantica et vestium fasciculo onusta sequebatur, et manu puerum trahens parvulum, sic eum solari hortarique audita est: *Curre, domine meus: vides universos sanctos, quomodo pergunt et festinant hilares ad coronam?* enimvero quum eam Victor aliique increparent, quod importunum ducerent, eam pro sexu viris jungi, vel etiam, indicta poena, exercitui Christi sociari: illa respondisse fertur (5), *Benedicite, benedicite, et orate pro me, et pro isto parvulo nepote meo; quia etsi peccatrix, filia sum quondam Zuritanae civitatis Episcopi.* interrogante autem cum sociis Victore, quare ita abjecte ambularet, aut

(4) *ibid. c.* 11.

(5) *ibid. c.* 9.

quomodo tam longum iter suscepisset; respondit iterum, *Cum hoc parvulo servo vestro ad exsilium pergo, ne inveniat eum solum inimicus, et a via veritatis revocet ad mortem.* ad quae verba, inquit Victor, *repleti lacrimis nihil dicere valuimus, nisi ut voluntas Dei fieret.*

v. Iam quot dierum iter illud fuerit, non traditur. sed adeo grave multis fuisse constat, ut in media via languentes conciderent, erectique rursum prolaberentur. quid tum? incredibili crudelitate Mauris imperatur, ut quos ingredi non posse cernerent, eos colligatis pedibus tamquam cadavera supinos per aspera quaeque loca raptarent: nec mora; vinciuntur Confessoribus pedes, aptantur funes, imbecilla corpora per vepres et saxa trahuntur: laceratis illico vestimentis, scissis lateribus, fractis capitibus tota Martyrum sanguine cruentata, mox cadaveribus plena fuit via: quae Catholici, pio studio iter illud legentes, quum offendebant, suprema illis officia soluturi venerabantur, atque humi propter viam condita, aggesta terra et altis ad indicium sepulturae tumulis honorabant. *Quorum numerum*, inquit Victor (6), *nequaquam valuimus colligere, multitudine coërcente.* at vero reliqua cohors ad solitudinis denique loca pervenit: illic collocati Confessores hordeum ad vescendum, ut jumenta, accepere; et erat ea regio ejusmodi, ut scorpionibus in primis et aliis venenatis pestiferisque animantibus abundaret. adfuit tamen illis Deus, quos in famulatu suo tam fideles expertus erat, nec morsu quemquam violari ullo passus est: et quia hordeum quoque miseris, quo alebantur, postea subductum est, de thesauris ipse suis alimenta suffecit.

vI. Tot vero ex omni Ecclesiae ordine in exsilium deportatis, reliqui Episcopi cum Clero quisque suo sibi fortasse Regem jam placatum fingebant, et mitiora mox tempora adfutura sperabant. atqui Hunericus majora etiam cogitabat, et qui in perniciem Ecclesiae membra aliqua absciderat, totum jam corpus laniando perdere volebat. festus forte dies agebatur Dominicae Ascensionis, qui eo anno celebratus est xIIII. kal. Iunias: sollemnia Eugenius in Basilica obibat Clero et populo frequenti, aderatque Reginus etiam, Zenonis Aug. Legatus, qui recens publica de caussa Carthaginem advenerat. quum ecce a Rege Vnitarit, qui Edictum Eugenio perfert, cujus jam exemplum ad singulos Episcopos universae Africae per veredarios missum fuerat, hoc titulo, *Rex Hunerix Vandalorum et Alanorum universis Episcopis Omousianis:* sic enim Catholicos Ariani appellabant. accepit porro Edictum Eugenius, et corona omni metu suspensa legi jussit: *Non semel*, ajebat Rex (7), *sed saepius constat esse prohibitum, ut in sortibus Vandalorum sacerdotes vestri conventus minime celebrarent, ne sua seductione animas subverterent Christianas. quam rem spernentes plurimi, nunc reperti sunt contra interdictum Missas in sortibus Vandalorum egisse: adserentes se integram regulam Christianae ac verae fidei tenere. et quia in provinciis a Deo nobis concessis scandalum esse nolumus, ideo Dei providentia cum consensu*

(6) *ibid. c.* 12. (7) apud Vict. *ibid. c.* 13.

sanctorum Episcoporum nostrorum hoc nos statuisse cognoscite, ut ad diem kalendarum Februariarum proxime futurarum, omissa omni excusatione formidinis, omnes Carthaginem veniatis, ut de ratione fidei cum nostris venerabilibus Episcopis possitis inire conflictum, et fidem Omousianorum, quam defenditis, de divinis Scripturis proprie approbetis: quo possit agnosci, si integram fidem teneatis. hujus autem Edicti tenorem universis Episcopis tuis per universam Africam constitutis direximus. Data sub die XIIII. *kal. Iunias* (8) *anno septimo regni Hunerici.* quantum post haec silentii fuerit, quam omnium animi et vultus conciderint, vix dici potest. neque enim obscurum erat, quo jam res deductae essent; apparebatque, in Regis ore illa, *In provinciis a Deo nobis concessis scandalum esse nolumus*, non aliud esse, quam *In provinciis nostris Catholicos esse nolumus.*

VII. Vt sollemnia peracta sunt, convocat Eugenius Episcopos, quotquot Carthagine erant, quibuscum Victor quoque Vitensis adfuit, ab itinere jam reversus, quod Confessorum exsulum caussa susceperat. consulit ille collegas, quid agendum putarent. visum omnibus, remedium imminente calamitate restare nullum, nisi ut ab ipso Eugenio litterae ad Regem supplices mitterentur, quibus se quidem omnes ad conventum adfuturos sponderet, et simul ab eo peteret, ut, quia ea caussa Catholicorum omnium communis esset, transmarinos quoque Episcopos eodem convenire pateretur. libellus autem ita scriptus est, ut Notarius, qui Edictum attulerat, rogaretur, ad Regem ipse perferre ut vellet: *Quo ejus clementia,* ajebat Eugenius (9), *dignanter agnoscat, nos disputationem legis cum Dei adjutorio nullatenus declinare vel fugere; sed sine universitatis assensu nos non debere adserendae fidei nostrae caussas adsumere. quod petimus*, addebat, *ut benignitate, qua tantus est, et justitia sapientiae suae dignetur adnuere.* accepit vero Rex Eugenii responsum; sed quum jam exitium Episcopis, non conventum aut disputationem destinasset, Cubado Praeposito regni mandavit, ut haec Eugenio ipsius nomine responderet (10): *Subde mihi universum Orbem terrarum, ut sub potestate mea totus Mundus redigatur, et facio, Eugeni, quod dicis.* cui sapienter Eugenius, *Quod rationem*, inquit, *non habet, dici non debuit: sic est hoc, quomodo si dicatur homini, ut per aëra feratur et volitet, quod moris non est humanae naturae. dixi enim, si nostram fidem, quae una et vera fides est, potestas Regis agnoscere desiderat, mittat ad amicos suos: scribam et ego fratribus meis, ut veniant Coëpiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, et praecipue Ecclesia Romana, quae caput est omnium Ecclesiarum.* hic contra Cubadus, Eugenium ut carperet, *Ergo* inquit, *tu et dominus meus Rex similes estis?* sed Eugenius presse: *Ego similis Regi non sum; sed dixi, si veram cognoscere desiderat*

(8) *in edit. die* XIII. *mendose.*
(9) *ibid. c.* 4.
(10) *ibid. c.* 15.

fidem, scribat amicis suis, ut dirigant nostros Catholicos Episcopos, et ego scribo Coëpiscopis meis, quia Catholicae fidei universae una est caussa. verum ad summam quod attinet, nihil ab Eugenio impetratum; qui hoc maxime spectaverat, ut si Episcopi ex alienis provinciis advenirent, liberius ab iis Catholica doctrina defenderetur, et Ecclesiae universae testes esse possent, Africanos Episcopos, non Arianorum argumentis victos, sed vi ac tyrannide oppressos concidisse.

VIII. Haud tamen Eugenius, quod unum praestare poterat, praetermisit, ut Felicem Pontificem maximum de summo Ecclesiae Africanae discrimine certiorem faceret. nam hic sane hoc anno litteras ad Zenonem Aug. misit (11), quibus eum edocebat, quantam Hunericus cladem in Africa Catholico nomini inferret, ac simul hortabatur, ut tyrannum legatione placare, tantumque ab Ecclesia malum prohibere conaretur. cui quidem Zenon aures praebuit, et Uranium in Africam ea de caussa legavit (12): quamquam irriti conatus ejus fuerunt, et spreta ab Rege legatio est tanto contemptu, ut in oculis ejus permultos e Catholicis torqueri juberet. idem autem ante anni hujus exitum, quum non ignoraret inter Catholicos Episcopos non deesse, qui facundia et doctrina praestarent, mature operam dedit, ne ii ad conventum, quem in kalendas Februarias, quae primae futurae erant, indixerat, cum Arianorum suorum dedecore periculoque adesse possent. itaque plerosque fictis de caussis damnatos et fustibus male mulctatos in exsilium ejecit (13): e quibus cientur Donatianus, Mansuetus, Germanus, Fusculus et Praesidius provinciae Byzacenae Episcopi. edixit praeterea, ne quis cum Catholico mensae accumberet, aut cibum uspiam sumeret: quod unum Catholicis minime ingratum fuit, quorum ex animo Apostoli monitum (14) non exciderat.

(11) Evagr. *H. E. lib. III. c.* 20.
(12) Vict. *ibid. lib. V. c.* 7.
(13) Vict. *ibid. lib. II. c.* 16. v. Boll. *T. II. Sept. p.* 677.
(14) *epist.* I. *ad Corinth. c. V. n.* 11.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXIIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Theodoricus Amalus Rex Gothorum, Fl. Venantius Decius: hisque Consulibus Hunericus regni sui annum octavum incohavit, quem toti Ecclesiae funestum et magnis casibus memorabilem reddidit. sub ipsum autem anni initium ad Catholicorum animos confirmandos atque ad Arianam perfidiam retundendam Deo auctore insigne miraculum Carthagine editum est, totius civitatis testimonio certum ac manifestum. instabat dies sollemnis Epiphania, quo die mos, qui Graecorum est proprius (*), apud Afros quoque obtinebat, ut sacrum fontem Episcopus

(*) Hunc olim morem Siricius in epist. ad Himer. Tarrac. improbarat, et Paschalis tantum ac Pentecostes esse proprium edixerat.

rite lustraret, ac deinde Catechumenos salutari baptismo ablueret. erat autem in urbe caecus quidam nomine Felix, ignotus nemini. hic nocte, quae diem illum praecedebat, quum somnum caperet, admoneri se divinitus his verbis audivit (1): *Surge, vade ad servum meum Eugenium Episcopum, et dices ei, quia ego te ad illum direxi. et illa hora, qua benedicet fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, et aperientur, et videbis lumen.* sed haec Felix somnium putans contempsit. admonetur iterum, ut ad Eugenium pergat, nec tamen paret. tertium denique vocatus, et quod non obtemperasset, graviter increpitus, excitat puerum, quo duce urbem obire solebat, et ad Fausti Basilicam festinus pergit: illic non sine ingenti fletu fusis Deo precibus, Peregrinum Hypodiaconum rogat, uti se ad Episcopum deducat: habere se, quae illi secreto narret. jam hymni nocturni cani coeperant, quum caecum Eugenius admisit, et quae ferebat, accepit. ille re narrata, *Non te,* inquit, *dimittam, nisi mihi, sicut a Domino jussus es, reddideris oculos meos.* nec, quod eum Eugenius a se recedere juberet, et sontem se diceret, atque ob crimina sua in ea tempora servatum, iterare ille destitit quod petierat, aut genua ejus, quae tenebat, dimisit. quare Eugenius fiduciam hominis miratus, quum ritus peragendi urgeret necessitas, cum eo recta, comitante officio Clericorum, pergit ad fontem. illic vir sanctus multo cum gemitu supplicat Deo, et quae ritualibus praescripta libris erant, de more absolvit. inde caecum appellans, *Jam tibi,* inquit, *dixi frater Felix, peccator homo ego sum: sed qui te visitare dignatus est, praestet tibi Dominus secundum fidem tuam, et aperiat oculos tuos;* ac simul oculos ejus vexillo Crucis consignavit. Felix vero, quod Deus spoponderat, visum dicto citius recepit. at tum Eugenius laetitia gestientem subsistere jussit, dum ii accederent, qui sacro baptismo tingendi erant: cavere enim voluit, ne populus miraculo excitus sollemnia turbaret, ipsumque Felicem visendi studio ingruens obrueret. ceterum ritu vixdum peracto, toti jam Ecclesiae manifesta res fuit. procedit Felix ad altare cum Eugenio gratias Deo acturus, et donarium de more dicaturus, quod Episcopus de manibus ejus acceptum altari imposuit. quibus vero haec spectans gaudiis populus exultaverit, quanta omnium voluptas, hilaritas, laetitia fuerit, nemo explicare dicendo possit. triumphus enim ille erat Catholicae Ecclesiae, et divinum de ejus doctrina judicium, quo uno maxime admoniti Ariani errorem suum exsuere debuissent. sed jam ad prodigia ipsa obduruerant, ut quae alios religione complerent, eos ad furorem potius et perfidiam incitarent. *Statim,* inquit Victor (2), *nuncius pergit ad tyrannum. rapitur Felix, inquiritur ab eo, quid factum sit, qualiterque receperit lumen. dicit ille ex ordine totum: dicuntque Arianorum Episcopi, hoc Eugenius per maleficia fecit. et quia oppressi confusione lumen non poterant nubilare, eo quod Felix universae civitati manifestus esset et notus;*

(1) Vict. *ibid. lib. II. c.* 17. (2) *ibid. lib. II. c.* 17.

tamen volebant eum, si fas esset, necare, quemadmodum Judaei suscitatum Lazarum cupiebant occidere.

II. Interea kalendae Februariae adventabant, quem diem Rex conventui Episcoporum celebrando destinaverat; jamque Carthaginem Catholici Antistites magno numero se contulerant, et ex ipsis insulis, quae tum Vandalis parebant, multi item Episcopi adveniebant, moesti omnes ac tristes, animo jam praesagiente, quem ad exitum vocarentur. accidit autem XVIIII. kal. Febr. ut ingens eclipsis esset, et Sole diu obscurato, tenebrae matutino tempore oborirentur: quae res ostento fuit, et Ecclesiae exitium portendere visa est (3). at Rex consilia sua silentio dissimulabat; clam tamen de Episcopis rursum inquirebat, qui doctiores haberentur, appositisque calumniatoribus, qui nomen deferrent, probatissimum quemque duci jubebat in carcerem, ubi post diuturnum squalorem necaretur. imminutis hoc pacto Catholicorum praesidiis, illud quoque necessarium ei visum est, ut insigni aliquo facto omnium animos percelleret, et quos fortes constantesque norat, terrore labefactaret. erat in vinculis praeter alios Laetus Episcopus Neptitanus, vir non modo doctissimus sed etiam strenuus: hunc potissimum palam neci destinat, et crudelissimo mortis genere damnat. nam Martyr ille fortissimus spectante populo vivus crematus est. post tale facinus Catholici Episcopi ad disputationem cum Arianis convenire jubentur, in eum nempe locum, quem isti delegerant. adsunt, quotquot supplicia et carcerem effugerant, prope quingenti; sed ea omnes modestia, ut queri Ariani non possent, multitudine se et clamoribus esse superatos: eligunt ex omni numero decem, qui Actores essent, et collegarum nomine responderent, ac initium unde fieret, stantes expectant. jam vero Cyrila Arianorum antesignanus thronum sibi constituerat excelsum atque magnificum, quasi judex, non disputator adesset. rem mirati Catholici, quam id parum deceret, paucis ostenderunt, simulque rogarunt, quo Cognitore disputatio habenda esset? cui mandata cura foret, ut quae utrinque dicerentur, examinaret, deque iis sententiam ex aequo ferret? quum haec paullo diligentius urgerent, Notarius Regis responsum redditurus, sic coepit: *Patriarcha Cyrila dixit:* id vero aures Catholicorum ferre non potuerunt; itaque superbum titulum et apud Afros inauditum detestati, *Legatur,* dixere, *nobis quo concedente istud sibi nomen Cyrila adsumpsit.* Ariani contra obstrepere, indignari, calumniari, nec ullo modo pati, ut populus Catholicus adsisteret, quem satellites Cyrilae, nequicquam deprecantibus Episcopis nostris, male mulctatos fustibus exegerunt. quae dum intueretur Eugenius, clamavit (4), *Videat Deus vim quam patimur, cognoscat afflictionem et persequutionem, quam a persequutoribus sustinemus.* missa porro controversia de Patriarchae appellatione, Actores Catholici dixere Cyrilae, *Propone quod disponis.* quibus ille, *Nescio,* inquit, *Latine:* hi contra mendacium non ferentes, *Semper,* reposuere, *te Latine esse*

(3) Greg. Tur. *H. Fr. lib. I. c. 3.* (4) Vict. *Pers. Vand. lib. III. toto.*

loquutum manifesto novimus: modo excusari non debes; praesertim quia tu hujus rei incendium suscitasti. sed Cyrila, qui paratiores Catholicos videret, quam putarat, cavillari et caussis caussas nectere numquam destitit, ut certamen illud periculumque declinaret.

III. Ergo Catholici, qui jam, conjectura ex haereticorum moribus ducta, quid facturi essent, praeviderant, ac propterea Professionis suae formulam diligenter perscripserant; postquam frustra in illo conventu tempus teri cognoverunt, hanc demum, ut constaret, quid ipsi sentirent, Arianis exhibuere; in qua Catholicam de Deo Filio doctrinam complexi, divinarum litterarum testimoniis haeresim refutabant, et ipsum Trinitatis augustae mysterium luculenter exponebant (5). post quae hoc subjectum erat: *Haec est fides nostra Evangelicis et Apostolicis traditionibus atque auctoritate firmata, et omnium, quae in Mundo sunt Catholicorum Ecclesiarum societate fundata, in qua nos per gratiam Dei omnipotentis permanere usque ad finem vitae hujus confidimus et speramus.* non modo autem tota Professionis formula in conventu perlecta est, sed etiam quatuor Episcopi libellum eodem exemplo ad Regem perferre jussi, Januarius Zattarensis et Villaticus a Casis Medianis, ambo Numidici, Bonifacius Foratianensis et Bonifacius Gratianensis, qui e provincia Byzacena erant. sed Ariani Episcopi locum omnem veritati praecluserant, et illud etiam gravissime ferebant, quod se nostri Catholicos dicerent. quare nulla nostrorum ratione habita, magno fremitu ac tumultu discedunt, Regemque adeunt: tum coram multa in Catholicos mentiti, ac de eorum turbis questi, Regem dictis incendunt, ut quae jam statuerat, festinanter perficeret. neque huic diu conctandum erat: edictum enim apud se habebat perscriptum, in quo, leges imitatus veterum Imperatorum, qui Donatistas ceterosque haereticos gravibus poenis coërcendos duxerant, paria atque etiam graviora in Catholicos constituerat. extemplo in omnes provincias Africae Edicti illius exempla mittit, ut ubique eodem die (6) templa Catholicorum omnia clauderentur, et bona Ecclesiarum et quidquid Episcoporum proprium fuisset, in Arianorum potestatem mancipiumque transirent. praescriptus autem dies fuisse videtur VI. kal. Martias: nam eo die Edictum Carthagine promulgatum est, quod ad nos usque Victoris diligentia servatum pervenit. hujus summa erat, triumphalis majestatis et regiae esse virtutis, mala in auctores consilia retorquere; seque propterea nutum divini judicii sequutum, mala iis rependere qui meruissent, ac severitatem denique in eos expromere, qui et patris leges et suas contempsissent. indultum jam satis Omousianis, si resipiscere voluissent: permissumque iis esse, ut Carthagine in conventu coram Episcopis suis caussam probarent, quam tuebantur, aut certe sententiae accederent, quam Pontifices amplius mille in Concilio Ariminensi vel apud Seleuciam sequuti fuerant. at illos contra pertinaces obstitisse, et seditionem populo concitato molitos esse, idque bis ausos, clamoribus etiam et turbis effe-

(5) *idem ibid.*

(6) *idem ibid. lib. III. c. I.*

cisse, ut disputatio numquam haberi posset. quamobrem se ab iis provocatum statuere, ut templa eorum tamdiu clausa essent, dum pertinacia desisterent: placere item, ut eae in illos leges valerent, quas olim, inductis in errorem Imperatoribus, contra adversarios suos promulgandas curaverant, ne coetus scilicet clandestinos celebrare uspiam possent, neve aedem sacram ullo in angulo haberent; ut Episcopi creandi aut quemquam in Clerum adlegendi jus nullum esset; iisdem nec testamentum facere, nec hereditatem adire liceret, donata, aut legata ne quis caperet: codices sacerdotum universi flammis traderentur, poena in omnes constituta esset, qui quemquam ex illis foverent celarentque, et quo major dignitas horum fuisset, eo gravius mulctarentur. se tamen his legibus ante kalendas Iunias, quae primae futurae essent, neminem eorum obligatum velle, qui errorem abjecisset: post eas nullam dignitatem cuiquam suffragaturam, ne poenam subiret, quam meritus esset. extrema Edicti verba haec erant: *Veris autem majestatis divinae cultoribus, id est sacerdotibus nostris Ecclesias universas vel totius cleri nominis supradicti, quibuscumque terris et regionibus constitutas, quae, propitia divinitate, imperii nostri regimine possidentur, una cum rebus, quae ad easdem pertinent, hoc decreto statuimus debere proficere, non dubitantes plus alimoniae inopum proficere, quod sacrosanctis Pontificibus juste collatum est.*

IIII. Haec igitur lex, quam Hunericus *e fonte justitiae profluentem* dicere ausus est, Carthagine eo, quo diximus, die proposita, et eodem pariter die in omnibus civitatibus Africae edita, finem quodammodo Catholicae Ecclesiae attulisse ubique videbatur: sed nusquam tetrius spectaculum, nusquam miserabilior Ecclesiae adspectus, quam Carthagine fuit. primum Episcopi, quibus jam omnis substantia cum Ecclesiis adempta fuerat, viatico spoliati sunt, et non modo ex hospitiis, sed etiam ex urbe ejecti, sine servo, sine jumento, nec aliis cum vestibus, quam quibus induti erant. tum imperatum, ne quis eos peregre hospitio acciperet, aut alimenta praeberet; qui hoc praestitisset, ut is cum universa domo sua incendio cremaretur. ergo extra Carthaginis muros sub dio miseri perstabant, non ausi longius discedere, ne disputationem effugisse dicerentur. forte autem accidit, ut Rex ad piscinas exiret: quem illi procul conspicati, uno agmine occurrentes sic adloqui coeperunt (7): *Vt quid taliter affligimur? pro quibus malis forte commissis ista perpetimur? si ad disputationem congregati sumus, quare exspoliamur, quare traducimur, quare differimur; et sine Ecclesiis et domibus nostris foras civitatem fame et nuditate laborantes mediis stercoribus volutamur?* quos ille quum torvis oculis adspexisset, equites, quibus stipabatur, laxatis equorum habenis in eos irruere jussit, ut impetu ipso alios protererent, alios dissiparent: quorum incursum senes plerique et infirmi, tardo gradu refugientes, contriti sunt. verum propediem praeceptum omnibus est, ut in locum, qui antiquitus Aedes

(7) Vict. *ibid. lib. IIII. c. 4.*

Memoriae vocabatur, convenirent. parent illi, nescii, quam in fraudem deferrentur. quum jam omnes adessent, charta eis ostenditur involuta, doloseque dicitur: *Dominus noster Rex Hunericus, licet doleat, quod fueritis contemptores, et adhuc ejus voluntati obedire tardetis, ut ejus efficiamini religionis, cujus est ipse; nunc tamen bonum de vobis cogitavit. si juraveritis ita, ut quod ista charta continet faciatis, dimittet vos Ecclesiis et domibus vestris.* at vero Episcopi dignam eorum constantia confessionem iterantes una voce clamarunt, *Semper dicimus et diximus, et dicturi sumus, Christiani sumus, Episcopi sumus, Apostolicam fidem unam et veram tenemus.* inde, quum silentium consequutum esset, administri Regis rursum instare coeperunt, ut sacramentum denique ab Episcopis extorquerent: quos pro omnibus Episcopi duo Hortulanus et Florentianus adloquentes, *Numquid*, dixere, *animalia nos irrationabilia sumus, ut nescientes quid charta contineat, facile aut temere juremus?* hoc autem responso perculsi, explicavere tandem, quid in ea charta scriptum esset, atque ab Episcopis sacramentum hujusmodi postularunt: *Iurate, si post obitum Domini nostri Regis, ejus filium Hilderich desideretis esse Regem, vel si nullus vestrum ad regiones transmarinas epistolas diriget: quia si sacramentum hujus rei dederitis, restituet vos Ecclesiis vestris.* quid tum facerent homines minime suspiciosi, qui dolum non praesensissent? divisae sententiae sunt: multi sibi jurandum censuerunt, ne postea exsisteret Catholicorum querela exprobrantium, Ecclesias sacerdotum culpa, qui jurare noluissent, non esse restitutas. alii Evangelicum illud cogitantes, *Ego autem dico vobis, non jurare· omnino* (8), se jurare nolle responderunt. post haec secedere jussi qui jusjurandum Regi daturi erant, Notariis nomina eorum et civitatem ac verba cujusque excipientibus. tum ceteri eodem modo vocati, ac deinde custodes utrique parti appositi sunt. expectabant omnes, quem ea res finem esset habitura. at quam decepta eorum expectatio est, qui sibi fausta pollicebantur! adsunt a Rege qui jurantibus sententiam pronunciant hujusmodi (9): *Quia contra praeceptum Evangelii jurare voluistis, jussit Rex, ut civitates atque Ecclesias vestras numquam videatis, sed relegati, colonatus jure ad excolendum agros accipiatis: ita tamen, ut non psallatis, neque oretis, aut ad legendum codicem in manibus gestetis: non baptizetis neque ordinetis, aut aliquem reconciliare praesumatis.* tum ad eos transgressi, qui jurare noluerant, edicunt, *Quia regnum filii Domini nostri non optatis, idcirco jurare noluistis: ob quam caussam jussi estis in Corsicanam insulam relegari, ut ligna profutura navibus Dominicis incidatis.*

v. Hunc habuit exitum praeclarus ille conventus ab Hunerico indictus, ut Catholici Episcopi de ratione fidei, ut ipse ajebat, cum Episcopis Arianis conflictum inire possent (10). loca subinde exsiliis definita: Euge-

(8) Matth. *c. v. v.* 34.
(9) Vict. *ibid. lib. III. c.* 5.
(10) Vict. *Pers. Vand. lib. II. c.* 13.

nius Tamallenem (11) relegatus, quae urbs in provincia Byzacena extrema erat, ubi regio deserta patebat: aliis aliae adsignatae plagae, et jussi quidam in agro subsistere prope oppida, in quibus sedem habuerant, ut ipse veteris Ecclesiae adspectus dolorem animi augeret. hi omnes fuere numero CCCII. quos Rex in Africa exsulare passus videtur praemii loco, quod se Hilderici filii regno fauturos jurejurando confirmassent. in Corsicam deportati sunt XXXXVI. quot nempe jurare noluerant, qui ferre omnes ex provincia Proconsulari erant. fugisse autem dicuntur XXVIII. periisse LXXXVIII. quorum pars tum desiderata videtur, quum Carthagine ejecti ne tectum quidem habuere, quo se reciperent, vel quum equites ab Hunerico in eos immissi sunt. erant igitur qui Carthaginem convenerant quadringenti sexaginta quatuor, non utique omnes quos tum Ecclesia Africana Episcopos suos numerabat: nam permultos alios anno superiore, Regis jussu, in solitudinem Mauri abduxerant: tum ex eo numero octo ad insulas pertinebant, unde Carthaginem Rex evocarat. ex omnibus autem unus Martyr cietur, Laetus scilicet Neptitanus, de cujus martyrio superius actum est: et unus item Confessor, id est Domninus Moxoritanus ad metalla damnatus, quamquam ea appellatione digni omnes fuerunt, quum fidei Deo servandae caussa non modo substantiam omnem et omnia vitae commoda, sed ipsam quoque vitam contempsisse videamus: quos inter primus, ut dignitate, sic exemplo Eugenius fuit, cujus etiam scriptis Ecclesiae Catholicae caussa defensa fuerat. atque hic idem, inquit Gennadius (12), *Jam asportandus pro fidelis linguae remuneratione in exsilium, epistolas velut commonitorias fidei et unius sacri et conservandi baptismatis ovibus suis quasi pastor sollicitus dereliquit. Altercationes quoque, quas cum Arianorum praesulibus per internuncios habuit, conscripsit, et relegandas per Majorem domus Hunerico transmisit: similiter et Preces pro quiete Christianorum eidem velut apologias obtulit.*

VI. Verum quid tum tyranni crudelissimi furorem coërcere posset, qui Catholicum nomen in Africa delere constituerat? nondum Episcopi Carthagine exacti fuerant, quum tortores carnificesque in omnes provincias misit, qui oppida ubique et domos singulas caedibus et sanguine funestarent (13). atque hi non aetati, non sexui parcere jussi, ut in Arianam haeresim omnes pertraherent. itaque brevi tempore multi passim fustibus interempti, alii suspendio necati, alii flammis combusti insigne martyrium consummaverunt. mulieres etiam, et nobiles potissimum, in publico nudatae excruciataeque: quas inter Victor Dionysiam conterraneam suam celebrat, quae flagellis caesa, quum sanguine manaret, carnifices invicta reprehendebat, cives cohortabatur, filium Majoricum confirmabat: cujus item ea fuit in certamine et confessione constantia, ut verberibus necatus vitam profunderet:, plaudente Martyri inter supplicia matre,

(11) *Notit. prov. et civit. Afr. n* I. *II. Fr. lib. II. c.* 2.
(12) *de vir. illustr. c.* 97. v. *et* Greg. Tur. *V. III.*
(13) Vict. *Pers. Vand. lib. V. c.* I.

quae filium deinde laeta manibus suis tumulavit. nec minus tormenta ibidem adhibita Dativae sorori Dionysiae, et Leontiae filiae Germani Episcopi Peradae, et Aemilio medico, et Tertio Confessori, qui provinciam Byzacenam illustrarunt. provincias subinde alias percurrit Victor, ac multis in civitatibus vestigia passim designat nobilium martyriorum. nam Sicilibbae in Proconsulari evisceratum memorat Bonifacium Episcopum; quem ante conventum Carthaginiensem jam in vincula conjectum apparet: neque enim in albo collegarum, qui exsilio multati sunt, recensetur. apud Tuburbitanos majores fustibus caesum et trochleis suspensum describit virum nobilissimum Servum nomine, quem carnifices quum in sublime sustulissent, laxatis repente funibus, praecipitem in aream silicibus stratam dimittebant. civitatis Culusitanae in eadem provincia Martyres et Confessores innumerabiles fuisse affirmat: sed Victoriam in primis extollit spectatam matronam, quae non tortores solum adversarios habuit, sed virum etiam et filios parvulos, quorum tamen fletum et lacrimas eodem animo quo tormenta, contempsit. huic praeclaram mortem adnectit Victoriani, civis quidem Adrumetini, sed qui Carthagine Proconsulis munere fungebatur, id est caussas, opinor, judex cognoscebat: in quo non modo divitiarum ac dignitatum contemptus eluxit, sed etiam in adeunda morte libertas maxima, atque in cruciatibus perferendis patientia singularis quodammodo triumphavit. redit rursus Victor in Byzacenam suam, et Tambajenses Martyres commendat, ac simul fratres duos ab Aquis Regiis, qui dura ibidem et crudelia passi, tanta constantia fuerunt, ut tortores ipsos delassarent. hinc in Mauretaniam Caesariensem transgressus, eximia quaedam de Tipasensibus civibus praedicat. fama illuc pertulerat, notarium quemdam Cirilae factum Episcopum Tipasam mitti, qui eam civitatem Ariana haeresi constituta administraret. cives vero re cognita, quotquot naves invenire potuerunt, conclamatis militari more vasis, in proximum Hispaniae littus transfretavere, voluntario exsilio suscepto, ne Catholicam religionem deserere cogerentur. sed quia ea navium copia non fuerat, quae omnes simul posset transmittere, Episcopus Arianus maturato itinere reperit nonnullos, qui nondum solverant. hos primum blandimentis corrumpere conatus est: quum nihil proficeret, dira omnia minari coepit, ni Regi obsequuti Arianam haeresim amplecterentur. illi vero Deo egregie fideles non modo insaniam hominis irriserunt, sed etiam unam in domum congregati divina mysteria veteri more celebrare numquam destitere. ergo Episcopus quid consilii caperet nescius, mittit clam ad Regem, qui rem exponat, et mandata recipiat. mirum, quanto incendio ira Regis exarserit. Comitem cum magna militum manu Tipasam proficisci jubet, illuc provincia advocata, cives illos Tipasenses medium in forum congregare, et singulis manum dexteram praecidere, ac linguam radicitus evellere. paruit tyranno Comes barbarus, nec de Tipasensibus civibus inventus est, qui non libentius et manum et linguam amitteret, quam fidem suam. tum

vero prodigium illud exstitit maximum ac multorum litteris celebratum, ut quibus avulsa lingua fuerat, iidem sine ulla offensione, commode ut antea loquerentur, et ex his etiam unus ab ipso ortu mutus, qui, ait Marcellinus (14), *Quod sine humano auditu Christo credens fide didicerat, mox praecisa sibi lingua loquutus est, gloriamque Deo in primo vocis suae exordio dedit.* idem porro multos ex eo numero a se Constantinopoli visos testatur, qua item in urbe eos obiisse Victor Tonnonensis (15) auctor est. Victor vero Vitensis quadriennio post in ea urbe viventem commemorat Hypodiaconum Reparatum, quem honoris caussa Ariadna Augusta apud se habebat atque impense venerabatur (16).

VII. Bonam jam anni partem Hunericus in Catholicorum carnificina exegerat, in Vandalos ipsos crudelissimus, quotquot ad Catholicam Ecclesiam accessisse cognoverat: cujus crudelitatis multa post eum quoque Carthagine monumenta manebant, ubi *alios*, inquit Victor (17), *sine manibus, alios sine oculis, alios absque pedibus, alios truncos naribus auribusque intendas, aliosque videas nimio suspendio spatulis evulsis, caput, quod eminere solebat, in medio scapularum fuisse demersum.* interea ab Zenone Augusto Legatus adfuit Vranius, qui se ad Catholicarum Ecclesiarum defensionem missum profitebatur. hunc Rex quum admissurus esset, viam totam, qua ille ad Regiam venturus erat, tortoribus, quos habebat immanissimos, implevit, eisque Catholicos passim excruciandos dedit, ut eo spectaculo ediscere Legatus posset, quam parum vel legatione ejus vel Zenonis auctoritate commoveretur. eodem tempore Dagila Curatoris Regii uxor, matrona nobilis ac delicata, primum flagellis ac fustibus proscissa, deinde in exsilium acta, ubi nec victus copia nec hospitis solatium esset: quae tanta virtute fuit, ut oblatum postea mitioris exsilii locum non praeoptaret. tum et in reliquum Carthaginis Clerum saevitum est. neque enim patria tantum omnis ordo cum pueris ipsis Lectoribus ejectus, sed singuli ante profectionem torti verberatique, poenas eorum moderante Elpidephoro Apostata sceleratissimo: contra quem insignis fuit Murittae Diaconi objurgatio, qui eum sacro e fonte ablutum susceperat. nam quum, Presbyteris jam et Salutari Archidiacono in servorum morem flagro caesis, ipse ad supplicium citatus succederet, seque ad plagas exueret, sabana gestare se ostendit, lintea scilicet, quibus Elpidephorum a baptismo texerat, ac simul in eum invectus, *Haec sunt*, inquit (18), *linteamina, Elpidephore minister erroris, quae te accusabunt, quum majestas venerit judicantis. custodientur diligentia mea ad testimonium tuae perditionis, ad demergendum te in abyssum putei sulphurantis. haec te, infelix, immaculatum cinxerunt de fonte surgentem: haec te, miserrime, acrius persequentur, flammantem gehennam quum coeperis possidere:* et quae deinceps. enimvero post fustuarium variosque cruciatus,

(14) *in Chron. ad hunc an.*
(15) *in Chron.* apud Scalig. *p.* 4.
(16) Vict. *Pers. Vand. lib. v. c.* 6.
(17) *idem ibid. c.* 7.
(18) *idem ibid. c.* 9.

uno agmine alacres in exsilium pergebant Carthaginienses Clerici omnes, secum in mantica portantes, si quid piorum liberalitas suffecerat, unde longo in itinere alerentur. tanta autem Arianorum Episcoporum inhumanitas fuit, ut rapaces homines submitterent, qui a miseris viaticum quoque auferrent. laeti tamen progrediebantur, duobus eos cum matre Vandalis comitantibus, qui jam sub Genserico iteratis confessionibus inclaruerant; quum eos acerbior rursum perculit casus (19). nam Apostata altero auctore, cui Theucario nomen fuit, pueri duodecim Lectores, quod vocalissimi haberentur, et voci atque cantui sub Theucario olim operam dedissent, abducti ab eo agmine sunt, et Carthaginem redire coacti, multum flentes ac repugnantes, quod socios sequi non liceret. sed qui eos a Confessoribus segregare potuerunt, non item effecere, ut inde animus quoque et voluntas divideretur. non blanditiis, non minis, non flagellis victi, Arianam perfidiam constantissime respuerunt: mansitque ille inviolatus puerorum chorus ad multos annos, Carthaginiensibus venerabilis semper visus, ac prope Apostolorum collegio comparandus: ut simul degerent et vescerentur et psallerent, Deo addicti et Catholicae Ecclesiae, cui se a pueritia devoverant.

VIII. Iam Clero exacto quievisse Hunericum, aut Arianos leniora cogitasse ne credas. quin imo ad caedes iterum et supplicia redierunt. ac primum negotiatores duo, nomen utrique Frumentio fuit, in eadem urbe necati, qui egregium ambo martyrium fecisse dicuntur: tum Ariano furore impetus in sanctissimos Monachos factus est. dudum quidem monasteria universa et virorum et feminarum, quae ab aevo Augustini non pauca per omnes provincias constituta fuerant, Rex Mauris condonaverat: Monachi vero partim in exsilium pulsi cum Clericis fuerant, partim ipsi alio profugerant, partim errabant etiamtum, parati fidem suam vel sanguine obsignare, si forte in tyranni manus incidissent. enimvero ex iis septem apprehensi fuerant, qui diu prope Capsam Byzacenam in monasterio vitam traduxerant, et Vindemialem Capsensem Episcopum magno omnium bono summum moderatorem habuerant. ac tres quidem e Clero erant, Bonifacius Diaconus (20), Servus Hypodiaconus, itemque Rusticus, reliqui quatuor nullo ordine, Liberatus, qui et Abbas erat, Rogatus, Septimus, Maximus. his, ut Carthaginem adducti sunt, amicitia Regis illico proposita, promissi honores, spes facta divitiarum, siquidem se Arianorum lavacro tingi passi essent. quae illi non modo singulari consensu spreverunt, sed etiam cruciatibus ipsis deteriora sibi videri praeclara confessione declararunt. *Vnus*, clamavere, *Dominus, una fides, unum baptisma: nec poterit in nobis, adjuvante Domino, iterari, quod in sancto Evangelio semel praeceptum est dari: qui semel lotus est, non habet necesse iterum lavari, quia mundus est totus. facite quod vultis, inferte poenas corporibus nostris. melius est temporalia ad mo-*

(19) *idem ibid. c.* 10. *Aug. p.* 454.
(20) Vict. *in Act. eor. n.* 3. v. Boll. *T. III.*

dicum sufferre supplicia, quam aeterna pendere et subire tormenta. habete quae promittitis, cum ipsis divitiis post paullo perituri. nobis vero nullus de postibus frontium valebit evellere, quod in uno baptismate artifex Trinitas dignata est titulare. ergo in carcerem detrusi Confessores sunt abditum et tenebricosum, eatenis insuper onerati, ne in quiete solatium esset: ad quos tamen, pretio custodibus dato, aditus saepe Catholicis patuit, qui quantum eis levamenti afferebant, tantundem ipsi roboris ad religionem retinendam ex eorum colloquiis adsumebant. rescivit haec Hunericus, et Confessores, inauditis suppliciis diu cruciatos, neci destinavit. navem expediri et aridis lignorum ac sarmentorum manipulis impleri jubet: utque ea res vulgata fuit, populus undique spectatum confluxit, quo tandem apparatus ille recideret. adducuntur ad mare fortes commilitones, impositique navi, manus pedesque colligandos trabibus praebent. ignis jam congestae materiae subjicitur, ut flammis illi absumantur. mirantibus omnibus ignem tanta illa lignorum aridorum congeries non concipit: novo iterum atque iterum ignis alitur pastu, nec tamen rogus incenditur, aut emicat flamma. fremebat Rex, nec jam populum irridentem ferre poterat. itaque praecipit, ut capita Martyrum remis tunsa comminuantur: sic felicissimae illae animae ad praemia caelestia avolarunt. corpora navis relicta ventis brevi ad littus reduxit: quae deinde in Monasterio Biguae composita sunt prope Basilicam Celerinae.

VIIII. Haec Iulio mense ineunte Carthago viderat. at praemissi alio Episcopi Ariani, longinquis in urbibus non minora patrabant. duo in primis sanctissimi Antistites in exsilio suo dire ab Antonio Ariano vexati, Eugenius Carthaginiensis et Habetdeus Tamallumensis. nam ille quidem Tamallene exsulans tam arcta ab eo custodia cinctus est, ut nemo, ne salutandi quidem caussa admitteretur. quum autem vir sanctus in illis aerumnis, quas ipse etiam, cilicii asperitate senile atterens corpus, et nudam super humum cubitans, non parum augebat, paralysi tentari coepisset, satelles ille Hunericianus, tamquam bonus medicus, aeris aceti poculum venerabili seni in os ingeri jussit, unde, quod ille exoptarat, vis morbi crevit exarsitque; quae tamen postea divinitus exstincta est. nec vero eundem Habetdeus, qui in eo tractu exsulabat, minus sensit infestum. nam Antonius apud suos saepe gloriatus fuerat, brevi Habetdeum sua opera Arianum fore. quum autem variis eum dolis insectatus operam perdidisset, sanctissimum virum stipatus ministris furoris sui improviso aggreditur, manus pedesque ejus vinciri jubet, et os occludi, ne clamare posset: tum ipse corpus adspergit aqua, velut si baptismo iterato Arianum faceret. vinculis exinde liberat, fratrem appellat, gratulatur partam felicitatem. cui Habetdeus, *Illa est*, inquit (21), *impie Antoni, mortis damnatio, ubi voluntatis tenetur assensio. ego fidei meae tenax, vocibus confitens crebris, quod credo et credidi, clamando defendi. sed et postea quam catenis vinxisti,*

(21) Vict. *Pers. Vand. lib. v. c.* 12.

et oris januam oppilasti, in praetorio cordis violentiae meae, subscribentibus Angelis, gesta confeci, et lectitanda Imperatori meo transmisi. post haec vir magnanimus, ne falsis Arianorum rumoribus Catholico nomini nota inureretur, Carthaginem redire ausus, ipsum Regem convenit, et professionis suae libellum ingessit, quo Hunericum sic incessebat (22): *Quid quaeso jam cum projectis habetis? quid cum eis, quos exsilio relegastis, quotidie dimicatis? abstulistis substantias, Ecclesiis, patria, domibusque privastis. sola anima remansit, quam captivare contenditis ..... liceat saltem gaudere consortio bestiarum eis, quos abjecistis a facie omnium populorum.* similia vero coram dicere aggressus, tyrannum ita perculit, ut eum ad Episcopos remitteret: qui tamen Regi prope imperitantes nihil de furore suo imminuerunt. ipsa itinera a Vandalis obsessa erant, qui commeantes ad Episcopos deducerent, ut eorum baptismo pollueréntur: alii domos ingressi, quos aegros in lectulis cubantes invenissent, invitos ac repugnantes abluebant, et suis jam sacris addictos jactabant. infantes ipsi parentibus eripiebantur, ut par injuria innocentibus inferretur: parentes vero, qui facinus prohibere vellent, in carcerem aut in exsilium mittebantur. tanta porro Catholicorum vexatio tot urbibus, tot domibus funesta, quum non omnes virtuti suae fiderent, et quos viderant aliorum cruciatus cogitantes exhorrescerent, multos fuga sibi consulere coëgit: qui desertis in locis abditi, aut in speluncis, conscio nemine, delitescentes, quia cibi copia deerat, fame interierunt: quod postea, cadaveribus eorum repertis, cognitum est. alii vero multo miseriores partim metu victi, partim Arianorum blanditiis promissisque decepti, tot Martyrum et Confessorum exempla obliti, in hostium castra miseri transfugerunt.

x. Sed jam Deus Ecclesiae suae delectu habitu, iisque rejectis, quos bonorum societate indignos diu ad rectum tramitem frustra revocaverat; finem denique malorum tantorum anno ipso vertente afferebat. pluvias primum Africae ademerat, ac messis ne esset effecerat. inde fames dira Vandalos oppressit, ut non jumentis solum, sed viris etiam alimenta nequicquam quaererentur. servos domini dimittere coacti sunt, ut sibi ipsi victum compararent: pulsi etiam Carthagine sunt, qui eo ex agris conveniebant, ne fame interirent. mox tetrior calamitas facta funeribus plurimorum, qui per vias deficientes passim concidebant, et crebra incolarum fuga, oppida vacua relinquentium, quae diu postea sine habitatoribus fuere. quare per id tempus accidisse dixerim, ut illa barbarorum colluvies ex Africa in Sardiniam transmearet, quos Barbaricinos appellatos accepimus, et (23) Christianis diu infensos fuisse, proditum est. at inter haec aliquando funestus ipse auctor cladium tantarum, machinatorque omnium scelerum, ipse vastator Ecclesiae, pernicies Africae, hostis ac praedo templorum et domorum, quum octavum regni sui annum nondum explevisset, et longius sibi aevum ad novas caedes

(22) *idem ibid. c.* 6.

(23) v. Matteji. *Sardin. Sacr. p.* 4. *et p.* 47.

rapinasque promitteret, repente sub idus Decembres furoris atque insaniae suae poenas pependit, eodem mortis exstinctus genere (24), quo Arius olim nefariae sectae parens Deo ultore interierat (25). atque hoc uno sublato, totus ille stragis impetus resedit, et Catholica Ecclesia respiravit a metu, regno a Vandalis in Guntamundum translato, qui Hunerici, filium sibi successorem designantis, sicam declinaverat, et Genserici patris lege, quod ex progenie ejus major natu esset, regnare debebat.

(24) Isidor. *Vand. Hist.* apud Labb. *Bibl. Mss. T. I. p.* 71.
(25) Vict. Tonn. *in Chron.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXV.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulem eiet hic annus Q. Aurelium Symmachum, idemque in Africa primus regni Guntamundi fuit, post idus Decembres anni superioris incohatus. erat Guntamundus Gentonis Hunerici fratris filius, ipse etiam Arianus, sed a patrui crudelitate alienus, et quantum per sectae suae Episcopos licebat, Catholicis placatus, ac publicae tranquillitatis studiosus. itaque ab ipso regni exordio non ille quidem Ecclesias Episcopis Catholicis reddidit, quas Ariani occupaverant, aut Basilicas et templa, quae Hunericus obstruxerat, patefecit; sed tamen Catholicos omnes ab exsilio protinus revocavit (1), hisque securitatem ac pacem esse voluit (2). idem Eugenium nominatim Carthaginem redire passus est (3). quare Catholici Carthaginienses, tanto viro recepto, prope jam revixisse sibi videbantur: praesertim quum de Clero etiam multos, qui ultimi in exsilium missi fuerant, propediem reversos esse, credibile plane sit.

II. Ceterum plures alios ex omni Ecclesiae ordine aut numquam aut serius rediisse fatendum est. mare enim transmiserant, et se in Italiam in primis et Gallias contulerant: ubi quidam rursus Episcopi constituti novas Ecclesias administrarunt; quamquam obscura de his ad nos fama pervenit, nec facile ab iis distingui possunt, qui vel antea sub Genserico, vel postea sub Trasamundo solum vertere coacti, sedem sibi in pacatis regionibus stabilem quaesiverunt. quin ipsa etiam nomina Confessorum incerta et mendis deformata occurrunt, ut ne eos quidem recognoscere liceat, quos certo ex Africa id temporis ejectos novimus. illud unum affirmare jure possumus, tot exsulum calamitatem multis per Europam Ecclesiis plurimum profuisse, apud quas eximia Confessorum fortissimorum patientia enituit, et documento omnibus fuit, quo animo pro Catholica religione retinenda deseri omnia et contemni par sit.

(1) Vict. Tonn. *in Chron.*
(2) Isidor. *in brevi Hist. Vand.*
(3) Canis. Ant. *Lect. T. I. p.* 161.

III. De Vigilio tamen Episcopo Thapsensi, qui in albo Episcoporum provinciae Byzacenae, quos Hunericus in exsilium ejecit, cietur ultimus, atque adeo junior ceteris habendus est, illud exploratum habemus, diutius eum Constantinopoli versatum esse, multamque illic et utilem in scribendo operam posuisse. in ea enim urbe libros composuit quinque adversus Nestorium et Eutychem, ut Synodi Chalcedonensis auctoritatem tueretur: atque ibidem fortasse eos quoque exorsus est, quos contra Palladium Arianum, et de Trinitate augusta plures perscripsit (4).

IIII. De Sacconio autem Episcopo Vzalensi, quem constat unum fuisse ex Episcopis XXXXVI. qui in Corsicam deportati sunt, non bella est fama. eum quidem ex ea insula aufugisse, et Constantinopolim navigasse accepimus; at eundem non ita ibidem versatum esse, ut qui in Africa Arianorum laqueos vitaverat, Eutychianorum item in regia urbe tum dominantium fraudes effugeret. Acacio enim teterrimo illi hypocritae, qui thronum Constantinopolitanum vel damnatus tenuit foedavitque, adhaesisse Sacconius videtur, magno Felicis Pontificis maximi moerore, cujus epistola ad nos pervenit, graviter cum eo questi, quod se ad haereticos applicuisset (5). *Communicare*, inquit, *Dilectionem tuam in partibus Orientis adversariis veritatis primum fama detulit; deinde plurimorum relatio non spernenda patefecit: quod ne temere credidisse nos arguas, si falsum est, quod optamus, da veniam de te sollicitae pietati: si verum est, accipe salubria quaeso patienter amicorum vulnera castigantum, qui perniciosa subisti amicorum oscula blandientum.* pauca deinde praefatus de rei indignitate, haec subjecit: *Nonne tu ille es, qui spretis Regum minis et saevientium barbarorum feralia jura despiciens, simul patriam, facultates et honoris sacerdotalis privilegia posuisti, ut ea perpetua recipere merearis in Christo? quid igitur nunc agimus? decolorasti gloriam, violasti confessionem, intercepisti victoriam: quantoque apud Apostolicam sedem de tuo nomine fiducia gratiaque crescebat, tanto nunc accedit miseranda confusio.* postrema Felicis verba fuerunt. *Tuae conscientiae intererit, quemadmodum ab his laqueis expediri non renuas. nobis enim in utroque fructus non vacuus erit, si vel, quod desideriis omnibus imploramus, de tuae salutis et famae redintegratione gratulemur, vel si, quod absit, nostra scripta contempseris, adjuvando fratri minime defuisse videamur.* haec a Felice. num se purgarit Sacconius, aut, si ad haereticos revera accesserat, num ad sana consilia redierit, non reperio.

(4) v. *edit. Chifflet. Divione an.* 1664. (5) apud Maff. *post Hist. Theol. p.* 234.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXVI.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules processere Fl. Longinus, Caecina Maurus Decius, hisque Consulibus Rex Guntamundus annum regni sui alterum incoharat. ambigendum porro non est, Catholicis ad Ecclesias suas undique redeuntibus, multas id temporis urbes per Africam universam recreatas esse ac restitutas. nulla tamen usquam Ecclesiae forma aut species erat, Basilicis etiamtum clausis, aut in Arianorum Episcoporum potestate manentibus: qui quidem nec satis aequi erga Catholicos reduces fuisse feruntur (1), sive quod plurimum jam apud Vandalos auctoritate valerent, ac Regem ipsum facile in sententiam suam adducerent; sive quod Rex bello occupatus de iis, quae illi auderent, minus laboraret, nec opportunum crederet animos eorum offendere, quos populus maxime reverebatur. bellum certe Guntamundo cum Mauris fuit (2), idque prope perpetuum ac saepe infaustum. nam ii passim rebellarunt, et Mauretaniam a freto Gaditano Caesaream usque subegerunt: Numidiae etiam partem, itemque provinciae Byzacenae tractum aliquem insedere: quos ille ferre coactus, vix impetravit, ut qui principatum apud eos obtinebant, ex ipsius auctoritate regnare dicerentur.

II. At vero Catholicis minus ea Maurorum defectio, quam Vandalis nocuit. humaniores enim Arianis Mauri reperti sunt, ut monasteria etiam reddidisse videantur. nam Faustus Praesidiensis, quem Hunericus cum ceteris collegis in exsilium ejecerat, ipse non longe ab Ecclesia sua monasterium aperuisse creditur, in provincia scilicet Byzacena, et hoc anno Fulgentium adolescentem inter Monachos suos adlegisse, qui eo magistro tirocinium posuit virtutum maximarum (3). id autem Maurorum indulgentiae omnino tribuendum est. neque enim Ariani Episcopi impune id tulissent; qui sane postea, quum in eum tractum Vandali rursum penetrassent, monasterium illud, Fausto et monachis omnibus fugatis, everterunt (4).

III. Hujus porro Fausti consanguineus putatur fuisse Quintianus ille, quem sub haec tempora in Galliis Ecclesiae primum Ruthenensi (5), deinde Arvernicae praefuisse (6) scimus: quamquam illud ignotum est, utrum ipse antea Carianensem in Africa rexisset, an Larensem aut Urcitanam: tres enim hae Ecclesiae Quintianum singulae Episcopum sub Hunerico habebant. vixisse autem Arvernis Quintianum constat ad annum DXXVII (7). et multis clarum virtutibus honores Caelestium meruisse: cujus dies illic festus agitur IIII. idus Novembres.

(1) Procop. *B. Vand. lib. I. c. 8.*
(2) *idem ibid. et lib. II. c. 10.*
(3) *in vita Fulgentii c. 4.*
(4) *ibid. c. 8.*
(5) v. *Gall. Christ. T. I. p. 198.*
(6) v. *Gall. Christ. T. II. p. 236.*
(7) v. *ibid. p. 237. et* Gregor. Turon. *in Vitis Patrum c. 4.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXVII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM solus gessit Anicius Manlius Severinus Boëtius: quo Consule Guntamundus annum regni sui tertium agebat, quem Catholici faustum felicemque Ecclesiae Carthaginiensi habuere. primum enim lux quaedam libertatis ostensa est, quae reliquis urbibus serius affulsit. quum nempe Eugenium jamdiu reducem multae virtutes commendarent, et Rex ipse sanctitatem ejus perspectam haberet; indigna res visa, ne unam quidem tanto viro concessam esse aedem ad mysteria celebranda et populum congregandum. ipse igitur Rex Coemeterium insigne sancti Martyris Agilei, quod apud Carthaginem erat (1), Catholicis adtribui jussit: quo nomine non hypogeum tantum, sed ipsa Martyris Basilica, in qua olim Augustinus sermonem habuerat (2), designabatur, secretario etiam, quod illi de more adjectum erat, in primis memorabilis: nam in id postea Bonifacius Episcopus Concilium convocavit (3). hac vero Regis indulgentia usus Eugenius jam Clerum suum revisere, jam populum cogere Catholicum coepit, magna quidem omnium laetitia, qui conveniebant, sed acerba tamen eorum recordatione, quos turpissima fuga ad Arianos defecisse constabat.

II. Verum ex quo Catholici coetus celebrari coeperunt, et connivere Rex visus, nec molestiam iis inferre, quos a suorum secta alienos nosset; flagitii jam, quod admiserant, magnitudo plerisque omnibus pudori ac terrori fuit. videbant enim, unde excidissent, et quid miseri amplexi essent. itaque poenitentium concursus quotidie fiebant Eugenium quaerentium, ab eoque cum lacrimis petentium, ut in Ecclesiam reciperentur. ea vero res haud levis Eugenio visa, nec de qua solus deliberaret. sciebat quid olim Cyprianus simili in caussa fecisset, qui Romanam Ecclesiam Corneliumque Pontificem maximum consuluerat. forte autem Episcopi aliquot apud eum erant, quos Romam legaret ad Felicem, Pardalius nempe Macomadiensis et tres alii, Rusticus, Donatus, Victor, quorum Ecclesias ignoramus. hos quatuor Romam hoc anno profectos, ex Concilio, quod Africanae Ecclesiae caussa vocatum est, exploratum habemus: iidem enim cum aliis triginta quatuor in Basilicam Constantinianam convenerunt, ubi et Presbyteri septuaginta sex adfuere (4).

III. Illic Felix, jam et Eugenii et aliorum litteris edoctus, quo statu res in Africa essent, quum decessorum suorum regulas et exempla sequutus, Canones quosdam perscripsisset, ex quorum norma lapsos admittendos censebat; sic Patres adloquutus esse perhibetur (5): *Communis dolor et generalis est gemitus, quod intra Africam rebaptizatos etiam*

(1) *Chron.* apud Canis. *Ant. Lect. T. I. p.* 161.
(2) *serm.* 69.
(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1071.
(4) *ibid. p.* 877.
(5) *ibid. p.* 878.

Episcopos, Presbyteros Diaconosque cognovimus: quae res sine dubio ad vestrae quoque pervenit notitiam sanctitatis. de quo quid observari debeat, ordinare nos convenit. proinde ut manifesta sit super hoc nostra sententia, quae nobis sunt visa recitentur. ac protinus quidem Anastasius Diaconus Felicis scriptum recitasse dicitur; sed quae de eo Episcoporum sententiae fuerint, non accepimus. difficultatis aliquid incidisse veri mihi simile videtur. nam quum Patres hoc anno III. idus Martias Concilium incohasse manifestum sit, epistolam tamen suam Felix ad Episcopos Africanos non misit, nisi anno insequenti: quae data dicitur *Idibus Martii, Dynamio, et Siphidio Consulibus.* disce vero hinc etiam, quod in deliberando Ecclesiae Romanae sollemne fuit, festinatum nihil tum esse, ac nihil sine consilio et inquisitione actum. sic nimirum Deus Ecclesiae se suae praesentem adfuturum spoponderat, ut quae in homine sita sunt, diligentiam studiumque requireret.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXVIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Signant hunc annum, qui regni Guntamundi quartus fuit, Consules modo memorati Claudius Dynamius, Fl. Siphidius. creverat jam in Africa lapsorum resipiscentium numerus, et litterae ab urbe expectabantur, quae poenitentiae modum praescriberent, et ad Ecclesiam cupidissime adspirantibus fores denique reserarent. Verum eae parum laetae neque ex omnium sententia fuerunt. nihil enim Felix temere aut praepropera festinatione agendum ducebat, et diu more majorum experiundos existimabat, quicumque manifesto defectionis crimine convicti veniam implorarent. *Competens*, ajebat (1), *adhibenda est talibus medicina vulneribus, ne immatura curandi facilitas mortifera captis peste nihil prosit; sed segnius tracta pernicies reatu non legitimae curationis involvat pariter saucios et medentes.* ad universos autem Episcopos scribebat Felix: quod fortasse jam rescierat, non Eugenium solum in Africa Ecclesia sua potitum esse, sed plures alios Episcopos iis in regionibus, ubi Mauri jam plurimum poterant, Ecclesiis receptis, munere suo libere fungi: vel etiam quod spes foret, ut Regis benignitate reliqui etiam Episcopi in Ecclesiam quisque suam reducerentur.

II. Porro sex omnino Canones erant, quos ea epistola continebat. praescriptum primo, ut criminis personaeque ratione habita, inquireretur, num is, qui Deum rite placare vellet, sponte ad facinus cucurrisset, an impulsus eo se scelere contaminasset: tum ut deterior ejus caussa duceretur, qui forte pretio illectus deliquisset: multo etiam gravior eorum, qui Dominicae domus cura fungentes eadem peccassent. jam Canone altero sanciebat Felix, ut Episcopi, Presbyteri et Diaconi, qui se Arianorum

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 832.

baptismo pollui vel coacti permisissent, usque ad exitus sui diem inter Poenitentes versarentur, neve cum fideli populo aut cum Catechumenis supplicarent: id unum sub mortem impetraturi, ut laicae communionis participes fierent. tertio Canone Clericis et Monachis, Virginibus Deo devotis et reliquo populo ex synodi Nicaenae praescripto constituebatur, Vt qui nulla necessitate, nullius rei timore aut periculo se ad novum baptismum haereticis impie dedidissent, si tamen eos admissi ex sua voluntate poeniteret, tribus annis inter Audientes essent; septem autem annis inter Poenitentes manibus sacerdotum caput submitterent: duobus demum annis cum populo sacris adessent, sic tamen, ut oblationis caussa ad altare accedere omnino prohiberentur. sed si forte intra id tempus vitae finis urgeret, ut veniam imploranti subveniretur, eique decedenti sive Episcopus sive Presbyter salutare viaticum impartiret. quartus Canon erat, primum ut pueris puellisque, quibus ignorantia aetatis suffragaretur, postquam aliquamdiu exclusi ad manus impositionem accessissent, communio redderetur. tum ut qui mortis periculo admissi, si postea convaluissent, cum populo tantum supplicarent, dum praescriptum poenitentiae tempus implerent. denique ut par Catechumenorum ratio esset, et tribus annis inter Audientes numerati, impositione manus inter Catechumenos redirent. quinto cavebatur, ne quis ex iis, quos haeretici baptismo suo polluissent, in Clerum unquam adlegeretur. sexto, ne Episcopus aut Presbyter ullus venientem ex alia civitate, sive is sub poena etiamtum esset, sive se jam reconciliatum affirmaret, sine Episcopi Presbyterive sui testimonio et litteris susciperet admitteretque. hortatus autem omnes Felix, ut eos Canones sancte servarent, haec addebat: *Si cui novi aliquid, et quod praeterire nos potuit, fuerit revelatum, secundum beatum Apostolum Paullum, tacente priore* (2) *fidenter insinuet, quia Spiritus ubi vult spirat, maxime quum sua caussa tractatur: nec nos pigebit audire, et si quae sunt omissa, non arroganter abnuere, sed rationabiliter ordinare.*

III. Has subinde litteras ad reliquos Orbis Episcopos missas esse, ambigendum non est. nam qui domi Episcopum paullo severiorem habebant, facile indulgentem quaerere poterant, ut graviori poena liberarentur. nec vero codex deest vetus, qui eas per Siciliam missas ostendat (3), quam in insulam commodissimus ex Africa trajectus erat. dum haec autem cura Episcopos in Ecclesiis suis constitutos exercebat, Victor Vitensis, qui ex Africa sub Conventus Hunericiani tempus elapsus, in Epirum, ut creditur, se receperat, hoc anno historiam eorum, quae in Africa sub Vandalis Regibus Catholici pertulerant, et quorum ipse testis saepe fuerat, scribere aggressus est (4): quem se laborem amici caussa suscepisse ait, qui a Diadocho Pontifice egregie institutus fuerat, cujus illustria opera exstarent. ceterum neque amici nomen in prologo illo suo

(2) I. *Corinth. c.* 5. *v.* 14.
(3) Hard. *Conc. T. II. p.* 832. *in marg.*
(4) Vict. *in Hist. init.* v. *Act. ss. Boll. T. III. Aug. p.* 628.

extulit, neque Diadochus ipse satis notus est: nisi is sit Photicensis Episcopus (5), qui epistolae synodi veteris Epiri ad Leonem Aug. de nece sancti Proterii Alexandrini subscripsit, et commemorata Patribus scripta post se reliquit. at vero Victor utile toti posteritati opus exegit: in eoque non modo tot Martyrum nobis et Confessorum exempla et dicta servavit, sed praeclara etiam pietatis, fidei, prudentiae suae documenta dedit.

IIII. Extrema autem ejus verba Caelitum sanctorum opem in ea Ecclesiae calamitate implorantis, semel commemorari omnino par est, quod ea os obstruere illis possint, qui novum ignotumque majoribus morem esse contendant supplicandi iis, qui vitam apud homines meri et ipsi homines vixerint. invocat enim ille in libri quinti conclusione primores quosque caelestis patriae cives, qui aliquando inter mortales versati sunt, ab iisque petit, ut Africae suae in tanto illo discrimine auxilium salutemque a Deo impetrent. *Deprecamini*, inquit (6), *sanctissimi Patriarchae, de quorum stirpe generis nata est, quae nunc laborat in terris. orate sancti Prophetae, cognoscentes afflictam, quam antea vaticinante praeconio cecinistis. estote Apostoli suffragatores ejus, quam ut aggregaretis, universum orbem, ascendente in vobis Domino, ut equi velocissimi cursitastis. praecipue tu, beate Petre, quare siles pro ovibus et agnis a communi magno Domino magna tibi cautela et sollicitudine commendatis? tu sancte Paulle gentium Magister, qui ab Hierusalem usque ad Illyricum praedicasti Evangelium Dei, cognosce, quid Vandali faciunt et Ariani, et filii tui gemunt lugendo captivi. tu Petri germane et non in passione dispar, gloriose Andrea, qui interpretaris Virilis, quoniam viriliter certasti, considera gemitum Africani populi, et non displiceat tibi, sed interveni pro nobis ad Deum: universique ingemiscite sancti simul pro nobis Apostoli.* haec ille et alia hujusmodi, quae nos apprime doceant, in sanctorum virorum, qui decesserint, patrocinio spem a miseris et aerumnosis rectissime collocari.

(5) Quien. *Orient. Christ. T. II. p.* 143. (6) Vict. *ibid. lib. v. c.* 20.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXVIIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gesserunt Anicius Probinus, Eusebius Chronio: Rex Guntamundus annum regni sui quintum egit; quo tempore Rex Theodoricus primum in Italiam ingressus est. aequo ne animo Ariani tulerint conventus Catholicorum, quos apud Carthaginem in Agilei Martyris Coemeterio celebrabat Eugenius, an eos turbare conati sint, Eugeniumque in invidiam vocarint, traditum non invenio. sed quum summa esset Eugenii apud Regem existimatio, aut nihil eos ausos, aut certe parum profecisse crediderim. nec vero dubitandum est, prudenti Catholicorum

consilio diligenter esse cautum, ne quid palam fieret, quod adversariorum odia incitaret. atque id multo magis in ceteris urbibus curae fuisse ne ambigas, ubi procul ab aula liberius Ariani dominabantur; nec Basilica ulla Catholicis a Rege reddita fuerat, vel postliminium Episcopo datum constabat. quare Catholici, quoties in domum aliquam ad Mysteria, Presbyteris sacrum facientibus, conveniebant, nisi Arianorum diligentiam fefellissent, vix iram eorum furoremque vitassent.

II. Porro haec edocti, qui ex Africa sub Hunerico profugerant, et apud Catholicos alibi tranquillam sedem invenerant, minus jam de reditu laborabant, ac feliciores inde nuncios et tempora pacatiora opperiebantur. ex his fuere cives illi Tipasenses sine lingua diserti, quos Constantinopolim usque pervenisse, ibique vita functos esse diximus (1). nec mirum in amplissima ac ditissima civitate talibus viris, qui omnibus miraculo essent, large suppeditatum esse, unde inopiam suam sustentarent. nisi quod id temporis duorum culpa communi laudi offecit, et insigne illud Catholicae confessionis decus macula adspersit. duo enim ex iis divina beneficia obliti, a ceterorum pietate descivere, ac meretricio amore illecti, nefaria se libidine contaminarunt. scelus autem eorum Deus ipse, quem laeserant, munere suo donoque subtracto palam vulgavit: usum enim sermonis repente ademit (2), admonuitque ceteros, ut beneficia ejus uno pietatis studio et morum sanctitate retineri meminissent.

(1) *ad an. 484. n. 6.* (2) Procop. *B. Vand. lib. I. c. 8.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXX.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules prodiere Avienus Faustus junior, Fl. Longinus iterum: regni autem Guntamundi annus hic sextus fuit. bellum in provincia Byzacena gestum esse, et Mauris repressis Vandalos urbes aliquot recepisse, turbata pax indicat monasterii Praesidiensis, ubi Fulgentius degebat. nam et Faustus Episcopus latebras quaerere coactus est (1), et Fulgentius ipse de Fausti sententia in vicinum Felicis Abbatis monasterium migravit: nec tamen, bellico in dies tumultu crescente, satis illic tutus esse potuit; sed longius cum Abbate et Monachis progressus, in provinciam Proconsularem pervenit, certus in agro Siccensi subsistere, si per Arianos licuisset.

II. Enimvero vix illic parva Monachorum cohors loci amoenitate capta consederat, et incolarum favore laeta domum sibi idoneam designare coeperat, quum Arianus Presbyter, Felix nomine, qui proxime in fundo Gabardilla primas agebat, et sectam suam multis deceptis amplificabat, magno in Monachos odio concepto, quos venisse suspicabatur, ut qui lapsi fuerant, ab errore revocarent, bellum iis indixit acerrimum, et

(1) *in vit. Fulgent. c. 9.*

omni eos ratione vexare statuit. itinera custodibus obsidet, capiuntur Felix Abbas et ipse Fulgentius, atque Gabardillam ad Presbyterum adducuntur. ille tamquam pro tribunali sedens, *Cur*, inquit, *ex vestris regionibus occulte venistis Christianos Reges evertere?* tum respondere incipientes illico verberari jubet. quo in supplicio Felix Abbas aetatem Fulgentii, nec duratum laboribus nobilis adolescentis corpusculum miseratus, ad carnifices illos sermone converso, *Parcite*, ajebat, *fratri Fulgentio, qui non potest tormenta perferre: nolite istum caedere inter manus vestras forsitan moriturum. convertatur in me vestra crudelitas; ego scio, quid confitear, in me est omnis caussa.* quibus ille verbis manus quidem eorum a Fulgentio tantisper cohibuit, sed in seipsum vehementius armavit. caesus diu Felix Ariani Presbyteri crudelitatem explevisse videbatur. sed hic rursus in Fulgentium exarsit: admoti carnifices dire juvenem fustibus verberare coeperunt tanto ejus dolore, ut ferendae poenae imparem se esse sentiret. itaque ut modum aliquem cruciatui poneret, *Dico aliquid*, exclamavit, *si loquendi potestas tribuitur.* Arianus vero ratus, se aliquid profecisse, quiescere flagella, atque ipsum loqui jubet: qui, ut erat natura atque arte facundus, itinerum suorum historiam narrare aggressus, ipsa sermonis suavitate ferum hominem cepit, ut eum jam crudelitatis puderet suae. dimissurus Fulgentium credebatur, cujus facundiam et sapientiam miratus fuerat. at victus videri noluit, praecepitque, ut iterum caederetur verbosus ille, qui silicet verba dare voluisset. hanc enim ille severitatis suae caussam praetexuit. demum Confessores ambos flagellis tamdiu proscissos ac sectos capillo nudat, spoliat vestimentis, ac calvitio deformes planeque inanes exterminat. illi tamquam laureati iter relegunt, in quo capti fuerant, ubi Abbas nummos aliquot, quos tum projecerat, reperit, atque inde ad sodales Monachos reversi hortantur, ut secum in provinciam Byzacenam recedant, Mauris, quam Arianis, vicinis securiores futuri. interea vero quae ab Ariano Presbytero apud Gabardillam passi fuerant, nunciata Carthaginem fuerant, qua in urbe Fulgentius in primis et domus ejus tota in honore erat. ipse Arianorum Episcopus indignum facinus detestatus, poenas se de Presbytero sumpturum ait: adessent modo, qui sontem accusarent, et judicium exquirerent. verum Fulgentius, quum ei quidam haec retulissent, atque etiam auctores fuissent, ut illius nomen deferret, praeclarum hujusmodi responsum dedit: *Non licet in hoc saeculo vindictam quaerere Christiano: novit Deus, quomodo servorum suorum defendat injurias. iste Presbyter si gravissimi sceleris inter homines, me agente, receperit ultionem, patientiae nos apud Deum perdimus retributionem: maxime quia multos parvulos scandalizare poterit, si Episcopi Ariani judicium qualiscumque peccator, tamen Catholicus et Monachus quaeram.*

III. Iam si Presbyter haec Arianus in Catholicos patrare ausus est, de Episcopis ejusdem sectae ex eo conjecturam facere licet, quid per haec

tempora majori auctoritate praediti, et pluribus sceleris administris stipati admiserint: quorum facta etsi ad nos litteris transmissa non sunt, haud levibus tamen indiciis quandoque significata reperimus (2). quare Clerus potissimum Catholicorum ne in latebris quidem ubique tutus fuisse putandus est, Arianis omnia rimantibus, et nihil magis metuentibus, quam ne ii resipiscerent, quos perverterant: in quo utique Presbyteri Catholici operam tum suam maxime collocabant. ceterum exsules ex his etiamtum multi desiderabantur, quos eae molestiae a reditu deterrebant. in horum etiam numero aberat, qui doctrina plurimum commendabatur, Iulianus Pomerius, in Galliis Presbyter factus (3), quum eo ex Mauretania profugus pervenisset. Rhetorem autem id temporis agebat Arelate, ubi magnum Caesarium, qui postea ejus urbis Episcopus fuit, inter auditores suos numerabat: utque scriptis editis docti famam nactus erat, sic et vita atque moribus eminebat. de scriptis ejus caput Gennadio adsutum accepimus, in quo libros octo composuisse dicitur *de natura animae et de resurrectione*: item paraenesin *de contemptu mundi ac rerum transiturarum*: et libellum *de vitiis et virtutibus*. porro auctor idem fuit et librorum trium *de vita contemplativa*, qui olim Prospero tribuebantur (4).

(2) Procop. *B. Vand. lib. I. c.* 8.
(3) in Gennad. *de vir. illustr. c.* 98.
(4) v. Cavem *Scr. Eccl. in* Iuliano *et T. II.* Prosperi *p.* III. *ult. edit.*

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXXI.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consul fuit sine collega Fl. Olybrius junior. Guntamundus regni sui annum septimum peregit. nuncii autem attulerunt, Zenonem Aug. Constantinopoli decessisse, ac pro eo regnare Anastasium: in Italia Regem Theodoricum late dominari, Odoacro Ravennae obsesso, qui jam urbem et regnum dediturus videretur. his compertis, Legatos a Guntamundo Constantinopolim missos esse, qui foedus cum Zenone jamdiu ictum renovarent, credibile omnino est. sed illud exploratum habemus, curae Regi fuisse, ut sibi Theodoricum conciliaret. *Vandali*, inquit Cassiodorius (1), *pace suppliciter postulata, a Siciliae solita depraedatione cessarunt*. sed Theodorici amicitia nihil Catholicis prodesse poterat: erat enim et ipse Arianus, plus aliquid ab Anastasio Aug. sperare Catholici potuissent; nisi eum quoque studium rerum novarum in praeceps abripuisset, atque in Ecclesiam incitasset.

II. Ceterum non ita animum omnes abjecerant, ut nihil contra haeresim illam late dominantem auderent. nam ad haec tempora omnino pertinere crediderim Asclepii Episcopi scripta adversus Arianos, quae Gennadius tamquam aequalis commemorat. *Asclepius*, inquit (2), *Afer in Bajensi*

(1) *in Chron. ad hunc an.*
(2) *de vir. illustr. c.* 73.

territorio vici non grandis Episcopus scripsit adversum Arianos: et modo adversum Donatistas scribere dicitur. in docendo autem ex tempore, grandi opinione celebratur. sed utrum haec in Numidia et in vico suo Vagensi, an peregre ediderit, non constat. quamquam facile quae ille in vico non grandi scriberet, latere poterant, atque etiam in publicum emissa auctorem non prodere, si jam ille apud suos se receperat.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXXII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM iniverunt Imp. Fl. Anastasius, Fl. Rufinus: quibus Consulibus Guntamundus octavum regni sui annum numerabat. Felix Romae, pontificatu sanctissime gesto, excessit e vivis VI. kal. Martias, et quinto post die Gelasius creatus est ortu Afer, de cujus honore Catholicos in Africa mire laetatos esse, jure inter omnes conveniat. nam et laudi Ecclesiae suae esse videbant, quod inde Catholica Ecclesia rectorem tertio haberet, et ejus opera impetrari ab Anastasio Aug. poterat, ut legatione ad Regem missa rem Catholicam in Africa restituendam curaret. quod si ex eventu judicare velimus, non levis caussa est, cur multum Gelasii officiis tribuamus. quamquam Eugenii quoque auctoritas et virtus plurimum profuisse dicenda est, quam inimici etiam reverebantur.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXXIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES prodiere Eusebius Chronio iterum, Decius Albinus. regni Guntamundi annus coeperat nonus. foederis, quod biennio ante Rex cum Theodorico pepigerat, optimum fuisse consilium Vandali hoc anno intellexerunt. nam III. nonas Martias Rex Theodoricus Ravennam ingressus est, Italiamque universam obtinuit, quam annos triginta singulari felicitate administravit. nam ei ne Anastasius quidem regnum invidit, regiis ad eum ornamentis Constantinopoli missis, ut ex auctoritate ipsius regnare videretur (1).

II. Quietis autem in Africa rebus, soli sine cura Catholici esse non poterant, qui nec legitimos coetus extra Carthaginem celebrare permittebantur, nec Episcopos habebant proprios, nec Basilicas uspiam receperant. lugebat jamdiu tantam Ecclesiae Africanae calamitatem Eugenius, et moerore confectus Deum enixe cum Clero suo populoque exorabat, ut malorum aliquando finem placatus afferret; eamque terram propitius respiceret, quae tot Confessores, tot Martyres genuisset: utique gemitus

(1) v. Archiep. Vpsal. *Hist. lib. VIII. c.* 16.

et squalorem ac cinerem ne aspernaretur poenitentium veniamque implorantium, quibus jam extra Ecclesiam ejus vita esset miserrima atque amarissima. nec vero Deus piorum vota neglexit, eamque Eugenio injecit mentem, ut libellum ipse componeret, quo a Rege peteret, ut et Basilicas Catholicorum aperiri, et Catholicos Episcopos ad Ecclesias suas redire pateretur. simul animum Regis numine suo flexit, et ad Eugenium sua sponte inclinantem impulit, ut ejus caussa diuturnam illam Catholicorum omnium aerumnam miseraretur.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXXIIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Turcius Secundus Asterius, Fl. Praesidius. nihil hoc anno, qui regni Guntamundi decimus erat, Catholicis per Africam laetius fuit aut esse potuit. nam quum Eugenius de Presbyterorum suorum sententia libellum, quem Regi daret, accurate conscripsisset, Regemque supplex adiisset, quod maxime optabat, rescriptum tulit. decem jam anni menses sex, dies quinque effluxerant, ex quo Rex Hunericus Basilicas Catholicis eripuerat, easque vel Arianis dederat, vel omnino obstrui jusserat: at IIII. idus Augustas (1) Regis Guntamundi Edicto toti Africae imperatum est, ut eae omnes Catholicis redderentur: nec minus Episcopis, quotquot post tantam cladem superstites erant, postliminium datum, ut Ecclesiam quisque suam recuperaret.

II. Iam quibus tum gaudiis Catholici exultaverint, quantas Deo gratias egerint, nemo facile dicendo adsequatur. quum enim tot annos in luctu et squalore fuissent, divina jam et caelestia omnibus anteferre didicerant, ut vix ullis vitae hujus illecebris aut communi voluptatis et commodi studio tenerentur. itaque hoc unum erat, quod moestos animos recreare atque erigere posset, si divinis rebus vacare liberius, et sacris Mysteriis veteri more simul interesse licuisset. id autem aliquando nacti, caelo sibi redditi videbantur, plus in hoc felicitatis partum Ecclesiae esse existimantes, quam si opes amissas et veteres honores recepissent. exinde vero praecipua primorum Episcoporum cura fuit, ut in singulis provinciis viduatas rectoribus Ecclesias supplerent. quibus ii tum viri praefecti sunt, quos longa patientia et spectata perdiu virtus quam dignissimos fecerat, ut ceteris praeponerentur. nihil in iis designandis ambitio, nihil gratia, nihil officia potuerunt: apparuitque, quanta Deus bona Ecclesiae suae puniendo etiam et ulciscendo largitus esset.

III. Annum quoque hunc exornat Gelasii synodus Romana, in qua Episcopis LXX. praesentibus Decretum illud insigne editum est, quod *Decretale sancti Gelasii* appellatur (2), libros recensens, quos tum Ec-

(1) *in Chron.* apud Canis. *Ant. Lect. T. I. p.* 161.

(2) apud Fontanin. *Antiq. Hort. p.* 317. v. *infra an.* 520. *n.* 2.

clesia Romana probaret, ac simul quos in Ecclesiis publice ne legerentur, caveret, ob eamque caussam *Apocryphos* diceret (3), quasi occultos, neque dignos, qui ex Ecclesiae auctoritate in omnium manus venirent. ac in primo quidem censu quae ad Africanos scriptores spectant, haec *recipienda* nominatim indicantur, *Opuscula beati Caecilii Cypriani Martyris et Carthaginiensis Episcopi*, item *Opuscula beati Augustini Hipponeregiensis Episcopi.* in Apocryphorum autem censu sunt *Opuscula Tertulliani, Thascii Cypriani*, ea, opinor, quae Cypriano postea falso adscripta, item *Lactantii*, si Afrum hunc habeas, tum *Arnobii* et *Tichonii*: nec alia ulla: nam liber, qui appellatur *Poenitentia sancti Cypriani* ad Antiochensem Pisidarum referendus est.

(3) v. *eundem ibid. p.* 217. *et* Zacar. *Proib. de libr. p.* 33.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXXV.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gesserunt Fl. Aemilius, Fl. Viator: regni autem Guntamundi annus fuit undecimus. Eugenium hoc anno Gelasius Pontifex maximus praeclaro ornavit ellogio, quum ad Episcopos Dardaniae de legitima Acacii damnatione scriberet, eumque, ut jam monuimus, tamquam virum magnum et egregium sacerdotem iis imitandum proponeret, quos vis haeretica et Principalis auctoritas de sententia deterrebant, atque a religionis officiis avocabant (1). mira sane Eugenii constantia fuerat sub Hunerico; nec minor sub Guntamundo sedulitas, ut Ecclesiam tueretur, firmaret, amplificaret. itaque ejus opera jam Ecclesiae ubique Catholicis patebant, redibant Episcopi, aut novi constituebantur. atque haec frementibus quidem Arianis, sed connivente Rege fiebant, quem Eugenii virtus Catholicis non modo placaverat, sed etiam benevolum ac bene existimantem effecerat. porro tam manifesta Regis voluntas monasteriis etiam profuit vel plurimum, ne Arianorum irruptionibus vastarentur. ipse Fulgentius ad veterem sedem reversus, in provincia Byzacena securam agebat vitam, Deo uni addictus fidelissimo famulatu, ac specimen omnibus dabat, quantus in Ecclesia illa difficillimis temporibus futurus esset.

(1) *epist.* 7. apud Hard. *Conc. T. II. p.* 914. v. *sup. an.* 79. 3.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXXVI.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consul processit sine collega Fl. Paullus. Ecclesiae Africanae ad speciem jam aliquam et dignitatem florescenti spes prope omnis erepta hoc anno est Regis Guntamundi morte, qui duodecimum quem incoha-

verat, regni annum non explevit. viiI. enim kal. Oct. exstinctum constat (1): cui frater successit Trasamundus, natorum maximus, quos Gensericus reliquerat: a quo Catholici sperare boni nihil possent, at mali plurimum metuendum existimarent. ceterum hic novam Catholicorum perdendorum rationem inivit. nam neque facilitatem Guntamundi probabat, et Hunerici saevitiam aversabatur; at Arianos idem omnes esse cupiebat, quicumque in regno ejus et ditione essent. id igitur ut adsequeretur, non terrore quemquam aut tormentis cogere, sed honoribus et praemiis allicere coepit. et erat ille non modo forma atque ingenio praestans, sed etiam magnitudine animi excellens, ut his quoque ad multorum perniciem plus valeret. si quos autem constantiores norat, scire se dissimulabat, quae dicerent facerentque. quos contra criminibus notatos et poenam meritos cognovisset, his, si mutarent sectam, et Arianis accederent, impunitatem dabat (2).

iI. Hae primae Trasamundi artes fuere, quae avaris quidem et honorum cupidis exitium attulerunt; at nihil eos commovere potuerunt, qui caduca haec et mortalia contemnere didicerant, nec sibi eam esse patriam putabant, in qua nati essent, sed caelo se atque aeternae felicitati genitos meminerant. contra hos aliae, quibus labefactarentur, machinae parabantur, quas tamen vera virtus contempsit, ac facile superavit. fuit hic annus Gelasii Pontificis maximi ultimus: ei enim successor viiI. kal. Decembres datus est Anastasius, quem eo nomine secundum dicimus. eodem item anno decessisse putatur Salvianus, Belga ille Presbyter aetatis suae declamator facile primus, quem Afris infensissimum scripta produnt: nemo enim hosti probra, quae ille Afris, objecit, nemo alios, opinor, turpioribus maledictorum notis inustos (3) memoriae tradidit posterorum. quae vero illum caussa impulerit, ut declamatorium mucronem exacueret, et in Afros tantopere inveheretur, ignota adhuc est. nam vitia quidem eorum et scelera magnae multorum virtutes compensabant (4).

(1) Noris. *Hist. Pel. lib. iI. c.* 21.
(2) Proc. *B. Vand. lib. I. c.* 8.
(3) v. *potiss. lib. viI. de Provid. Dei et not. primas* Balutii.
(4) v. Tillem. *T. xvI. p.* 192.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXXVII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum solus gessit Imp. Fl. Anastasius iterum. at Trasamundus a Septembri extremo annum regni sui alterum incohavit. Episcopi Arianorum, qui sub Guntamundo Catholicorum restitutionem aegre tulerant, explorato jam Trasamundi ingenio, rediisse tempus arbitrati sunt, quo iterum de Catholicis more suo triumpharent. sed Carthagine in primis Eugenius obstabat, virtute et rebus gestis clarissimus: cui ne Ariani quidem ipsi Cyrilam suum sectae, ut vocabant, Patriarcham comparare

audebant. jamvero ut eum primum, a quo laus eorum obscurabatur, aggrederentur, Regem, qui propediem urbe excessurus erat, frequentes adeunt, rogant, ut se absente hanc ipsis curam delegare velit, quandoquidem Catholicorum in dies audacia cresceret, ut eos in officio continerent: ac si quispiam impudentius se gereret, ut eum in custodiam traderent, et vinctum eo adducerent, ubi Rex ipse versaretur. id autem Regi, qui Catholicos oderat, non ingratum fuit. Cyrilae summa potestas tribuitur, et cohortatio additur, ne se doctrina vinci aut auctoritate pateretur. vix Carthagine discesserat Trasamundus, quum Cyrilas fidissimis quibusque e secta comitantibus in suburbanum egressus, ad Agilei Martyris Basilicam deflexit, Eugeniumque adortus comprehendi jussit (1). rapitur in vincula sanctissimus Episcopus, qui non modo tot annos facto ullo dictove neminem laeserat, sed etiam illustre cuique exemplum fuerat veteris sanctitatis. paullo post Cyrila duce ad Regem proficisci cogitur: quo in itinere Ecclesiam suam respiciens, quam ne adloqui quidem digrediens permissus est, litteras ad eam perferendas curavit amoris plenas, et singulare ejus pro communi salute studium praeferentes, quibus omnes hortabatur, ut coorta rursum tempestate animos sumerent, et constanter pro Catholica veritate pugnarent. *Et ideo*, ajebat (2), *ne abiens a vobis Ecclesiam Dei in ambiguo, hoc est in suspenso dimitterem, aut oves Christi non verus pastor silentio relinquerem; necessarium duxi has pro me vicarias vestrae dirigere sanctitati, in quibus non sine lacrimis peto, hortor, moneo, et satis abundeque obtestor per Dei majestatem, et per tremendum Judicii diem atque adventus Christi terribilem claritatem, ut fixius teneatis Catholicam fidem, asserentes Filium Patri esse aequalem, et Spiritum sanctum eandem habere cum Patre et Filio deitatem.* et quae deinceps.

II. Vt coram Rege stetit, adductos eodem vidit Episcopos duos Catholicos et divinis muneribus ornatos, Vindemialem Capsensem ex provincia Byzacena et Longinum Pamariensem ex Mauretania Caesariensi. quum Cyrilas accusare eum coepisset, et omnes simul Catholicos asperioribus verbis perstringeret, gravis exorta contentio est, et longior de religionis summa disputatio, quam Rex, ut erat ingeniosus et simulator aequitatis, probare videbatur. egregie partes suas egerunt Episcopi Catholici, ut victores discederent, clamoribus tamen victi Arianorum, qui Regem fautorem habebant, et contra eos debacchari impune poterant.

III. Ceterum quia norant, tres illos Episcopos non modo doctrinae laude ac vitae sanctitate, sed etiam prodigiorum, quae singuli patraverant, fama illustres esse; tentandum aliquid Cyrilas duxit, quo sibi etiam vim esse parem ostenderet, et Arianam sectam a miraculis commendaret. ita demum fore ratus, ut Catholici vel loquacissimi obmutescerent. ergo clam nebulonem quemdam sevocat, Arianum hominem, et

(1) Greg. Tur. *Hist. Franc. lib. II. c.* 3.
(2) apud Gregor. Tur. *ibidem* v. Boll. *T. III. Iul. p.* 492.

cum eo questus, Episcopos Catholicos non sine ipsius contemptu multos praestigiis decepisse, aureis quinquaginta donat, hortaturque, uti se coecum esse fingat, et in loco sedens, qua ipse cum Episcopis suis transire soleret, ad praetereuntem magna voce clamaret, ut oculos sibi redderet, et antistitem se verae religionis prodigio illo ostenderet. paret ille, et quo jussus erat loco subsistens, accedente Cyrila, magna vocis contentione exclamat, *Audi me beatissime Cirola, audi me sancte sacerdos Dei, respice coecitatem meam: experiar ego medicamenta, quae saepe coeci reliqui a te meruerunt, quae leprosi experti sunt, quae ipsi etiam mortui persenserunt. adjuro te per ipsam virtutem, quam habes, ut mihi desideratam restituas lucem, quia gravi sum coecitate percussus.* haec planus illa, praeter opinionem suam vere praenuncians, quae jam imminebant. quippe ut Cyrilas, tangi se hominis aerumna simulans, maxima cum miseratione ad eum divertit, ac manu super oculos posita impiam usurpans formulam, *Secundum*, inquit, *fidem nostram, qua recte Deum credimus, aperiantur oculi tui;* is qui plane videbat, illico coecus factus est, tanto oculorum cruciatu, ut eos utraque manu comprimere cogeretur, ne disrupti absisterent. tum vero Cyrilas quidem flagitii auctor, praesenti numinis violati ultione perturbatus, populi etiam sibilum metuens, omni festinatione ad suos properavit: at coecus, miserum se ac scelestum inclamans, quod Deum irridere voluisset, abeuntem Cyrilam ita insectabatur: *Ecce aurum tuum, redde lumen meum, quod dolo tuo perdidi.* mox Catholicos adloquens, *Vos rogo*, ajebat, *gloriosissimi Christiani, ne despiciatis miserum: sed velociter succurrite pereunti. vere enim cognovi, quia Deus non irridetur.*

IIII. Jam qui Arianos omnes ea poena perculerat, Ecclesiam suam Deus prodigio erigere voluit, atque illustri facto nobilitare. deducitur coecus ad tres Episcopos nostros, Eugenium, Vindemialem et Longinum: interrogatur, quid de Dei Filio sentiat? quid de Spiritu sancto profiteatur? ille Arianam detestatus perfidiam, omnino ex formula Catholica respondet: nihil cunctantur Episcopi talem post confessionem. manus coeco imponunt Vindemialis et Longinus, oculos ejus Eugenius cruce descripta signat, *In nomine* inquiens, *Patris et Filii et Spiritus sancti veri Dei, quem trinum in una aequalitate atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui:* ac dicto citius sanitatem coecus recepit pristinam, manifestissimoque testimonio Catholicae religionis sanctitas comprobata est. vulgatur simul tanta Cyrilae fraus, exsibilantur omnes sectae ejus Episcopi, notantur, contemnuntur. at quis crederet? Rex, qui fraudem senserat, qui prodigium cognorat, ira non in Arianos exarsit, sed in Catholicos: et qui Cyrilam damnare, totamque sectam abjicere debebat, Eugenium et socios Episcopos perdere instituit, Catholicos omnes vexare, ipsam denique, si fas esset, Ecclesiam eorum nomenque delere: nisi quod sensim ea, quae deliberaverat, perficiebat,

et crudelitati quandoque obsequutus, multa consilio agere, ac diu meditata afferre videbatur.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXXVIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum susceperunt Ioannes Scytha, Decius Paullinus: hisque Consulibus annum regni sui tertium attigit Trasamundus. eodem anno vertente diem obiit supremum Anastasius Pontifex maximus, cui x. kal. Decembres successit Symmachus. jamvero in Africa crudele admodum Catholicae cladis initium fuit. nam Rex minime propositi sui tenax in Hunerici mores repente delapsus est. *Sanctos Dei*, inquit Gregorius Turonensis (1), *post multa tormenta, post equuleos, post flammas, post ungulas, jussit interfici.* hic nempe Vindemialis atque Longini exitus fuit: Eugenii aliae vices fuerunt. *Beatum Eugenium*, inquit idem, *decollari jussit sub ea specie, ut si in ea hora, qua ensis super cervicem ejus incumbebat, non reverteretur ad haereticorum sectam, non occideretur; ne eum pro Martyre excolerent Christiani, sed exsilio damnaretur. quod ita factum esse manifestum est. nam quum imminenti morte interrogatus fuisset, si mori pro fide Catholica destinaret, respondit: Haec enim est sempiterna vita, pro justitia mori. tunc suspenso gladio, apud Albigensem Galliarum urbem exsilio deputatus est, ubi et finem vitae praesentis fecit.* caussam autem si quaeras, cur ille Eugenio habitandi locus sit circumscriptus, ea afferri potest, quod ea provincia (2) Regi Gothorum Alarico pareret, quem et foedere et secta cum Trasamundo conjunctissimum fuisse nemo inficietur. sed qui Eugenium Martyribus adnumerari noluit, alios eo honore auxit non paucos, e quibus nominatim cietur, qui Episcopum suum sequutus erat, Octavianus Archidiaconus Ecclesiae Carthaginiensis. porro Gregorius ingentem plane Martyrum numerum facit; sed Hunericiana tempora comprehendere videtur, quae magnis, ut vidimus, triumphis insignia fuerunt, et crebris Confessorum caedibus nobilitata sunt. memorat idem et Episcopum nomine Revocatum, qui in ea rerum conversione Ecclesiam suam miser deseruit, et ad Arianorum castra transfugit. cujus quidem multis lacrimis deplorandus est casus, exemplo ipso in tali viro foedus et perniciosus; sed commendanda impensius ceterorum est fides atque constantia, qui nec praemiis illecti, nec suppliciorum terrore subacti, documento omnibus fuere, quantum quisque roboris vel in summis periculis a Deo impetrare supplicando posset.

(1) *Hist. Franc. lib. II. c. 3. n. 8.* (2) Tillem. *M. Eccl. T. XVI. p.* 604.

ANNUS CHRISTIANUS CCCCLXXXXVIIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULES prodiere Fl. Asclepiades, Fl. Ioannes Gibbus. Trasamundi in Africa regnantis annus sub Octobrem incohatus est quartus. nuncii Carthaginem funesti ad Ecclesiam perlati jam fuerant, Eugenium Episcopum post longa supplicia in Gallias a Rege esse relegatum: Octavianum Archidiaconum cum Vindemiali et Longino Episcopis martyrio esse defunctum; post hos saevitum in alios esse, nec finem hunc cladis novae, sed initium videri: ut non jam fortunarum et domorum, sed vitae et salutis periculum portenderetur. qui tum Catholicorum luctus fuerit, qui omnium gemitus et plangor et lamentatio, nemo facile explicare dicendo possit. quo enim egentiores facti, opum minus habebant, eo vehementius Ecclesiam amabant; et quum vix ullis rerum humanarum illecebris tenerentur, hoc illis unum erat in hac vita solatium, ut cum Episcopo suo ad sacra celebranda convenirent, eoque doctore divinae legis scita et Christianorum officiorum praecepta perciperent. vulgata haec subinde per Africam, parem in omnes Ecclesias luctum metumque attulerunt. nec Arianorum minus crescebat audacia, tempus advenisse jactantium, quo jam una totius Africae Ecclesia esse inciperet, id est Ariana: nam hoc Rex maxime urgebat, ac sperare ausus fuerat.

II. Ad hunc porro annum pertinere videtur Trasamundi Edictum, quo sanxit, ne uspiam Catholici, eo, quem haberent, Episcopo amisso, alium crearent (1). hanc certe, quae mitior esset, primam Ecclesiae abolendae rationem ille inivit, postquam demum et carceres et exsilia praeoptavit. eo autem Edicto primi Carthaginienses petiti sunt, qui Eugenium jam senem ita amiserant, ut reditum ejus in posterum interclusum viderent; ac fortasse unum aliquem e Clero insignem taciti designabant, quem Eugenii morte audita Episcopum renunciarent. itaque Ecclesia, quae ceterarum parens erat, ante alias viduata, annos quatuor et viginti sine Episcopo fuit: quamquam ei litteras Eugenii, quamdiu ille vixit, non defuisse, et ex tanti viri auctoritate administratam esse, credibile est, qui alias etiam, quum ab Ecclesia sua abesset, de populi sui recta institutione plurimum laboraverat (2).

(1) *ex vit. s. Fulg. c.* 16. (2) v. *an.* 497. *n.* 1.

ANNUS CHRISTIANUS D.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATU functi sunt Fl. Patricius, Fl. Hypatius: hisque Consulibus Rex Trasamundus annum regni sui quintum attigit. Edicto adversus novos Catholicorum Episcopos promulgato, nihil a Rege tristius hoc anno

tentatum aut jussum apparet. nec mirum, siquidem in hunc annum referendae nuptiae sint Amalafridae Regis Theodorici sororis, quam ille uxorem duxit (1). in illa enim totius regni laetitia cavendum videbatur, ne cui moeroris et luctus caussa subjiceretur. fortasse etiam Regem pudebat interdum furoris sui; quumque et acri esset ingenio, et aliqua gloriae cupiditate flagraret, facile intelligebat, quidquid injuste et crudeliter fecisset, aequum de eo verumque posterorum futurum esse judicium: ut quae tum Ariani assentatores commendabant, illi contra improbaturi maxime atque vituperaturi viderentur.

II. Eugenius interea in Gallias pervenerat, atque in media Aquitania, ubi Cadurci Eleutheri fuere, in pago agri Albigensis consederat: quo in loco sepulcrum erat insigne Martyris Amaranthi, qui sub Decio Aug. lauream meruerat. illic monasterium sibi condebat (2), in quo sociis adscitis Deo famularetur, et maximis jam laboribus periculisque defunctus, vitam denique poneret. nec illi studia deerant Catholicorum, apud quos jam de meritis ejus et virtutibus multa vel ante ipsius adventum fama vulgaverat. itaque sanctissimo viro exsulanti non modo quies, sed etiam dignitas fuit: et quantum apud suos existimatione innocentiae floruerat, tantum integritatis laude apud Gallos inclaruit. de sociis autem, quos secum ex Africa adduxerit, minus constat. nomen quidem apud Gallos insigne est Clari Episcopi, quem Tutelenses in primis inter caelestes Patronos jamdiu numerant, et Afrum habent: qui Martyr a multis, Confessor a nonnullis appellatur. sed de ea re certi nihil hactenus prodiit; quique eum cum Eugenio illuc profectum cogitarunt, veri tantum simile aliquid indicasse videntur (3).

III. At in Africa vir alius insignis et jamdiu monachorum societati adsuetus, in tantis illis Arianorum motibus quietem non repериens, alias id temporis plagas adire cogitaverat, ut Deo uni tandem vacaret. is erat magnus Fulgentius, qui, dum Felix Abbas, quocum dura pro Catholica religione olim perpessus fuerat, novum ad urbem Mididi in provincia Byzacena monasterium exstruere moliebatur, Aegyptum ipse et Thebaicas solitudines petere statuit. nec diu cunctatus Carthagine solvit, et inde in Siciliam, Redempto monacho comite, navigans appulit Syracusas (4). Eulalius eum Episcopus hospitio accepit, edoctusque quo iter dirigeret, ab Aegyptia profectione dehortatus est, quod hoc tempore Alexandrinam Ecclesiam Ioannes Mela haereticus obtineret, et tota Aegyptus a Romanae Ecclesiae communione sejuncta esset. at vero Fulgentius quum apud Eulalium hibernasset, ineunte vere deliberaturus quam se in viam daret, Rufinianum quoque Episcopum proxime parva in insula degentem, qui ante monachus fuerat, consulere voluit. at hujus etiam eadem, quae Eulalii, sententia fuit, ne Aegyptum cogitaret: accessum illum juveni periculosum videri; nec potioris vitae studio summam esse fidei ac reli-

(1) Jornand. *de reb. Goth. c.* 58.
(2) Ruin. *V. Pers. Vand. P. II. c.* 8. *n.* 7.
(3) Papebr. Bolland. *Iun. T. I. p.* 15.
(4) *in vit. Fulgent. c.* 12.

gionis periclitandam. tum ei praeterea Rufinianus auctor fuit, ut in Africam rediret, ac se ad Felicem rursus atque Mididitanum monasterium conferret. consilium igitur suum abjecit Fulgentius, et navem conscendens, quae Romam petebat, urbis adeundae occasionem adripuit, ut Apostolorum monumenta et Martyrum sepulcra inviseret. vidit autem Romae Regem Theodoricum; nam hoc ille anno in urbem magnifico apparatu ingressus est, et senatu populoque Romano plaudente praeclarum et humanitatis et liberalitatis suae specimen dedit (5). ac tum Fulgentius, tanta illa urbis specie et festo viarum atque aedium ornatu captus exclamasse fertur, *Quam speciosa potest esse Hierusalem caelestis, si sic fulget Roma terrestris! et si in hoc saeculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis gloria et honor praestabitur Sanctis diligentibus veritatem!* hoc ille pacto se urbis illecebris deliniri non est passus: et Roma digressus, quum Sardiniam attigisset, in Africam et ad monachos suos rediit, magna omnium laetitia, quod eo recepto decus maximum ac singulare ornamentum non monasterio solum, sed toti etiam provinciae redditum videretur. ceterum modestissimo viro tanta illa existimationis significatio vehementer displicuit, et hanc illi mentem injecit, ut alio secederet. ignota ergo veste indutus clam inde aufugit, sine ullo comite, et monasterium adiit in vado medio situm prope Vticense littus, plane inaccessum, nec ullis vitae commodis exoptandum. illic parendi studiosus sub alterius imperio libentissime esse coepit, beatumque se putare, quod privatus atque abditus obsequiis hominum et honoribus careret.

(5) Anonym. Vales. etc.

ANNUS CHRISTIANUS DI.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules fuere Fl. Pompejus, Rufius Magnus Faustus Avienus senior, quorum Consulatu Rex Trasamundus annum regni sui sextum incohavit. tristior in dies Ecclesiae Africanae facies fiebat, Episcopis mortem occumbentibus, in quorum locum suffici nemo posset. sed horum tamen vicem aliquatenus supplebant vicini superstites, quos diuturni labores duraverant, et singularis quidam ardor mentis ac summum religionis studium ad optima quaeque incitabat. quod autem Eugenius in litteris suis Ecclesiae Carthaginiensi inculcaverat, ut Catholicam fidem constantissime retinerent, ac Filium Deum Parenti aeterno aequalem assererent, Spiritum sanctum Deum agnoscerent, unicum Baptisma, quo abluti fuerant, tuerentur; id erat, quod Episcopi passim urgebant, commendabant, praedicabant. ex his quidam et scriptis eadem confirmare aggressi sunt, ut populus ea ratione accuratius Catholicam doctrinam edisceret, et Arianorum commenta felicius refutaret. manent sane adhuc

ejusmodi lucubrationes, quae Vigilii Thapsensis opera putantur, sed non unius tantum, sed multorum potius dictata videri possint. illud ex Vigilii industria fuit potissimum, ut opera quaedam adversus Arianos in lucem emitterentur, magnorum Patrum nominibus insignia, ne ab Arianis molestia auctori exhiberetur, neve doctorum tantorum auctoritas contemni posset. hujusmodi sunt Altercatio sub nomine Athanasii adversus Arium, sive Dialogi duo in Concilio Nicaeno habiti Probo judice inter Athanasium et Arium: item Dialogi tres sive Altercationes Athanasii eodem judice contra Arium, Sabellium et Photinum: rursum Altercatio sive Dialogus sancti Augustini cum Pascentio Ariano, coram judice Laurentio (1). haec porro, in quibus nihil erat quod tantis Patribus indignum esset, securius a Catholicis legebantur, et in Arianos plus aliquid valebant. tum autem a Vigilio ipso conscriptum esse Symbolum, quod Athanasii nomen praefert, doctorum virorum opinio est (2), veteris quoque codicis auctoritate probabilis.

(1) *ed. a Chifflet. Divione an.* 1664.
(2) Papebr. *ex* Quesnell. *T. I. Maji. p.* 181. *et seq. at vide Diss. I.* Damascen. Quienii *p. x.*

ANNUS CHRISTIANUS DII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum susceperunt Fl. Probus, Rufius Magnus Faustus Avienus junior. regni Trasamundi annus coepit septimus. Concilium hoc anno Romae a Symmacho habitum est, in quo legem Patres abrogaverunt, quam sub Odoacro tulerat Basilius Praefectus Praetorio, ne sine Regis Italiae consensu Pontificem maximum renunciari fas esset. in Africa nihil a Rege gravius Catholicis contigisse videtur: qui inter spem metumque ad virtutem et pietatem impensius erudiebantur: illud exploratum habentes, quidquid demum ab adversariis impenderet, eam profecto operam non perituram, quam in Deo honorando et religione colenda posuissent.

II. Iam et Donatistarum factio, quae numquam in Africa extincta est, fere id temporis jacuisse videtur, et in tenebris magis, quam in luce versata esse. dilapsos enim interdum ex illis quosdam, atque in Gallias usque pervenisse accepimus. qua de re testimonium exstat Aviti Viennensis Episcopi in epistola ad Stephanum Lugdunensem, qui Donatistas Lugduni esse nunciarat. rescripsit enim Avitus, ne durius cum iis ageret, neve ullum ejus sectae vestigium apud se esse pateretur. *Quocirca*, inquit (1), *Donatistarum nomen, ne diu in loco vivere possit alieno, benedictione protinus sepelite vitali.* recipi autem Donatistam jubet sola manus impositione, quod constaret, qui in schismatis professione versati essent, eos cum ministerio baptismatis etiam chrismate esse

(1) apud Sirmond. *T. II. p.* 40.

consignatos. *Hoc certe*, inquit, *eos in regione illa observare manifestum est.* idque Optati etiam Augustinique auctoritates confirmant (2).

(2) v. Morin. *de Poenit. lib. VIII. c. 9. n.* 18.

ANNUS CHRISTIANUS DIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules prodierunt Fl. Dexicratus, Fl. Volusianus: regni vero sui annum Trasamundus incohavit octavum. Romae hoc anno synodus Palmaris acta, in qua Symmachus se purgavit, et schisma sublatum est. Ecclesiarum Africanarum quae vices fuerint, ignoramus. eas feliciores fuisse, quae in Maurorum potestate erant, vix ambigendum videtur. nam eorum plerosque Catholicos fuisse, constat aut ethnicos, et a Vandalorum haeresi alienissimos, quibus bellum intulerant. ac permagni etiam intererat, Catholicos a Mauris bene haberi, ne imperium eorum detrectarent, et in Vandalorum ditione esse mallent. itaque quamquam Mauri Principes ex Regis Vandalici auctoritate, ut superius monuimus, regnare dicerentur; nihil tamen apud eos Trasamundi leges valuisse crediderim: nec Catholicis unquam vetitum esse, ne Ecclesiae apud eos alium sibi Episcopum in demortui locum designarent.

ANNUS CHRISTIANUS DIIII.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum solus gessit Fl. Caetheus, qui aliis Cethegus est: annum vero regni sui nonum attigit Trasamundus. ne hoc quidem anno insigne quidquam de Ecclesia Africana traditum accepimus. sed si quid otii per haec tempora Episcopis fuit, id in populorum utilitatem collatum esse merito statuemus. nonnullos etiam sacris in litteris, mature versatos novimus, quorum meminit Cassiodorius. nam scriptores recensens (1), qui Ioannis Apocalypsin illustrassent, *Vigilius*, inquit, *Afer antistes de mille annorum intelligentia, quae in praedicta Apocalypsi continetur, unde magna quaestio nonnullis oboritur, plenissima et diligenti narratione disseruit.* is ne autem Thapsensis Episcopus, an alius aliquis fuerit, ille non tradit. sed Episcopum alterum Africanum subinde commemorat, de quo infra dicemus, non uno scriptionis genere clarum. *Nostris quoque*, inquit, *temporibus Apocalypsis praedicta beati Episcopi Primasii antistitis Africani studio, minute ac diligenter quinque libris exposita est: quibus etiam libris unus, Quid faciat haereticum, cautissima disputatione subjunctus est:* tum alter, *Quae in templo Domini sacrata donaria sanctis altaribus offerantur* (2). ad haec quoque

(1) *de divin. lect. c.* 9.

(2) v. *infra an.* 556. *n.* 11.

tempora pertinet Luxurius poëta non ultimus aetatis suae apud Carthaginienses, cujus epigrammata exstant (3).

(3) Salmas. *ad Spartian. in Hadriano c.* 17.

ANNUS CHRISTIANUS DV.

Eugenio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi sunt Fl. Sabinianus, Fl. Manlius Theodorus. decimum regni sui annum numeravit Trasamundus. Carthaginiensium hoc anno auctus est luctus nunciata e Galliis Eugenii morte (1), quem Deus eximiis virtutibus et maximis victoriis clarissimum ad immortalia praemia evocarat. huic tanto viro caelestes honores passim a morte decreti sunt. sed non eundem omnes Ecclesiae diem servaverunt. nam Carthaginienses nonis Ianuariis memoriam ejus in kalendario consignarunt: Ecclesia Romana iiI. id. Iulias celebrat: Albigensis autem viiI. id. Septembres: aliquamdiu demum in reliqua Gallia kalendis ipsis Ianuariis cultus est (2). sed ex his diebus ille emortualis habendus esse videtur, quem Ecclesia Albigensis retinuit, in qua ille non modo decessit, sed sepulcrum quoque insigne ac praecipuos honores nactus est. de ejus autem exitu haec Gregorius Turonensis (3) litteris mandavit: *Hic quum magnis in saeculo polleret virtutibus, et jam victor de tormentis martyrialibus exstitisset, tempus vocationis suae, quo accerseretur ad gloriam, Domino revelante cognovit: illud praecipue, quod populis occultabatur, manifestum noscens, se Martyri Amarantho socium esse futurum, ad ejus sepulcrum dirigitur, prostratusque solo diutissime orationem fudit ad Dominum: dehinc expansis per pavimentum brachiis spiritum caelo direxit.* describit deinde Gregorius sepulturam ejus ad Martyris hypogeum, et Christianorum in ejus funere lacrimas ingentemque luctum. tum prodigia ad tumulum ejus crebra attingit, et unum insigne fusius persequitur, quod ipso die ejus anniversario patratum multi plane mortales spectaverant, qui undique ad sollemnia convenerant. puella nempe ex indigenis, quum ad negotiatorem quasi aliquid emptura accessisset, et ab eo nescio quid contemplandi caussa in manus traditum accepisset, id ipsum sodali suae porrexerat, ut abderet averteretque. negotiatore autem rem suam repetente negaverat, se quidquam accepisse. is vero, quia puella iterum et tertio increpita furtum a se factum pernegabat, *Si tibi*, inquit, *tanta est pertinacia, avaritia stimulante, negandi, judicet illud beatus Martyr Eugenius, ad cujus sepulcrum si cum sacramenti interpositione dixeris te non accepisse, damni mihi nihil aestimo quod amisi.* tum illa ad sepulcrum impudentissime accedere ausa, quum jurisjurandi concipiendi caussa manus sustulisset, repente toto corpore obriguit, fixi pa-

(1) Vict. Tonn. *in Chron.*
(2) Ruin. *H. Pers. Vand. P. iI. c.* 8. *n.* 7.
(3) *de glor. Mart. c.* 58. v. Boll. *T. iiI. Jul. p.* 494. *n.* 37.

vimento pedes haesere, vox ore hiante interrupta est. atque hic diu puellae pejerantis habitus statusque fuit: donec populi supplicatione placatus Eugenius somem puellam ea poena liberavit: ut furtum confessa negotiatori satisfaceret.

II. Ad hunc annum pertinere putantur (4) Fulgentii libri duo, alter *de jejunio*, alter *de oratione*, quos ambos Probae illi virgini dicavit, quam *parentem suam* Cassiodorius (5) appellat. eam fortasse Fulgentius quinquennio ante, quum Romae versaretur, de facie norat, rogatusque ab ea fuerat, ut illius caussa aliquid perscriberet, quod ad pietatem colendam incitamento esse posset.

(4) Mabill. *Anal. T. II. p.* 16. 1. *edit.* (5) *de divin. lect. c.* 29.

ANNUS CHRISTIANUS DVI.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consules processerunt Fl. Areobinda, Fl. Messala. sub his Trasamundus annum regni sui undecimum exorsus est. Episcopis, qui de Catholicorum bono maxime laborabant, grave jam nimium Ecclesiae ac perniciosum illud Regis praeceptum videbatur, quo septem ante annis jusserat, Episcopum in demortui locum non creari. ergo convenire clam, et alii alios consulere coeperunt, qua demum ratione viduatis Ecclesiis prospiciendum existimarent. visum autem omnibus est, magnam omnino esse caussam, cur vel invito Rege Episcopos, ubi occubuissent antiqui, novos constituerent. et addebant quidam (1), si forte Rex eam ob rem iracundia elatus succensuisset, brevem iram ejus futuram, et facile passurum, ut Episcopi jam renunciati in Ecclesiis manerent, quas accepissent. quod si Rex apertas simultates suscepisset, et atrocius aliquid in Catholicos molitus esset, se non poenitendo consilio auctores fuisse futuros, ut quos Pontificali honore ornassent, Martyrum quoque lauream ferrent: utique Ecclesiae in eo periculo hortatore ac duce non carerent, quarum caussa in eam deliberationem se venisse fatebantur. quamobrem decretum statim factum, et clam ad omnes Ecclesias missum est, Episcopi ut essent rursus, ubi ante fuissent. in provincia Byzacena synodum hanc a Victore Primate cum finitimis Episcopis celebratam, prope compertum habeo. nam et Victor ipse apud Regem primus est accusatus, et in ea provincia Episcopis plus aliquid fuisse libertatis videtur, ut munere suo defungerentur.

(1) *in vit. Fulgent. c.* 16.

ANNUS CHRISTIANUS DVII.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consulatum gessere Imp. Fl. Anastasius III. Venantius Decius: quibus Consulibus Trasamundus annum regni sui duodecimum incohavit. nihil quidem Carthagine in oculis Regis, et ubi Arianorum summa erat auctoritas, tentare Catholici ausi sunt: quamquam undecimum jam annum Episcopo carebant. nam qui hoc tempore Fulgentium Planciadem Carthaginiensibus Episcopum datum ferunt, nullo auctore dicunt: quemadmodum volumine primo ostendimus (1). at vero in reliquis urbibus, audito lectoque Episcoporum Decreto, Catholici, qui Episcopum non habebant, certatim Presbyteros Diaconosve, quorum spectata virtus esset, ad honorem Pontificalem invitos etiam pertrahere atque evehere coeperunt. nec deerant Episcopi, qui consecrationem rite peragerent, eosque vacuis in sedibus collocarent. *Fit repente*, inquit egregius ille vitae Fulgentianae scriptor (2), *communis assumptio, Presbyteros, Diaconos et si quos inveniret electio, rapere, benedicere, consecrare certatim locis singulis properantibus.* itaque non multis diebus Ecclesiae passim Episcopos receperunt, fuitque, brevis quidem, sed magna ubique laetitia, gestientibus gaudio Catholicis, quod moderatorem denique ac magistrum nacti Ecclesiam quisque suam constitutam arbitrarentur.

II. Interea Ariani facile senserunt, quaenam caussa Catholicos exhilarasset. nec dubitandum est, in ipsa eos Catholicorum templa ausus irrumpere, ut novos Episcopos in thronis sedentes deprehenderent. res statim ad Regem delata, accusati multi, conflata omnibus invidia est. sed ex provincia Byzacena potissimum nunciatum fuit, Victoris auctoritate, qui Primas illic Episcoporum haberetur, animos ceteris additos, ut Edictum Regis contemnerent, et Episcopos, qui nusquam esse deberent, novos passim inducerent. itaque Rex in Victorem maxime exarsit, et satellitum suorum manum in eam provinciam proficisci jussit, qui eum vinctum Carthaginem pertraherent, primumque in carcerem contruderent. quae res Catholicos etiamtum recenti jucunditate exultantes summa repente tristitia affecit.

(1) v. *Episcopos Carthagin.* (2) c. 16.

ANNUS CHRISTIANUS DVIII.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consules in Fastis cientur Basilicus Venantius Decius, Fl. Celer. at in Africa Trasamundus tertium decimum regni sui annum attigit, quem Ecclesiae Catholicae insectatione acerbius turpiusque foedavit, quo tempore Arianus item Rex Theodoricus in Italia lege cavebat providen-

tissime (1), uti ne ipsi quidem Antistites cujuscumque Ecclesiae de ejus substantia donare quid aut vendere jure possent: profanum ratus, quod largientis violaretur arbitrium, et quae quis ad Ecclesiam pertinere voluisset, ea sibi privati vindicarent. enimvero satellites, quos a Rege in provinciam Byzacenam missos, diximus, Victorem Primatem adorti jam ceperant, et Carthaginem invicto animo procedentem deducebant. forte autem Ruspenses, amisso nuper Episcopo, quem ei sufficerent, egregium sanctumque virum invenerant, nec jam aliud restabat, nisi ut eum a Primate, ut moris erat, postularent. mittunt igitur, qui Victorem satellitibus stipatum et onustum vinculis clam de ea re edoceant exorentque, ut Fulgentium monachum Ruspensi Ecclesiae praeesse velit. ille vero qui sciret, quantus hic vir et quam eo honore dignus esset, nihil periculo suo commotus plane annuit, atque exinde Carthaginem pari constantia perrexit.

II. Iamvero Ruspenses voti compotes illico ad Fulgentium, Felice quodam Diacono competitore spreto, qui cum honorem sibi vindicare conabatur, legatos mittunt oratum, ut ad se venire ne gravetur, utique Ecclesiae suae pontificatum, quem communi consensu deferebant, libens suscipiat. erat tum Fulgentius apud Faustum Episcopum Praesidiensem, qui eum a secessu Uticensi ad monasterium suum revocaverat, et in Presbyterorum collegium adlegerat. nihil modestissimo viro eo honore acerbius ac tristius videbatur: nec Legati quidquam orando instandoque proficiebant: vis demum adhibita, et ea est conditione expugnatus, ut monasterium sibi apud Ruspas conderetur, ubi monachus idem atque Episcopus esse posset. ignotum Ruspensibus esse non poterat, quid Rex in novos Episcopos, vel potius in omnes ejus ordinis viros meditaretur. nuper enim Victorem Primatem captum audierant, Carthaginemque perductum. quid tamen? nulla discriminis tanti ratione habita, Fulgentium advenientem ea amoris et laetitiae significatione acceperunt, ut ille non privati viri accessus, sed parentis publici adventus ac triumphus videretur. et solvere promissa Ruspenses, quae fecerant, monasterioque ei adtributo, in quo cum monachis degéret, fidem suam liberarunt. nec mirandum est, Fulgentium unius Victoris assensu, qui Primatum in provincia Byzacena gerebat, Episcopum esse factum. haec enim tum jura Primatum erant, ut Episcopi fierent, quos a Clero populoque optatos ipsi probassent. quae recognoscas, licet, in epistola XIIII. Leonis magni ad Anastasium Episcopum Tessalonicensem: cui Siricius praeiverat in epistola ad Episcopos Africae. neque id *extra conscientiam Sedis Apostolicae* esse putabatur.

III. At Carthagine, quo jam Victor pervenerat, edicta interea contra Episcopos scribebantur, et insula designabatur Sardinia, quo omnes deportarentur: Ecclesiae item Catholicis adimebantur, et nullum iis templum relinquebatur, quo in posterum convenire fas esset. his vero a Rege

(1) Marten. *Thes. nov. Anecd. T. I. p.* 1.

promulgatis, undique novi exsules in urbem regiam adduci visi, quos jam naves in portu manebant. quum terror omnia complevisset, ac magnus Catholicorum luctus esset, non decrant tamen qui Episcopos suos prosequerentur (2), e Clero in primis multi, qui eos in exsilium quoque comitati sunt. de Episcoporum numero non eadem omnes tradiderunt: in Victoris Tonnonensis Chronico haec reperio: *Trasamundus Ariana insania plenus Catholicos insectatur, Catholicorum Ecclesias claudit, et in Sardiniam exsilio ex omni Africana Ecclesia centum viginti Episcopos mittit.* at alio in Chronico scriptum est (3), ducentos et viginti tum esse relegatos. in Fulgentii demum vita *Sexaginta et eo amplius Episcopos catena ligatos exsilii* tum fuisse legimus (4). ceterum hic Byzacenorum tantum, non etiam ceterorum Episcoporum numerus recensetur. reliquorum autem census alius atque alius occurrit, vel quod non omnes simul aut eandem in insulam deportati sunt, vel etiam quod multi in Africa ipsa exsulaverunt, nec iis noti fuere, qui hujus temporis calamitates litteris consignarunt. sed illud extra controversiam est, gravissimum Ecclesiae Africanae vulnus tot Episcoporum exsiliis inflictum esse: ut singulare plane Dei beneficium fuerit, quod illic Catholica religio his praesidiis spoliata, steterit tamen, et Ariani furoris concussa vi, diutius, quam ipsa haeresis, perennaverit.

IIII. Quod reliquum est, magnos hoc anno thesauros Episcopi illi ex Africa extorres in Italiam et finitimas insulas intulisse putantur, sacras nempe magnorum Martyrum atque insignium Confessorum Reliquias, quae adhuc plerisque in Ecclesiis adservantur (5). nec alio tempore ipsum sancti Augustini corpus in Sardiniam delatum creditur: quod inde a Rege Liutprando Ticinum anno DCCXXII. translatum accepimus. ac veteres sane, qui de ea Translatione scripserunt, Oldradus Episcopus Mediolanensis (6) Paullus Diaconus (7) Beda ipse (8), in Sardiniam ex Africa id temporis asportata Augustini ossa adseruerunt: ut ea res apud Sardos explorata ac manifesta fuisse videatur (9).

(2) *in vit. Fulgent. c.* 20.
(3) apud Ruinart. *Pers. Vand. p.* 61.
(4) *in vit. Fulgent. ibid.*
(5) apud Ruin. *ibid. p.* 282.
(6) *in epist. ad Kar. magn.* apud Baron. *an.* 725. v. Fontanin. *Disquis. de Corp. s. August. c.* 5. *et. seqq.*
(7) *de gest. Longob. lib. VI. c.* 48.
(8) *in Martyr. ad diem* 28. *Aug.*
(9) v. Boll. *T.* VI. *Aug. p.* 363.

ANNUS CHRISTIANUS DVIIII.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consul processit sine collega Importunus Decius junior. regni autem Trasamundi annus coepit decimus quartus. provincia Byzacena, unde Rex Victorem Primatem ante omnes exturbaverat, sub anni initium reliquos Episcopos nondum penitus amiserat. Fulgentius in primis apud Ruspenses suos erat, ibique, ut Episcopi partes expleverat, in monaste-

rio, quod jam constituerat, monachum agebat: de cujus vita discipulus ejus praeclaram nobis reliquit historiam (1). *Accepta*, inquit, *Pontificis dignitate, professionis praeteritae servavit integritatem: servata vero professionis integritas plus ornavit Pontificis dignitatem. numquam denique pretiosa vestimenta quaesivit, aut quotidiana jejunia praetermisit, aut conditos suaviter cibos vel inter hospites manducavit; aut discumbendo saltem requiescere et resolvere rigidum propositum voluit.* eundem una tunica, eaque vilissima, per hyemem non minus, quam per aestatem usum tradit, cingulo pelliceo, sine caligis, nec soleas nisi raro induisse: et in qua dormiebat tunica, in ea solitum sacrificare, quod sacrificii tempore mutanda esse corda potius, quam vestimenta diceret. tum olera illi cibum fuisse sola et ptisanas et ova, quamdiu juvenis fuit, sine oleo; quum senuisset, superfuso oleo, ne caligantibus oculis lectionis solatio privaretur. sanum vino semper abstinuisse; somni parcum et maturius quam reliquos contubernales vigilantem, de nocte precibus, lectioni, commentationi vacasse. jamvero, vita apud Ruspenses quoque sic instituta, ut nullum ex pontificatu commodum Fulgentio accessisse constaret, quum illic virtutis et sapientiae veluti ludum aperuisset, et discipulorum corona cinctus Ruspensem Ecclesiam egregiis alumnis firmaturus videretur; ecce tibi ab Carthagine turbo, qui omnia subita tempestate perverteret. *Repente*, inquit Fulgentii discipulus (2), *diriguntur ministri regalis furoris, ut detentus etiam ipse cum ceteris, in exsilium Sardiniae Confessor Christi nobilis truderetur.* eripitur Ruspensibus Ecclesiae columen, solator miserorum, defensor omnium, magister et custos religionis atque pietatis: quumque ingens totius civitatis luctus esset ac moeror, unus in tam acerbo dissidio laetitiam Fulgentius praeseferre visus est. nam raptim abductus, *tristitiam gaudio majore*, inquit idem, *vincebat, quod tam gloriosae Confessionis esse particeps incohabat.* porro Carthaginem Monachis aliquot et Clericis comitantibus, atque eo maxime e discipulis ejus, qui vitam ejusdem litteris mandavit, perductus, quum illic a Catholicis munuscula oblata essent, ea Ruspas ad monachos, qui remanserant, perferri voluit; navem ipse ab omnibus rebus vacuus atque nudus conscendit.

II. Romae interea Symmachus Pontifex maximus haud diu ignoraverat, quae nuper in Africa contigerant. litteras enim e Sardinia ab ipsis Episcopis ea in insula exsulantibus acceperat, qui eum de rebus suis edocebant, et in solatium miseriarum sacras ab eo Nazarii et Romani Martyrum Reliquias postulabant. at vero Symmachus non modo studiis eorum obsequutus est, sed etiam decessorum suorum curam et liberalitatem imitatus, pecuniam et vestes tam in Sardiniam, quam in Africam ipsam ad omnes exsules misit (3): et ut deinde quotannis perferrentur, curavit. atque idem epistolam (4) adjecit praeclaram, omnes hortatus, ut

(1) in vit. Fulg. c. 18.
(2) ibid. c. 20.
(3) in Aviti vit. apud Labb. *B. N. T. I. p.* 693.
(4) apud Ennod. *lib. II. epist.* 14.

fidem Deo sancte servarent, et quae eos praemia manebant, memoria repeterent. ceterum ingruente ea clade non paucos fuisse, qui misere ad Arianos deficerent, haud obscure idem significat. nam gratulatus, quod ipsi, grege disperso, a Deo non secessissent, *Regnat*, inquit, *adhuc ille in numero vestro, qui sibi non tam in multitudine, quam in devotione complacuit. scriptum est enim datam Satanae potestatem, ut servos Dei cribraret: ut quod de tritico inveniri posset, horreis jungeretur: quod de paleis, ad ignium alimenta transiret. ad vos specialiter dictum* est (5), *Nolite timere pusillus grex: complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Venit inter vos gladius perfidorum, qui marcida Ecclesiae membra resecaret, et ad caelestem gloriam sana perduceret.*

III. Quod mirere, in tanta rerum perturbatione fuit, qui studiis vacaret, et libris veterum relegendis emendandisque curam aliquam posset impendere. in antiquo enim codice Hilarii Pictaviensis ad calcem libri in Constantium (6) monachus, credo, aliquis aut Presbyter, Carthagine procul in oppidulo abditus provinciae Byzacenae, quum opus illud perlegisset, adscripsit: *Contuli in nomine Domini Iesu Christi aput Kasulis constitutus anno quartodecimo Trasamundi Regis.* quod ad hunc annum, aut certe ad initium sequentis pertinet. hoc nempe miseris solatii Deus in calamitate dedit, qui vitam solitarii ignotique ultro degant, ut a precibus et cibo atque somno quod superest temporis, id commode ac suaviter, aerumnarum obliti, legendo scribendoque traducant.

(5) v. *Praef. edit. ult. gener. p. 3. n. 15.* (6) Luc. *c. xiI. n.* 32.

ANNUS CHRISTIANUS DX.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consulatum gesserunt Fl. Eutharicus, Anicius Manlius Severinus Boëtius: in Africa Trasamundus annum regni sui decimum quintum incohavit. dum Catholici dura domi perpessi, ancipiti cura vexabantur, ac pejora in dies metuebant, exsules contra in insula Sardinia vitam securi agitabant, Symmachi subsidiis et omnium piorum opibus sustentati. Fulgentius vero duobus cum Episcopis Illustri et Ianuario monasterium etiam Carali parare potuit, ubi veteri more cum Feliciano Presbytero, qui post eum Episcopus Ruspensis fuit, ac reliquis Clericis Monachisque, quos secum adduxerat, Deo uni addictus Caelestium quietem imitaretur. quamquam idem, ut Episcopum decebat, opem nemini, quem juvare posset, denegabat, et magno multis usui erat, qui monasterium illud vel virtutis studio, vel consilii caussa celebrabant. *Quis*, inquit discipulus ejus (1), *illius habitationis digne explicet laudes? domus illa Caralitanae civitati oraculum fuit. illuc enim veniebat afflictus percipere*

(1) *in vit. Fulg. c.* 20. v. Mattesi *Sardin. sacr. p.* 79.

remedium consolationis: ibi gerebantur inter discordantes pacis et concordiae pacta fidelia: divinum volentibus audire diligentius lectionem, ministrabat ibi Dominus plenissimae expositionis aedificationem. delectabat nobiles viros, si fieri posset, quotidie beatum Fulgentium cernere disputantem.

II. Incidisse tamen hoc tempore videtur Victoris provinciae Byzacenae Primatis mors, quae pacatae illi exsulum jucunditati tristitiae aliquid adspergeret. primus ille exsilium quodammodo dedicarat, et exemplo ceteris fuerat, quo animo Episcopus contemnere omnia debeat, ne religionem suam fidemque prodat. eum igitur Deus ante alios exsilio liberatum caelestem in patriam mercede festinata evocavit. certe provinciae illius exinde Primas agnoscendus est Bonifacius, de cujus epistola infra dicemus: ac post hunc Dacianus, quem sub exsilii finem Scytae monachi in epistola sua ad omnes Episcopos Afros in Sardinia exsulantes primum appellaverunt. erat Bonifacius Episcopus Ecclesiae Bulelianensis aut Bavagalianensis; incerta enim lectio est. Daciani vero Ecclesia penitus ignoratur, quemadmodum et Victoris ipsius, nisi hic Vitensis ille fuerit, qui nobis eximiam horum temporum historiam reliqnit. nam e provincia Byzacena hic quoque erat, et jamtum prope inter seniores numerabatur, quum in exsilium Episcopi omnes ab Rege Hunerico acti sunt (2).

III. Vidit hoc anno Trasamundus, et e regno pulsum hospitio accepit Gesalecum, multum indignante Rege Theodorico, qui eum e Narbonensi provincia ac deinde ex Hispania ejecerat (3). exstant hujus litterae ad Trasamundum (4), quibus beneficia commemorans, quae in illum contulerat, officia exprobrat, quae hosti ejus tribuerat. *Quamvis*, inquit, *a diversis Regibus expetiti pro solidanda concordia aut neptes dedimus, aut filias Deo nobis inspirante conjunximus; nulli tamen aestimamus nos aliquid simile contulisse, quam quod germanam nostram generis Amali singulare praeconium, vestrum fecimus esse conjugium, feminam prudentiae vestrae parem, quae non tantum reverenda regno, quantum mirabilis possit esse consilio. sed stupeo, vos his beneficiis obligatos Gesalecum, qui nostris inimicis, dum a nobis fovetur, adjunctus est, in vestram defensionem sic fuisse susceptum, ut qui ad vos viribus destitutus privatusque fortunis venerat, subita pecuniae ubertate completus, ad gentes exteras probetur transmissus.* ejusdem porro litterae Trasamundum nobis haud paucis philosophantem repraesentant. nam haec quoque Theodoricus ab eo requirit: *Vbi est quod tanta lectione saginatus alios solebas docere de moribus? hoc si voluisses cum sorore nostra tractare, utique vobis non potuisset accidere.* postrema sunt, ut quae contra foedus admisisset, agnosceret, neve sibi belli caussam offerret: Legatos quaedam alia coram expondituros, unde intelligeret, non leve esse, prudentes viros in pacis constituta peccare.

(2) v. Boll. *T. III. Aug. p.* 632.
(3) Isidor. *in Chron.*
(4) Cassiod. *Var. lib. I. epist.* 43.

ANNUS CHRISTIANUS DXI.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Hujus anni Consules fuere Secundinus et Felix Gallus, sub quibus Trasamundus decimum sextum regni sui annum attigit. legatio Theodorici haud laeta Regi fuit. nam Regem Italiae Vandalis amicum esse, plurimum intererat, Theodoricum in primis, Regem potentissimum et maximum, cujus auctoritatem ceteri Reges tum omnes reverebantur. quamobrem edoctus quae Theodorici querelae essent, non modo purgare se, sed eum etiam placare conatus est. id vero Amalafridae uxoris gratia, opinor, atque officiis perfecit; totaque illius dissidii acerbitas ita mitigata est, ut litterae etiam a Theodorico mitterentur, quibus sibi satisfactum esse profitebatur. *Ostendisti*, ajebat (1), *prudentissime Regum, post erroris eventum sapientibus subvenire posse consilium; nec pertinaciae vitium vos amare, quod brutis hominibus videtur accidere. obligastis animum meum, tanta vos in melius celeritate mutando.* et adjecerat Trasamundus munera, quae animum Regis illaquearent; quamquam hic, obsequio contentus, ea remisit, haec illi inculcans: *Sed auri transmissi munera non tenemus: ut et ipsi intelligatis, caussam per justitiam fuisse motam, quam nulla potuit finire venalitas: fecimus utrique regalia: sic nos superavimus tyrannicam cupiditatem, sicut et vos vicisse constat errorem.* accessit intra annum et Gesaleci mors, quae pacem firmiorem redderet: nam Visigothi Regem accepere Amalaricum Theodorici nepotem (2), puerum etiamtum, atque adeo ipsum Theodoricum, qui pueri Regis tutelam suscepit, et Arelatense regnum ad arbitrium suum administravit.

II. At vero Trasamundus ea cura liberatus Catholicos instituit coërcere: quorum alios minis, alios omni poenarum genere a proposito revocare conabatur: quosdam disputando pervertere, argumentisque et rationibus refellere ipse aggressus, omni artificio fallacissime circumveniebat. erat *Trasamundi Regis*, inquit Fulgentii discipulus (3), *adversus religionem Catholicam mens implacabilis et ira terribilis inter asperas persequutiones subdolasque factiones, quibus aequalem Deo Patri negare Christum, Catholicos nunc terroribus cogebat, nunc promissionibus invitabat. simulare coepit rationem se simpliciter inquirere Catholicae religionis; reperiri neminem putans, cujus posset in suis erroribus adsertione convinci. proponebat denique multas ineptarum tendiculas quaestionum, nec si quis ei respondere voluisset, aut despiciebat, aut repellebat; imo quasi patienter audiens, satisfieri sibi non posse jactabat.* quae res civium Carthaginensium acuit ingenium, effecitque, ut ad eas disputationes paratior quisque atque instructior accederet: vano tamen studio

(1) Cassiod. *Var. lib. v. epist.* 44.
(2) Isidor. *in Chron.*
(3) *in vit. Fulg. c.* 21.

conatuque, propter pertinaciam Regis, qui et Catholicos oderat, et nullo veri cognoscendi desiderio tenebatur.

ANNUS CHRISTIANUS DXII.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. CONSULATUM susceperunt Fl. Muschianus, Fl. Paullus: hisque Consulibus Trasamundus regni sui annum decimum septimum exorsus est. crevisse hoc anno exsulum Catholicorum numerum, credibile videtur: neque enim Rex in gratiam unquam cum Catholicis rediisse dicitur, et Arianorum insectatione invidia iis quotidie conflabatur. celebris in primis est in Campania Castrensis Confessor cum sociis undecim ex Africa ejectus, et ad Vulturnum appulsus: hujus et sociorum sepulcra ibidem demonstrantur (1), dies festi aguntur, Acta etiam exstant: ceterum nota temporis incerta, nec quae narrantur satis explicata, aut a probatis scriptoribus deducta sunt (2). itaque semel de his meminisse satis est, ne indicti abirent, quos a Vandalis, quocumque demum anno id contigerit, ob Catholicam professionem ex Africa pulsos egregiis virtutibus et magnis laboribus in Italia claruisse accepimus. nomina eorum in ipsius Castrensis vita (3) haec feruntur, Rosius, cujus corpus Beneventani apud se esse gloriantur; Secundinus, qui Trojae in Apulia conditus perhibetur; Heraclius, cui aedes prope Capuam olim dicata traditur; Benignus, qui et Adjutor, a Beneventanis aliisque finitimis cultus; Priscus Mantuae Episcopus habitus, qui et Capuae colitur; Elpidius, quem quidam Atellanum Episcopum faciunt; Marcus, quem Bibinates in Apulia patronum caelestem sortiti putantur; Augustinus, qui et Augustus, Capuae aedis sacrae honore auctus; Canion, cujus Reliquias Acherontini servant; Vindonius, cui aedes prope Capuam dicata fertur; Tammarus, qui Beneventanorum Episcopis adnumeratur, et Capuae item quotannis colitur: hi omnes cum Castrensi, quem in veteri quoque Kalendario Ecclesiae Neapolitanae consignatum legimus, et Campani omnes honorant, divinitus dati Italiae dicuntur, ut quos Vandalicus furor abjecerat, hic ob exempla eorum et merita perpetuo in honore essent.

II. Iam aliis exsulibus insulas plerasque inferi maris nobilitatas tum esse, ambigendum non est. quin Etruria ipsa nonnullos excepit, quos adhuc memorat ac veneratur, Regulum in primis, quem Lucenses Martyrem praedicant: cui Comites adtribuuntur Cerbonius, Felix, Iustus, Clemens, Octavianus (4). vetus certe auctor, qui Aviti Viennensis vitam scripsit, quingentos quinquaginta fuisse tradit (5), quibus Symmachus Pontifex maximus pecuniam et vestes suppeditavit, eosque omnes Epi-

(1) v. Ruin. *Pers. Vand. P. II. c. 9. et* Boll. *T. I. Sept. p* 209.
(2) v. Mazoch. *Kal. Neap. p.* 38.
(3) apud Boll. *Febr. T. II. die XI.*
(4) v. Boll. *T. I. Sept. p.* 223.
(5) apud Labb. *B. N. T. I. p.* 693.

scopos: nec tamen quisquam tantum Episcoporum numerum relegatum in Sardiniam prodidit. in ea autem Ecclesiarum orbitate minime magistros suos obliti erant Catholici, sed crebras ad eos epistolas missitabant, ut responsa elicerent, quibus adversariorum improbitatem retunderent, et os illud ferreum Arianorum verberarent. atque id Carthaginiensibus maxime opus fuit, quibus aliquando cum Rege disputandum erat, homine acuto et facundo, quique non vi solum ac potestate, sed cavillando etiam altercandoque vincere ac triumphare volebat. itaque facile ab Episcopis impetrarunt, ut in illo exsilii otio se ad scribendum conferrent.

ANNUS CHRISTIANUS DXIII.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consules prodierunt Fl. Clementinus, Anicius Probus: regni autem Trasamundi annus coepit decimus octavus. tristior in dies Ecclesiae Africanae adspectus fiebat, jam et Presbyteris deficientibus, qui sacris operarentur, et Catholicos ad religionis studium et veterem pietatem excitarent. id vero absentes Episcopos vehementius angebat, qui nec quos submitterent, habebant, et si quos forte invenissent, eo legari sine periculo vix posse intelligebant. itaque, quod unum reliquum erat, litteris eos et scriptis commonere, hortari, erudire instituerunt, magno utique omnium bono, quum ea, quae quisque scripsisset, descripta manerent, et ad omnium aures vel etiam manus pervenirent. sed multis in primis Fulgentii labores profuerunt, qui Arianorum commenta subtilius ac pressius explanavit, et qua ratione refelli possent, accuratius ostendit. quo pertinet liber ejus ad Donatum de fide orthodoxa, et liber ad Felicem Notarium de Trinitate: sed maxime decem illa Responsa, quae totidem Arianorum argumentis opposuit. haec autem ipsa viri auctoritate commendabantur, quem omnes, sapientiam ejus et sanctitatem admirati, suspiciebant: quare, si oborta alicubi in Ecclesia populoque dissensio esset, judicium ejus fere requirebatur, et una litterarum Fulgentii significatione tamquam eo praesente (1) controversiae illico dirimebantur.

(1) *in vit. Fulg. c.* 20.

ANNUS CHRISTIANUS DXIIII.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Solus hoc anno Consul processit M. Aurelius Cassiodorius Senator. regni autem Trasamundi annus coepit decimus nonus. magnum id temporis praesidium Episcopi exsules amisere, Symmacho Romae defuncto, cujus liberalitate inopia eorum sustentabatur. sed in Hormisda, qui ei VI. kal. Aug. successit, parem erga se animum reperisse putandi sunt: natus

enim ille in Campania, testis aerumnarum fuerat, quas illic tot ex Africa exsules perpessi erant. at vero Carthagine trepidos Catholicos plane confirmaverant scripta Fulgentii, contra quae Ariani frustra garrire audebant: neque enim argumentorum ejus infirmare vim poterant. quare quum ad disputandum paratiores illi essent, hi contra certamen declinabant, et caussae suae se minimum fidere haud obscure testabantur. sensit porro haec Trasamundus, et Fulgentii fama perculsus, acciri ad se hominem voluit, ut ingenio ipse suo experiretur, quid ille posset. sperabat enim, si de Fulgentio triumphasset, actum jam de Catholicis fore, qui in eo uno maxime nitebantur. quam illi mentem Deus immortalis injecit, ut viro sanctissimo Carthaginem adducto, reditus ejus multis, qui turpiter fidem prodiderant suam, auxilio et saluti esse posset. sed Rex, quae Deus destinaverat, alia voluntate perfecit, et Fulgentium Carthaginem quamprimum e Sardinia revocavit.

ANNUS CHRISTIANUS DXV.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consules fuere Fl. Anthemius, Fl. Florentius: annum Trasamundus regni sui incohavit vicesimum. laetus hic annus Ecclesiae Carthaginiensi fuit Fulgentio recepto, quem tamquam Episcopum suum et parentem venerabatur. vix autem ille in urbem pervenerat, quum ei a Rege, inquit vitae ejus scriptor (1), *Dicta quaedam veneno perfidiae plena legenda* mittuntur, ut ea nempe, tantum si posset, refutaret. atqui nihil magis in promptu Fulgentio erat, quam eorum argumentorum copia, quibus Arianus error everteretur. itaque respondit ad singula accuratissime, idque ea sapientia modestiaque praestitit, ut ejus rei gratia a Rege ipso laudaretur. qui tamen, quamquam judicio omnium Fulgentius palmam tulerat, errorem ex animo haud depulit; sed contentionis, non veritatis cupidus, haeresim amavit impensius.

II. Enimvero Fulgentius, quum se aliqua apud Regem gratia esse cognosceret, nec eo invito cum Catholicis agere posset; mirum, quantum id temporis Carthaginiensi Ecclesiae profuit, sive ille eos excoleret, qui fidem Deo obligatam numquam violarant, sive eos requireret, quos spes metusve de sententia dimotos labefactaverat. *Alios*, inquit vitae ejus scriptor (2), *jam rebaptizatos errorem suum plangere docebat, et reconciliabat; alios ne suas animas pro terrenis commodis perderent, admonebat: et quos jam perditioni proximos sentiebat, ita blandis sermonibus leniebat, ut propter ejus benevolentiam verecundarentur cogitatam implere malitiam, reversique velociter agerent poenitentiam. et confortati alii verbis ejus, et doctrinae sale conditi, redarguebant Arianos cum omni fiducia.* ita Ecclesia Carthaginiensis unius Fulgentii

(1) *in vit. Fulg. c.* 21. (2) *ibid. cap. eod.*

opera, non modo Catholicis confirmatis, sed etiam iis, qui defecerant, receptis, prope revixisse visa est.

ANNUS CHRISTIANUS DXVI.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. **Consulatum** gessit sine collega Fl. Petrus, eoque Consule Trasamundus regni annum vicesimum primum numeravit. Regis facilitatem erga Fulgentium jamdiu primores Arianorum minus probabant. sed postquam compertum habuere, quam multi ex iis, quos ipsi illaqueaverant, ab illo expediti resipuissent, tum vero fremere atque indignari, quod unius praestigiis opera eorum periret, eaque indulgentia Catholicum nomen in dies augeretur. Regem porro jam senescentem eae querelae commoverunt: turbas enim nusquam fieri volebat. sed invitus in Fulgentium incitabatur, quaerebatque caussam, quam praetexeret, ne immerentem in exsilium remisisse videretur. novas igitur quaestiones excogitat, easque ad Fulgentium mittit, ut statim, nulla meditandi describendique copia facta, respondeat. ille quum Regis volumen legere (1) coepisset, nec percurrere totum nisi intra aliquot horarum spatium posset, rogavit, ut nox sibi una concederetur: quae primum negata est; sed postea ita concessa, ut hoc tantum ab eo Rex peteret, responsum ut daret. tum Fulgentius tres, quos adhuc habemus, ad Trasamundum libros conscripsit, quibus quaestiones ejus solvebat omnes, et nullum Arianis perfugium relinquebat: Regi simul ita blanditus, ut quae in eo laude digna viderentur, non praetermitteret. nam de Trasamundi ingenio atque litteris haec attexuit (2): *Barbari Regis animum numerosis regni curis jugiter occupatum, tam fervente cognoscendae sapientiae delectatione flammari, quum hujuscemodi semper infatigabiles nisus, non nisi vel otiosus quis habere soleat, vel Romanus; per te, clementissime Rex, per te, inquam, disciplinae studia moliuntur jura Barbaricae gentis invadere, quae sibi velut vernacula proprietate solet inscitiam vindicare. inventus es, qui te ipso potior exstitisses, dum sic Africano praesides moderando regimini, ut magis desideres animae spatia dilatare, quam regni.*

II. Libris subinde ad Regem perlatis, qui Fulgentium capere voluerat, captus ipse est, ac se victum, si minus verbis, silentio certe confirmavit. ceterum ex Arianis Episcopis Pinta quidam exstitit, qui Regis volumen vindicare conaretur, et Fulgentium rursus ad scribendum provocaret. nec vero hominis impudentiae cessit Fulgentius, sed eum quoque refutare aggressus, tela ejus omnia perfregit, effecitque, ut Catholica veritas invicta staret, ipse Regis favore adversariorum iram cohiberet. quin et per eos dies adfuit pro Catholicis, enituitque divina vis Numinis omnia hominum facta dispicientis, quae Arianos mire percelleret. nam *Apud*

(1) Fulg. *lib. I. ad Trasam. c. 1.* (2) *ibid. lib. I. c. 2.*

Carthaginem, ut in Isidori Chronico legimus (3), *Olympius quidam Arianus in balneis sanctam Trinitatem blasphemans, tribus igneis jaculis, Angelo emittente, visibiliter consumptus est. Barbas quoque quidam Arianus Episcopus dum contra regulam Fidei quemdam baptizans dixisset*, Baptizo te in nomine Patris et Filii in Spiritu sancto; *statim aqua, quae fuerat ad baptizandum deputata, nusquam comparuit.* id vero prodigii effecit illico, ut qui Baptismum male petierat, ad Ecclesiam Catholicam confugiens, errore abjecto rite ablueretur.

(3) apud Schalestr. *Antiq. Eccl. T. I. p.* 592.

ANNUS CHRISTIANUS DXVII.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consules fuere Fl. Anastasius Augusti nepos et Agapetus. Trasamundi regnantis annus sub his coepit vicesimus secundus. perlatae id temporis Virginum Sanctimonialium querelae fuerant ad Bonifacium Primatem provinciae Byzacenae de Presbyteris, qui jus sibi in monasterium earum esse jactabant. non tulit hoc Bonifacius, et illis rescribens diserte ait (1): *Insinuo, semper servorum Dei vel ancillarum monasteria liberum habere arbitrium a conditione omnium Clericorum.* et rursum, *Hanc vobis adtribuimus licentiam, ut quem velitis, vobis corrogetis Presbyterum, qui vobis in monasterio peragat sacrosancta, et illa quae ad normam pertinent unitatis celebranda usque in perpetuum. et si quis Presbyterorum ibidem in monasterio divina celebraverit mysteria, ipsius Primatis Altario Domini nomen recenseatur, ut jurgiorum semina in omnibus careant.* haec ille kalendis Majis.

II. At Carthagine vetus illud Arianorum in Fulgentium odium, Pinta nuper sectae antesignano represso victoque, vehementius recruduerat, et Catholicis successu gestientibus, ira eorum crescebat. rursum igitur Regem adeunt frequentes, et ab eo contendunt, ut Fulgentium Carthagine ablegет (2): ni faciat, Arianum nomen in Africa brevi deletum iri: passim ad Catholicos quotidie redire, qui sectam amplexi fuerant; nec profuturam Regi saevitiam, si diutius impunitatem dederit: ipsa enim Fulgentii praesentia confirmari omnes, et animos sumere, ne adversariis succumbant. haec et alia hujusmodi multa iterantes Regem denique impulerunt, ut Fulgentium in Sardiniam amandaret.

III. Iamvero mandata quidem Rex dederat, ut clam populo ea res peragеretur; utque is jusserat, nocte intempesta Fulgentius ad portum deductus navem conscenderat (3): sed reflantibus ventis tempestas diu expectanda fuit: itaque exsilio Fulgentii propediem vulgato, omnis paene civitas dies plurimos ad portum convenit, ut salutem sancto viro diceret,

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1088.
(2) *in vit. Fulg. c.* 24.
(3) *in vit. Fulg. c.* 25.

eumque faustis ominibus prosequeretur. quo tempore quam ingens Carthagine esset Catholicorum numerus, apparuit, certantibus cunctis, ut se cum Fulgentio sentire profiterentur. quum autem magnus inde digredientium fletus esset, ac prae ceteris Iuliateus quidam vir religiosus ingemisceret, et aegre a navi discederet, hunc in primis miseratus Fulgentius his verbis erexisse dicitur: *Diutius flere noli, cito revertemur ad vos, Catholicae Ecclesiae libertate reparata: videbitis nos. hoc autem quaeso secretum sit apud te, quod nimia caritas indicare compulit me.* quod quidem ei divinitus monstratum esse, aliquot post annis eventus comprobavit.

ANNUS CHRISTIANUS DXVIII.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consulatum susceperunt Fl. Magnus, Fl. Florentinus, quibus Consulibus Trasamundus annum regni sui vicesimum tertium incohavit. eodem anno Anastasius Imp. interiit, in ejusque locum Iustinus Aug. factus est, unde Africae initium salutis et libertatis, nec opinantibus Vandalis, portendebatur. interea Fulgentius, inquit vitae ejus scriptor, *favente aëris serenitate in Sardiniam reportatus, exsulantium Coëpiscoporum laetos animos reddidit.... concurrentibus undique cum gaudio Christianis hominibus videre athletam Christi fortissimum, qui certamine singulari saevientis impetum Regis fregerat, ad divina castra rediisse insignibus laureis adornatum.* ut vero ille omnium officiis respondit, et veterem consuetudinem institutum suum repetiit, de novo monasterio extra Caralim aedificando cogitare coepit. cujus consilium Brumatius ejus urbis Episcopus non modo non improbavit, sed certam etiam ei addixit sedem prope Basilicam Saturnini Martyris, quo se suosque reciperet. illic, ut ait discipulus ejus, *Congregatis quadraginta et amplius fratribus, disciplinae coenobialis ordinem custodivit illaesum.* nam prae urbis frequentia Fulgentio agri solitudo placebat; nec Monachos habere se posse existimabat, quales optaret, nisi eos procul a civilibus curis urbanoque strepitu abduxisset.

II. At dum ille tamquam in portum ex longa navigatione pervenerat, Catholici Carthaginienses mediis veluti in fluctibus versabantur. nam post discessionem ejus extulerant animos Ariani, incredibili armatos audacia, quod nullus illic par Fulgentio adversarius inveniretur. nec vero Catholici ignorabant, quantum in eo praesidium amisissent: nisi quod libros ejus habebant, quorum lectione erudiri ad pugnam, et firmamenti multum ac virium capere possent. atque his quidem utiliter eos usos esse, vix dubito: ceterum fidele tanti viri consilium desideratum est, visumque omnibus, ut litterae publice mitterentur, quibus eum de Ecclesiae suae periculo ac de adversariorum motibus edocerent.

ANNUS CHRISTIANUS DXVIIII.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consules prodiere Imp. Fl. Anicius Iustinus, Fl. Eutharicus Amalus. sub his Trasamundus regni sui annum attigit vicesimum quartum. litterae Carthaginiensis Ecclesiae in Sardiniam ad Fulgentium perlatae acerbis sane nunciis veterem animi ejus curam moeroremque renovarunt. intelligebat enim, quam multi, quos ipse ab errore revocaverat, in tanto illo rerum discrimine rursum in lubrico versarentur. horum porro caussa, scribit vitae ejus auctor missam ab eo *Carthaginiensibus epistolam sublimi exhortatione perspicuam, in qua paene cunctos dolos et fallacia blandimenta, quibus infelices seducebantur animae ad mortem, gravissima conquestione digessisset.* atque haec utique, ut Carthaginem pervenit, mire Catholicos solata esse, merito putetur: nam Fulgentium omnes impense amabant, et doctrinam ejus ac sapientiam admirabantur.

II. Ceterum Arianorum domi molestia crescebat; nec dubium est, Rege ipso auctore, quem jam Fulgentii auctoritas absentis minime coërcebat, aut revocabat, multo majora eos ausos, quam ante patrassent. certe Patres Africani aliquot post annis in Concilio Carthaginiensi, haec tempora designantes, *gravissimae tribulationis jugem paene molestiam* (1) et *discrimina exitialia* (2) commemorant, quae jam subierant non Carthaginienses solum, sed *universa provinciae Africanae Ecclesia*, ubicumque Vandali dominabantur. verum monumentis eorum temporum amissis, nihil in promptu est, quo nobilitari historia possit.

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1072. (2) *ibidem p.* 1075.

ANNUS CHRISTIANUS DXX.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consulatum gesserunt Fl. Vitalianus, Fl. Rusticus: regni Trasamundi annus coepit vicesimus quintus. dum Ecclesiae Africanae tot jam annos rectoribus suis carentes squalebant, ipsorum Episcoporum, qui in Sardinia exsulabant, ea per orbem fama erat, ut apud omnes virtutis et doctrinae laude florerent. itaque hoc anno Legati Monachorum Scytharum, qui Romam magnas ob controversias missi, illic Hormisdae responsa opperiebantur, quo viros tantae auctoritatis fautores nanciscerentur, litteras ad eos per Ioannem Diaconum miserunt, doctrinam exponentes suam de Persona Christi, quem *Vnum de Trinitate passum* dicebant, *itemque de Gratia et Libero Arbitrio*, quod eo etiam nomine tamquam haeretici traducebantur. scribebant autem *Dominis sanctissimis Daciano, Fortunato, Albano, Orontio, Boëtho, Fulgentio, Ianuario et ceteris Episcopis et in Christi confessione decoratis, exigui Petrus Diaconus,*

Joannes, Leontius, alius Joannes et ceteri fratres in caussa fidei Romam directi (1). enimvero Patres Africani eam Monachorum epistolam minime aspernati, libellum ipsi etiam pari titulo *de Incarnatione et Gratia* reposuerunt, in quo sententias eorum non modo non rejiciebant, sed etiam potioribus argumentis confirmabant. Fulgentii autem opera in rescribendo eos usos esse apparet: eidem enim libellus ille adhuc tribuitur. ceterum Episcopi quindecim initio cientur, Dacianus, Fortunatus, Boëthus, Victor, Scholasticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Ianuarius, Victorianus, Photinus, Quodvultdeus, Fulgentius, Felix, Ianuarius: nec Albanus occurrit, quem Monachi memoraverant, vel quod jam e vivis excessisset, vel etiam quod in nomine errassent.

II. Eodem anno Possessor Episcopus Africanus Constantinopoli erat, et illic praeclare Catholicorum partes tuebatur (2). eo forte id temporis scripta Fausti Episcopi Rejensis perlata fuerant, qui olim dum Pelagianos insectaretur, ad Semipelagianorum scopulos adhaesisse videbatur. et erant in regia urbe, qui Galli Episcopi opiniones probarent, et qui aperte repudiarent, vel saltem suspectas haberent. unde factum, ut quidam Possessoris judicium exquirerent: nam, quia Africani Patres Caelestium primi Pelagiumque maxima eorum laude confixerant, in eo controversiarum genere summa etiamtum Africanorum Episcoporum scientia putabatur. at Possessor tamen de Fausti doctrina, quam nondum damnatam sciret, pronunciare noluit; et Hormisdam potius consulendum duxit, quocum errare se non posse profitebatur. sic enim epistolam suam exorsus est: *Decet et expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. quis enim majorem circa subjectos solicitudinem gerit, aut a quo magis est nutantis fidei stabiliter exspectanda, quam ab ejus sedis praeside, cujus primus a Christo rector audivit, Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam?* epistolam pertulit Romam Diaconus ejus Iustinus, et Hormisda amplissimis eum litteris et singulari praeconio honestavit. multa simul questus de Legatis Monachorum Scytharum, qui turbas Romae fecerant, de Fausto respondit (3), librum ejus a Romana Ecclesia non probari. misisse etiam tum creditur ad Possessorem Gelasii decessoris sui Decretum, in quo ejusdem Fausti scripta notata fuerant his verbis, *Opuscula Fausti Regiensis Galliarum apocrypha:* atque inde factum esse, ut Decretum illud, quia ab Hormisda missum fuerat, postquam Constantinopoli a multis descriptum esset, ipsi Hormisdae, non Gelasio adtribueretur (4). nec vero illud de Possessore omittendum est, commentarios ab eo suos in Epistolas Paulli ad Hormisdam missos, ut judicium illius et sententiam eliceret. quia porro nullum inde responsum acceperat, haec etiam epistolae subjecit suae (5): *Codicem quoque tractatuum antehac*

(1) apud Baron. *an.* 519. *etc.*
(2) apud Hard *Conc. T. II. p.* 1037.
(3) *ibid. p.* 1033.
(4) v. Pag. *Crit. ad an.* 494. *n.* 5. *et* Zaccar. *Proib. de' libri p.* 47. *n.* 9.
(5) v. Baron. *ad an.* 520.

direxisse memini continentem beati Paulli Apostoli epistolarum explanationes: pro qua rescripto gratulari non merui. unde simili prece deposco, ut praerogativam benedictionis vestrae competenti responsione merear adipisci.

ANNUS CHRISTIANUS DXXI.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Signant hunc annum Consules Fl. Anicius Iustinianus, Fl. Valerius: at Trasamundus annum regni sui vicesimum sextum incohavit. quae in plerisque provinciis Catholici id temporis a Vandalis toleraverint, obscuris, ut diximus, significatum indiciis postea est. sed eos in provincia Tripolitana circa hunc annum crudeliter vexatos esse, diserte traditum accepimus (1). quum nempe Mauris, qui magnam regionis illius partem occupaverant, bellum Rex inferri jussisset, eo profecti Vandali, abicumque templa Catholicorum invenerunt, ea jumentorum stabula fecere: aut illic tamquam in ganeis et popinis nullum intemperantiae modum libidinisve servarunt: indigenas Clericos Sacerdotesque alapis ceciderunt, et multis verberibus proscissos sibi tamquam calones famulari ac ministrare coëgere. neque vero haec semel aut uno in loco ab illis patrata sunt; sed in tota illa expeditione, quacumque iter egere, crudelitatis atque impietatis vestigia maxima reliquerunt. nisi quod ea Deus scelera diu impunita esse non est passus. nam quum denique ad castra Maurorum pervenissent, proeliumque commisissent, ingenti ab illis clade caesi, ac prope internecione deleti sunt.

(1) Procop. *de B. Vand. lib. I. c.* 8.

ANNUS CHRISTIANUS DXXII.

post Eugenium Episc. Carthagin.

I. Consules in Fastis cientur Q. Aurelius Anicius Symmachus, Anicius Manlius Severinus Boëtius. regni autem Trasamundi annus coepit vicesimus septimus, qui et ultimus vitae ejus fuit. nam ad senectutis incommoda aegritudo animi accessit, clade suorum audita, quos Mauri in finibus Tripolitanis debellaverant. ea Regem superbum ac potentiae suae sapientiaeque arrogantia subnixum foede afflixit, debilitavit, abjecit. qui tamen quum meminisse deberet, quam injustus ipse in Catholicos fuisset, quamque multi etiamtum, jussu ejus patria, bonis, Ecclesiis spoliati, exsilium inopes senioque confecti tolerabant; sub ipsam mortem odium in eos suum et crudelitatem exprompsit. quum enim regnaturum post se Hildericum videret, quem et propensum ad lenitatem et Catholicis amicum esse constabat; eum ad se accitum jurare coëgit, ubi rerum

potitus esset, numquam se Catholicis Basilicas aut vetera privilegia redditurum (1).

II. Ceterum Ecclesiae omnes in Africa, quae jam instabant, laetiora tempora praesentiebant: nec minus Episcopi in Sardinia finem exsilii sui adesse norant, quem Fulgentius in primis multo ante adventare cognoverat. sed prius quam vota eorum implerentur, et reditus dies veniret, alia eos caussa in unum omnes convocavit. dudum Monachi Scythae a Legatis suis Roma reversis litteras eorum Constantinopoli acceperant, eaeque ob doctrinae similitudinem omnibus perplacuerant. quia vero animadverterant, ignotos ipsis esse Fausti Rejensis libros, de quibus tum in ea urbe controversia calebat, dolebantque de iis ab Hormisda mitius, quam voluissent, responsum esse datum; exemplum librorum eorum in Sardiniam submiserant (2), ac simul epistolam plura in capita distributam, ut Patrum Africanorum sententiam de singulis elicerent, eamque Fausti defensoribus exhiberent. et erat illius epistolae summa, absurdas a multis de Divina Gratia et Libero Arbitrio propugnari sententias: posse nempe hominem conatu suo vel sine Dei auxilio implere quae hic praeceperit: Dei esse tantum imperare, nostrum vero imperata facere: Gratiam nullo discrimine cuique dari: parvulos ob solum originis peccatum damnari non posse: ex his qui caelo praedestinantur, nihil eos habere supra ceteros Dei gratia collatum: ipsam praedestinationem ex hominum meritis suspendi: qui gradu aliquo in republica aut in Ecclesia essent, hos esse *Vasa misericordiae*, at reliquos Clericos et Monachos et laicos *Vasa contumeliae.* postremo illud quoque petebant, ut de animae origine exponerent, quid sentirent.

III. Enimvero Episcopi Africani, tot de rebus ex communi sententia responsuri, convenere: et quum gravissime de quaestionibus illis disputassent, epistolam illam Synodicam, quae adhuc exstat (3), dictarunt, inscriptam *Dei gratia plurimum amplectendis sanctis fratribus, Ioanni Presbytero et Archimandritae, et Venerio Diacono, et fidelibus viris, quorum in vestra epistola subscriptio continetur.* atque haec quidem Daciani ceterorumque omnium Episcoporum nomine missa est, brevi ac presso sermone scripta. sed privatim Fulgentius duo de eisdem controversiis opera elucubravit, quae, ubi ad eos perlata essent, epistolam ipsam latius explicando explanarent, et totam Fausti doctrinam excuterent. eorum autem operam mentionem sic in communi rescripto Episcopi faciebant (4): *Ceterum unus ex nobis, in quantum Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quae memoratos fratres adversus Gratiam et Praedestinationem intimastis vel sentire vel dicere, tribus libris vestro nomine dedicatis sufficienti disputatione respondit: quique adversus duos libros Fausti Galli septem libros edidit: quos quum recensueritis, agnoscetis protinus, quemadmodum memorati*

(1) Vict. Tonnon. *in Chron.*
(2) *in vit. Fulg. c.* 28.
(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1055.
(4) *ibid. p.* 1060.

Fausti commenta veritati contraria, Catholicae fidei penitus inimica discussio prodidit, ratio manifesta convincit, auctoritas divina compressit, et praecedentium Patrum consona prorsus attestatio confutavit. porro tres illi Fulgentii libri *de veritate Praedestinationis et Gratiae Dei* adhuc manent: opus alterum contra Faustum vetustatem non pertulit.

ANNUS CHRISTIANUS DXXIII.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gessit sine collega Fl. Anicius Maximus. at Trasamundus annum regni vicesimum septimum, quem superioribus Consulibus sub kalendas Octobres incohaverat, non absolvit. decessit enim v. kal. Iunias, qui dies erat Dominicus a Paschate sextus, quem Pentecoste consequitur. eo die Catholici tamquam e carcere exiisse sibi visi sunt, ac tum primum luce hac frui, et coelo liberiore uti. quamobrem maximae ubique Deo gratiae actae, quod Africam propitius respexisset. interea Regis uxor *Amalafrida*, inquit Victor Tonnonensis, *fugiens ad Barbaros, congressione facta, Capsae juxta Eremum capitur, et in custodia privata moritur.*

II. At vero Hildericus, sacramenti memor, quo eum Trasamundus invitum obligarat, ante quam regnum auspicaretur, ea perficere maturavit, quae se Regem non facturum promiserat. *Hic ergo*, scribit idem Victor, *sacramento a decessore suo Trasamundo obstrictus, ne Catholicis in regno suo aut Ecclesias aperiret, aut privilegia restitueret, priusquam regnaret, ne sacramenti terminos praeteriret, praecepit, et Sacerdotes Catholicos ab exsilio redire, et Ecclesias aperire; et Bonifacium cum dogmatibus divinis satis strenuum ad postulationem totius urbis Carthaginiensis Ecclesiae Episcopum consecravit.* dum autem ob tantam regiae benevolentiae significationem Ecclesiae omnes summo gaudio exultabant, citi in Sardiniam nuncii pervenerant, quo tempore illic Fulgentius opus suum adversus Faustum absolvebat. nam, uti vitae ejus auctor tradit (1), *Vt est dictatio ipsa finita, protinus est longissimae captivitatis catena disrupta.* itaque quum jam nihil reditum Episcoporum retardaret, prima tempestate naves conscenderunt, ut Ecclesias suas quinto decimo post anno reviserent.

III. Verum ante horum adventum alii jam Episcopi, quos Trasamundus Ecclesiis ejectos in Africa tamen exsulare passus fuerat, Carthaginem convenerant, ut maximum Africae Antistitem consecrarent. renunciatum Episcopum Bonifacium consecratumque in Basilica Agilei Martyris in veteri Chronico (2) adscriptum est: quanta autem Catholicorum Carthaginiensium laetitia peractum id fuerit, nemo satis dicendo adsequi possit. sed eam laetitiam mox cumulavit reditus Episcoporum, qui recta e na-

(1) *in vit. Fulg.* c. 28.

(2) apud Canis. *Ant. Lect. T. I.*

vibus ad eam ipsam Basilicam processerunt. *Resonabat*, inquit Fulgentii discipulus (3), *divina laus ex omnibus linguis. ad sancti quippe Agilei Basilicam sequens populus et praecedens Confessorum beatorum triumphum nobilem celebrabat.* sed omnium in primis ad se oculos convertebat Fulgentius, quem Carthaginienses aliquamdiu moderatorem habuerant, et tamquam Episcopum suum venerati fuerant. *Vbi facies Fulgentii apparuit*, inquit idem, *immensus nascitur clamor, altercantibus omnibus, quis primo salutaret agnoscendum, quis caput benedicenti supponeret, quis extremis vel saltem digitis mereretur tangere gradientem, quis videre vel oculis procul stantem.* nec populi frequentiam imminuit, quae tum supervenit, pluvia ingens: sed cura omnium aucta, ut Episcopos ab imbre protegerent, Fulgentium ante alios, quem nobiles viri penulis ipsi suis expansis contectum deducebant. eos porro Bonifacius Episcopus ad Basilicam opperiebatur, quo inclinato jam die agmen illud sanctum pervenit. *Vix*, inquit ille idem, *appropinquante vespere, sanctae memoriae Bonifacio Episcopo repraesentati, benedixerunt omnes, et laudaverunt communiter Deum.* atque inde procerum hospitiis accepti, redditam libertatem Carthagine paullisper usurparunt: mox suam quisque Ecclesiam obviis undique salutantium agminibus celeberrimo itinere adierunt: e quibus deducti quidam cum lucernis et lampadibus et arborum frondibus (4), tanta omnium populorum jucunditate, ut minus jam pigeret toleratae servitutis, quam tanta laetitia, libertate restituta, compensaret.

IIII. Manarat vero jam fama tam fausti eventus per orbem Christianum, et Rex Hildericus ubique commendabatur, qui memor Eudociae parentis suae, hanc potius, quam patrem Hunericum imitatus, justum se ac benevolum Catholicis praestitisset. mire ante alios de his laetatus Hormisdas Pontifex maximus, plurimas Deo gratias egit, quod tamdiu vitam sibi prorogasset, dum Ecclesiam Africanam revixisse audiret, et Episcopos ad sedes suas revocatos laetaretur. nam altero ille post mense, praeclaris rebus gestis nobilitatus, diem suum (5) obivit, VIII. idus Augustas: post quem idibus iisdem creatus est Ioannes, cujus brevis quidem, sed aeque insignis pontificatus fuit.

(3) *in vit. c.* 29.
(4) *in vit. Fulgent. ibidem*
(5) Anastas. *in Horm. etc.*

ANNUS CHRISTIANUS DXXIIII.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. Consules prodierunt Imp. Fl. Anicius Iustinus II. Fl. Opilio. at in Africa Hildericus annum regni sui alterum incohavit. hic porro, qui anno superiore ultro Carthaginiensibus indulserat, ut sibi Episcopum designarent; jam in reliquis urbibus, quae rectores suos amisissent, jus

Catholicis reddidit, ut Episcopos veteri more dicerent (1). itaque quum Episcopi reduces in Ecclesia quisque sua ordinanda occupati distinerentur, eam quoque curam libenter susceperunt, ut novos collegas consecrarent. at Fulgentius, Ruspis jam inter Monachos suos degens, alios ad labores vocatus est. nam eum Fabianus sectator Arianorum interpellarat: quem propterea decem illico libris in eum editis refutavit. tum et Monimus amicus, ut de Divina Praedestinatione iterum scriberet, et Augustini de ea sententiam exponeret, vehementer hortatus fuerat: cui tribus mox libris satisfecit, alias etiam quaestiones complexus, quas ille adtulerat. commemorandae item binae ejus epistolae, quarum altera ad Gallam scripta, altera ad Probam: quae Romae quum viverent, Fulgentii tamen litteris ad pietatem institui cupiverunt. est autem prima *de statu viduarum*, altera de *virginitate atque humilitate*. verum nec Galla illa vidua, quae a Fulgentio dicitur Probae soror, pro Galla Placidia, quae bis vidua fuit, accipi potest: nec Proba, quae virgo appellatur avis atavisque Consulibus et deliciis regalibus enutrita, haberi debet pro Proba illa Faltonia ex Aniciorum genere, quam Hieronymus aliique ejus aetatis scriptores multis laudibus extollunt; nec pro Proba Falconia Hortana Matrona, Adelphii Proconsulis uxsore, quae Centones Virgilianos contexuit (2): neutra enim, ut alia omittam, usque ad Fulgentii aevum pervenire potuit.

II. Haec inter Dacianus Primas provinciae Byzacenae decesserat, eumque honorem nactus erat Liberatus Episcopus Juncensis. is, ut lapsis Ecclesiae rebus pro virili parte medicinam afferret, Concilium provinciae suae indixit. quae in hoc a Patribus decreta fuerint, aut quot numero convenerint, minus constat: sed illud novimus, graves in eo controversias exstitisse tam de subsellii honore, quam de finibus dioeceseon. aderat et Fulgentius Ruspensis, quem Patres ante Quodvultdeum sedere voluerunt, quamquam hic priorem se tempore esse contendebat (3). duo antem Episcopi designati sunt, Pontianus et Restitutus, qui Carthaginem peterent, et apud Bonifacium de Petro Abbate et Monachis ejus quererentur, qui Primatis Liberati anctoritatem detrectarent, tum et de quibusdam Episcopis, qui dioecesis suae fines non servarent. ceterum ea legatio minus laetum habuit exitum: neque enim Bonifacius Monachos illos in Liberati potestate esse censuit; et quae contra Episcopos dicebantur, accurate investiganda esse duxit, ne jus cujusquam, caussa non discussa, temere laederetur. quae omnia in synodo Carthaginiensi anni insequentis, Liberati et Bonifacii litteris in medium prolatis, perpensa probataque sunt.

III. Aliud subinde Concilium Sufibus in eadem provincia celebratum est (4), cui Fulgentius non modo interfuit, sed etiam eximium modestiae specimen praebuit. nam enixe a Patribus petiit, ut Quodvultdeum, cui in Concilio Juncensi praepositus fuerat, ante se sedere juberent, nec

(1) *in vit. Fulg. c.* 28.
(2) v. Fontan. *de Antiq. Hort. lib* II. *c.* I. *et* 2.
(3) *ibid. c.* 29.
(4) *in vit. Fulg. ibid.*

ante rogare destitit, quam eos denique exorasset. nec dubium, in aliis item provinciis Concilia hoc anno acta esse, quum inde Legatos ad synodum Carthaginiensem anni insequentis missos videamus, quae nonis Februariis incohata est (5). unde etiam liquet, epistolam a Bonifacio, qua Concilium magnum indicebat, ante anni hujus exitum esse scriptam. ceterum Acta eorum periere, maximo sacrae historiae damno, quod prima illa probatorum Episcoporum Ecclesias suas ordinantium documenta et exempla posteritati subducta sunt.

(5) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1071.

ANNUS CHRISTIANUS DXXV.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi sunt Fl. Philoxenus, Anicius Probus junior. Hildericus regni sui annum tertium Iunio mense ineunte orsus est. Legati jam ab ultimis provinciis Concilii caussa Carthaginem versus discesserant. at in proxima Numidia gravis dissensio erat, quinam ceteris antiquiores essent, atque adeo quibus legationis honor deferendus videretur. qua de re edoctus Bonifacius, VI. idus Ianuarias epistolam ad Missorem Primatem Numidiae dedit, doloris sui testem, quod parta nuper Ecclesiae pax domesticis dissidiis turbaretur: ac praefatus, superbiae hominum occurrendum esse, et omni ope conandum, ut in ordinem redigantur, praescripsit ipse nominatim (1), quos Carthaginem ab eo mitti placeret. simul autem ex veteri consuetudine certiorem eum faciebat, Pascha hoc anno III. kal. Apriles esse celebrandum. rescripsit vero Missor perofficiose atque in eandem sententiam (2): *Age*, ajebat, *nunc, nostri decus honoris, ut Ecclesiastici ordines erigerentur, qui variis oppressionibus longa intercapedine temporum jacuerunt: et illos, quos Beatitudo vestra conspexerit antiquioris regulae lineas velle obliquis mentibus diffugere, monitis salutaribus increpatos in rectam viam studeas retorquere.* latercululum idem Episcoporum Numidiae mittebat, unde scire posset, quo quis anno et die consecratus fuisset, et Legatos affore significabat, quos poposcerat, Firmum Tipasensem, Marianum Tulliensem, Felicem Zactarensem: sed quia Marianus anteverterat, quartum a se additum Florentianum Vicopacatensem, ne electorum numerus minueretur.

II. Iamvero Bonifacius, ut Episcopos non exiguo his temporibus numero convenisse vidit, erant enim sexaginta; ipsis nonis Februariis synodum in secretario Basilicae sancti Martyris Agilei incohavit, Patres in haec verba adloquutus (3): *Dies mihi omni festivitate jucundior plus de Sacerdotum praesentia, quam de sole resplendet. benedico Domino, qui sinceritatem vestram meis litteris fecit tam faciliter obedire, meis quo-*

(1) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1073.
(2) *ibid. p.* 1074.
(3) *ibid. p.* 1071.

quê conspectibus tam decentius apparere; atque ad istius Ecclesiae venerabilem sedem juxta priscam consuetudinem pro fide et utilitate Ecclesiae convenire. nunc profecto reparatae libertatis innovata quodammodo videtur crevisse laetitia, nunc divinae misericordiae manifestata potentia. et quae deinceps. post eum Ianuarius, ut opinor, Vegeselitanus, omnium qui aderant, antiquissimus, nomen enim excidit, Bonifacio de Carthaginiensis Ecclesiae honore deque convocata synodo gratulatus, *Imple, ait, quaesumus, diligenter ministerii tui partes: ut Ecclesiae Africanae generalis utilitas, sanctorumque Canonum viror iterum reflorescat; et quod beatissimae memoriae Aurelius hujus urbis antistes instituit, tua nunc Beatitudo restituat. te enim Dominus ei constituit successorem honoris, libertatis et pacis. jube proinde, quod loquente in corde paternitatis tuae sancto Spiritu peragendum cognoveris, proponatur.*

III. Recitatis exinde litteris, quae a Bonifacio Concilii caussa in provincias missae fuerant, et Legatis recognitis, qui ex unaquaque provincia venerant, ordo provinciarum qualis esset, ex veteri Concilio ostensum est, ut nempe Proconsularis Numidiae, Numidia Byzacenae anteferretur, quam Caesariensis et Sitifensis et Tripolitana sequebantur. tum ex Actis Concilii Nicaeni, quae Atticus Patriarcha olim Constantinopoli miserat, formula fidei prolata, cui omnes subscripserunt, ac veteres mox Canones Ecclesiae Africanae ab Agileio Diacono lecti sunt, quorum postremi erant *de Appellationibus ad transmarina.* placuit praeterea, ut jura Ecclesiae Carthaginiensis recenserentur, decretis Conciliorum enunciatis, quibus summa ejus in Africa auctoritas firmata fuerat. quumque magna jam diei pars exacta esset, rogati Episcopi, ut iis subscriberent, quae eo die tractata fuerant, unanimi paruerunt; nisi quod pro Ianuario Masculitano, cui manus usum senectus eripuerat, Ianuarius Vegeselitanus subscripsit: cetera, de quibus agendum esset, in diem sequentem rejecta sunt.

IIII. Igitur VIII. idus Februarias rursum Patres in eundem locum vocatos sic affatus est Bonifacius: *Post hesterni diei disputationem, quae nos paene usque ad vesperum detinuit occupatos, quia jam nihil arbitror superesse, quod de generali Ecclesiarum utilitate tractemus, si quae sunt specialiter discutienda, singulorum suggestio manifestet, ne vel privata commoditas videatur omissa.* tum vero Gaudiosus Diaconus Patribus renunciavit, esse Petrum Abbatem cum aliquot senioribus monasterii sui ad secretarii fores, qui, si paterentur, libellum sancto Concilio oblaturus videretur. ut Abbas admissus est, libellum ejus a Redemptiolo notario recitari Bonifacius jussit. in eo Monachi ad Bonifacium provocantes, in cujus tutela se esse ac potestate demonstrabant, quantum sibi molestiarum a Primate provinciae Byzacenae illatum esset, gravi querimonia exponebant (4). *Sanctus quippe Liberatus*, ipsa eorum verba sunt, *Episcopus primae sedis provinciae Byzacenae, congregationibus Sacerdotum saepe collectis, in perniciem nostram multa*

(4) *ibid. p.* 1083.

et multipliciter machinatur: dum in nobis quasi quamdam materiam suae assumptionis inveniens, post audientiae praefixum diem, post pacificae disputationis facultatem datam atque concessam, monasterium nostrum gravi excommunicatione percutere voluisset. absit enim, ut percussisse dicamus, scientes, nos sub vestro velamine constitutos nullis posse jaculis quorumlibet consiliorum penetrabiles deseri. supplicabant deinde, ut sibi tranquillis demum ac tutis esse liceret. *Succurrite*, ajebant, *tandem aliquando, et a nostris cervicibus jugum, quod neque nobis neque patribus nostris quisquam superponere aliquando tentavit, excutite. nihil contra fidem, neque contra bonos admisimus mores: quia si discutiatur ratio, licet liberis, quocumque voluerint, pertinere: si consideratur auctoritas, nulla adversum nos antiquorum Patrum definitio profertur: si quaerantur exempla, multos ante fecisse irreprehensibiliter docemus, quidquid modo fecisse culpamur.* quia vero hanc Liberatus juris in eos sui caussam praetexebat, quod monasterium eorum ab Hypodiacono Ecclesiae suae conditum fuisset; ne eam quidem indictam relinquentes, Monachum illum et Abbatem ibidem fuisse ostendebant: ubi nullius rei dominus, nihil proprium habuerat, ut instituti ratio ferebat; nec quia Hypodiaconus fuisset, Monachos honoris illius heredes reliquerat, sed ejus professionis tantum quam illic sequutus erat. postremo ea etiam commemorabant, quae Liberati caussa, a quo sacra eis interdicta fuerant, ab aliis quoque ferre quotidie cogerentur: *Cur per dies singulos inauditis minis ab spiritali intentione deponimur? cur Ecclesiae simplex prohibetur accessus? cur etiam in Ecclesiis positi imprudenter jubemur foras a sacerdotibus pelli? cur etiam hospitalitas, quam semper exhibuimus, denegatur? timent salutare qui diligunt, mutus Dei servus viator occurrit, benedictionem nobis transeuntibus nemo audet accipere.*

V. Porro nemo e Patribus fuit, qui Monachis non faveret, quique Liberatum non argueret, eumque in Ecclesiae Carthaginiensis jura invasisse non putaret. verum Bonifacius, ante quam de ea re transigeretur, alias recitari litteras voluit, quibus Monachi ab eo petierant, ut monasterium suum more majorum in tutelam reciperet, quam post Eugenium temporaria cura gesserat Bonifacius Episcopus Gattianensis, dum Ecclesiae Carthaginiensi Antistes redderetur. legi item jussit epistolam, quam ad eum Liberatus miserat, et quid ipse Liberato rescripsisset: tum alium Monachorum libellum, in quo monasteria in primis ciebantur, quae non ab eo Episcopo, in cujus dioecesi essent, sed ab alio, quem ipsi Monachi praeoptassent, regebantur, Leptiminense, Baccense, Adrumetinum: auctoritates quoque Augustini, Bonifacii Bulelianensis, Episcoporum Galliae in caussa insulae Lerinensis. post haec demum Canon insignis conditus hujusmodi (5): *Erunt igitur omnia omnino Monasteria, sicut semper fuerunt, a conditione Clericorum modis omnibus libera, sibi tantum et*

(5) *ibid. p.* 1090. ergo ineptire jure videatur sac. Petitus in *Poenitenziali* Theodori Vol. I. art. 9. adversus Privilegia Monachorum p. 759.

Deo placentia. ceterum Acta hujus diei integra non habemus, nec quid Concilium in Liberatum statuerit, in iis legimus, nec si quid aliud decretum postea fuerit de controversiis vicorum Sasifensis, Umbrianensis, Villaminorensis aut de iis, quos Episcopus Girbitanus Tamallumensi eripuisse arguebatur: quem quidem Liberatus detulerat, sed Bonifacius nondum idoneis testimoniis edoctus inquietandum non putarat. petierat etiam Liberatus, *Vt prooemio epistolarum aliquid honorificentiae adderetur:* qua de re Bonifacius dixit: *De prooemio autem mutando illa nos facere profitemur, quae a nobis directis litteris intimata sunt.* verum ne hae quidem litterae ad nos pervenerunt.

ANNUS CHRISTIANUS DXXVI.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. Consul processit sine collega Anicius Olybrius junior. at Hildericus regni sui annum attigit quartum. mortuus hoc anno xv. kal. Iunias Ravennae in custodia Ioannes Pontifex maximus: cujus mox exitum sequuta mors est Regis Theodorici, qui eum in custodiam conjecerat. at Romae in Ioannis locum creatus est Felix iiI. qui et iiiI. Theodorico successit Athalaricus, ejus ex Amalasuontha filia nepos (*). Constantinopoli affecta Iustini Aug. valetudo viam Iustiniano ad summum fastigium muniebat, magno Africae bono; nam huic cum Rege Hilderico vetus amicitia erat, quae illi Africae recuperandae ansam praebuit.

iI. Ordinatum id temporis a Bonifacio Episcopo Kalendarium Ecclesiae Carthaginiensis, veri plane simile est. nam in exemplo ejus antiquissimo (1) nemo Eugenio Episcopo recentior commemoratur; et ea cura Bonifacium decebat, qui eam Ecclesiam primus receperat, et recenti etiamtum Martyrum Confessorumque memoria, unus maxime de eorum meritis judicium instituere poterat, ac nomina posteris tradere, quae anniversariis sollemnibus recolerentur. titulus autem Kalendarii illius est, *Hic continentur dies Nataliciorum Martyrum, et Depositiones Episcoporum, quae Ecclesia Carthaginis anniversaria celebrat:* quamquam porro conterraneos maxime recenset, externos tamen nonnullos complectitur, qui ubique magno in honore fuerunt: sed a die xiiiI. kal. Martias ad diem xiiI. kal. Majas neminem ciet; quippe eo fere tempore quadragenarium jejunium et Paschalia agebantur festa, ac religioni antiquitus habebatur, alia per eos dies obire sollemnia, quam quae ab Ecclesia omni ex majorum praescripto servabantur.

iiI. Ergo primus in eo Kalendario enunciatur xiiI. kal. Majas Martyr Mappalicus, Cypriani laudibus clarus, quem Martyrologia vetera consignant xv. kal. easdem (2). proximus huic effertur Pudens Martyr, qui

(*) v. Archiep. Vpsal. *Hist. lib. x. c.* 1.
(1) Mabill. *vet. anal. T. iiI. p.* 398.
(2) v. *an.* 250. *n. v.*

miles ille optio et praepositus carceris esse creditur, de quo mentio est in Actis Perpetuae et Felicitatis (3): colebatur autem iiI. kal. easdem. post hunc diem sequitur Claudius Martyr, qui indigena ne fuerit, an externus, adhuc ambigitur. hi tres tantum Aprilem mensem condecorant. jam iiI. non. Maias occurrit *Depositio Grati Episcopi*, cjus nempe qui Ecclesiam Carthaginiensem post Rufum administravit, et Concilio Sardicensi interfuit. pridie nonas easdem subeunt Marianus et Jacobus Numidici Martyres, quorum egregium certamen superius descripsimus (4). nonis Maiis *Depositio Geneclii Episcopi*, qui post Restitutum Ecclesiae Carthaginiensi praefuit: v. idus sanctus Majulus cietur, quem vetera Martyrologia Martyrem Africanum faciunt (5). iiI. idus Martyr Secundianus, quem item alia Martyrologia Africae adscribunt (6). pridie idus mentio fit *Sanctae Felicis, Caecilii et Comitum*, qui Martyres item indigenae putantur (7). xI. kal. Iunias sanctorum Casti et Aemilii, quorum et nos martyrium retulimus (8). x. kal. easdem sanctorum Lucii et Montani (9), viiI. kal. easdem sancti Flaviani et Septimiae (10) quos pariter celebravimus, Septimia excepta, quae ignota est. pridie demum kal. easdem sanctorum Timidensium, quorum Acta non exstant, at civitas nota in provincia Proconsulari, quae Timida Regia appellabatur.

iiiI. Iunius mensis iiI. nonas meminit *Sancti Perseverantii Martyris*, qui plane ignotus est: nonis autem *Sancti Syxti*, qui omnino alius est atque Xystus Pontifex maximus, qui memoratur inferius. iiI. idus *Sancti Gallonii*, quem aeque ignoramus. at xiiI. kal. Iulias locum habent sancti Martyres Gervasius et Protasius, qui Augustino auctore, quem Mediolani fuisse constat, quum eorum corpora Ambrosius invenit, in Kalendarium recepti putantur: atque aedis quoque sacrae honore aucti in Villa Victoriana agri Hipponensis vico (11). viiI. kal. easdem Natalis dies honoratur Joannis Baptistae, quem ipse Augustinus non uno sermone celebravit. tres subinde dies eodem mense sequuntur incerti, quod pagella vexata esset: sed in primo apparet nomen *Rogati Martyris*, quem e numero Abitinensium Martyrum fuisse scimus (12) in altero legitur tantum *Sancti E .... Martyris*, qui aut Egnatius est (13), aut Elaphius, quem Martyrologium Hieronymianum Africae adjudicat (14). in tertio scriptum est .... *Sanctorum* .... *Apostolorum*, nec dubitandum est, hoc loco nomina desiderari Petri et Paulli, quorum martyrium Ecclesia universa pridie kal. Iulias jamdiu recolit.

v. Post festum Apostolorum unus praeterea in litura cubat dies nullo insigni vestigio: tum idibus Iuliis memoria proditur *Sancti Catulini*

(3) v. *an.* 203. *n. iiiI. et* 204. *n.* I.
(4) v. *an.* 259. *n. iiI.*
(5) Notker. *et* Hieron. Acherin.
(6) Notker. *prid. kal. Maias etc.*
(7) Bolland. *T. iI. Maii p.* 136.
(8) v. *an.* 204. *n. iI.*
(9) v. *an.* 259. *n. iiiI.*
(10) *ibid. n. v.*
(11) Aug. *de C. D. lib. xxiI. c.* 8. *n.* 7.
(12) v. *an.* 304. *n. iI. at* Boll. *T. iiiI. Jun. p.* 809.
(13) v. *an.* 204. *n. iiI.*
(14) *iiiI. kal. Iul.*

Martyris, quem Martyrologia Diaconum Carthaginiensem dicunt, et in Basilica Fausti sepultum tradunt. xv. kal. Aug. *Sanctorum Scillitanorum*, de quibus jam a nobis actum est (15). xiiI. kal. easdem *Depositio sancti Aurelii Episcopi*, qui nempe Ecclesiae Carthaginiensis post Geneclium pontificatum obtinuit. xI. kal. easdem *Sanctorum Maxulitanorum*, quorum Acta desiderantur, quamquam nota colonia Maxula in provincia Proconsulari, et ipsi Martyres ab Augustino memorantur (16). sequitur incerto die, sed ante kal. Aug. *Depositio sancti Capreoli Episcopi*, qui Aurelio in pontificatu Carthaginiensi successit. demum iiI. kal. easdem natalis signatur *Sanctarum Tuburbitanarum et Septimiae*. ipsae autem Martyres Perpetua et Felicitas cum sociis significari creduntur, quarum Martyrium quia nonis Martiis contigerat, quo mense Ecclesia, ut canone LI. synodi Laodicenae praescribebatur (17), Martyrum natalicia non agebat, in Iulium mensem translatum creditur: quo die aliae ex eadem urbe Martyres Maxima, Donatilla et Secunda celebrabantur, quibus Septimia et socii alii quindecim in antiquis Martyrologiis adduntur.

vI. Kalendis Augustis, ut ceterarum Ecclesiarum Fasti habent, *Sanctorum Macchabeorum* festus dies indicatur. viiI. idus Aug. *Sancti Xysti Episcopi et Martyris Romae*, iiiI. idus easdem *Sancti Laurentii*, quos dies Ecclesia universa jamdiu servat. at pridie idus easdem ignotus occurrit Sanctus Marinus, idibus vero sanctus Hippolytus Martyr Romanus. post idus incerto die, quod litteras vetustas delevit, mentio fit *Sanctorum Massae Candidae*, quorum martyrium superius retulimus (18): tum *Sancti Quadrati*, qui vel ipse est Athenarum Episcopus et discipulus Apostolorum, vel Africanus Martyr, qui in veteri codice (19) Quartus dicitur, et Rufinum habet socium. de eodem meminit Possidius (20), sermonem ab Augustino habitum scribens *Per natalem Martyris Quadrati*. post hunc cietur sanctus Timotheus, nempe Antiochensis ille, qui martyrium Romae fecit, ac subinde sanctus Genesius mimus, Romanus item Martyr. at iiiI. kal. Septembres consignatur *Depositio Restituti et Augustini Episcopi*. est autem Restitutus is, qui Ecclesiam Carthaginiensem rexit post Gratum, quem ipse Augustinus in ejus festo laudarat (21). iiI. kal. easdem natalis proditur *Sancti Felicis. Evae et Regiolae Mart.* qui e choro fuerunt Abitinensium Martyrum, de quibus superius egimus (22). ante idus Septembres *Sancti Ampelii*, qui ex eodem Martyrum numero est. xviiI. kal. Octobres *Sancti Cypriani Episcopi et Mart. Carthag.* cui cives geminas Basilicas dicaverant. at xvI. kal. easdem Euphemia Chalcedonensis prodit, apud Graecos celeberrima, cujus nomen post Concilium magnum Chalcedone actum etiam in Africam pervenisse credibile est. externi item Martyres duo e Campania sequuntur ante kal. easdem,

(15) v. *an.* 200. *n. I. et seq.*
(16) *serm.* 285. *in tit.*
(17) apud Hard *Conc. T. I. p.* 790.
(18) v. *an.* 258. *n. iiI.*
(19) Georg. *in Adon. p.* 233.
(20) *in indic. opusc. c.* 9.
(21) Possid. *ibid. c.* 10.
(22) *ad an.* 304. *n. iI.*

Ianuarius et Sossius, quorum cultum in Africam invexisse Episcopi e Campania reduces, quos Vandali ejecerant in exsilium, merito putentur.

vII. Mensis October vI. idus exhibet sanctum Quintasium, quo nomine Episcopi aliquot Africani fuere, sed ex Kalendario quis fuerit, non apparet. III. idus easdem sanctus Lucas Evangelista effertur, qui et *Martyr* appellatur. xvI. kal. Novembres occurrunt Martyres Bollitani, in quorum Natali sermonem habuit Augustinus (23), sed tamen nullis ex Actis cogniti. ante kal. easdem Lucius et Victoricus e Clero Carthaginiensi Martyres cum aliis insignes, de quibus superius scripsimus (24). post hos Victoria Martyr clarissima Culusitana sub Hunerico (25). IIII. kal. easdem sanctus Felicianus et Vagenses Martyres jamdiu a nobis commemorati (26). kalendis autem Novembribus prodit sanctus Octavius, de quo nihil traditum reperio. ante idus Capitani Martyres, qui Capsitani esse videntur e provincia Byzacena, septem scilicet Monachi ab Hunerico necati (27), quorum corpora Celerinae Basilica servabat. idibus sanctus Valentinus, qui notus non est, ac deinde externi tres ante kal. Decembres, sed incerto die ob membranam vexatam, sanctus Clemens, sanctus Chrysogonus, sanctus Andreas Apostolus, quos Ecclesia omnis eodem mense colit.

vIII. Nonis Decembribus indigenarum rursus mentio, id est *Sanctorum Martyrum Bili, Felicis, Potamiae, Crispinae et Comitum*, qui Tagorenses in Numidia Martyres feruntur; sed Crispinae tantum Acta manent (28). IIII. idus sancta Eulalia inducitur, externa Martyr, Emeritae in Lusitania lauream adepta. III. idus prodeunt sancti Martyres Eronenses prorsus ignoti, nisi ex Erumminensi Ecclesia fuisse velis, quae item vix nota est. xvI. kal. Ianuarias indigenae Martyres celebrantur Felix, Clementiana, Honorata et Massaria, sed quorum Acta non habemus. subinde sanctus Nemesianus Episcopus Tubuniensis in Numidia, Cypriani epistolis, et confessione etiam clarus (29). mensem claudunt sollemnes Ecclesiae dies his titulis, *vIII. kal. Jan. Domini nostri Jesu Christi Filii Dei, vII. kal. Jan. Sancti Stephani primi Martyris, vI. kal. Jan. Sancti Joannis Baptistae et Jacobi Apostoli, quem Herodes occidit, v. kal. Jan. Sanctorum Infantium, quos Herodes occidit.* nec vero liquet, utrum recte *Baptistae* scriptum sit, an eo loco *Evangelistae* scribendum fuerit.

vIIII. Nonis autem Januariis consignata est *Depositio sancti Deogratias et Eugenii Episcoporum*, qui proximi Ecclesiam Carthaginiensem administraverant. vIII. idus Epiphania enunciatur, quo die apud Afros sollemnis quoque Baptismus fiebat. vI. idus *Depositio Quodvultdei Episcopi*, cui successit Deogratias. III. idus sanctus Martyr Salvius, bis ab

(23) *serm.* 156.
(24) *ad an.* 259. *n. II.*
(25) v. *an.* 484. *n. vI.*
(26) *ad an.* 304. *n. vIII. et an. seq. n. III.*
V. III.
(27) v. *an.* 484. *n. vIII.*
(28) v. *an.* 304. *n. vII.*
(29) v. *an.* 257. *n. II. et IIII.*

Augustino laudatus, (30) at ignotus tamen; neque enim hic est Membresitanus Episcopus, multa quidem a Donatistis et gravia perpessus, sed non pro Catholica professione, quam numquam amplexus est. XVIIII. kal. Februarias additur memoria *Sancti Felicis Nolensis*, quem nempe magnus Paullinus laudibus suis toto orbe celebrarat. XVI. kal. easdem sancti Rubrenses cientur, ignoti Martyres, nisi sub eo nomine lateat Marciana Rusuccurensis, quae Caesareae martyrium consummavit, et quicumque alius ex ea urbe parem lauream tulit. XIIII. kal. easdem sancti Tertullenses et Ficarienses, pariter ignoti, ut ne urbes quidem simili nomine inveniantur. at XIII. kal. easdem insignis Martyr Sebastianus, et die sequenti egregia Martyr Hagne, ambo ex urbe petiti, tum proxime Martyr Vincentius ex Hispania, quem Augustinus multis sermonibus commendavit. post hos VIII. kal. easdem prodit Agileus sive Ageleus Martyr, cui praeclara Basilica prope Carthaginem dicata fuerat, ignotus cetera, nt ut Possidius sermonem per natalem ejus ab Augustino pronunciatum commemoret (31): nam is non exstat.

x. Kalendis Februariis natalis indicatur *Sanctorum Luciani et Vincentii Martyrum*, de quibus nihil in promptu est: IIII. non. Febr. *Sanctorum Carteriensium*, qui aeque ignoti, quamquam in eorum natali Augustinus sermonem habuit (32), quo nunc caremus. nonis Agathae, externae Martyris e Sicilia accitae. V. idus Febr. *Sanctorum Felicis, Victoris et Januarii*, qui cum aliis septem leguntur III. idus easdem in Martyrologio Hieronymiano. XIIII. kal. Martias *Sanctorum Martyrum Macrobii et Lucillae, Nundinarii, Caecilianae et Petrensium*, e quibus duo primi eodem die in Hieronymiano recensentur, reliqui nusquam se offerunt: nec Petra illa magis nota, unde Petrensium Martyrum appellatio ducta esse videtur.

xI. Enimvero habes jam Ecclesiae Carthaginiensis Fastos, quales id temporis prostabant, ut ad eorum normam anniversaria in templis sollemnia agerentur. nullum in iis, quod mirere, festum editur sanctae Genetricis Dei Mariae, de qua item nullus ab Augustino habitus sermo videtur; quum Romana tamen hujus aetatis (33) Kalendaria non modo festum diem referant *Adnunciationis* atque *Hypapantes*, sed ipsam etiam *Adsumptionem* festum utique totum sanctae Virginis proprium. quem quidem nodum haud immerito solvi quis putet, si apud Afros D. N. Mariae sollemnia extra Martyrum seriem alio in laterculo proposita quotannis dicantur, quum dies Paschatis reliquaeque conceptivae feriae enunciabantur, eo nempe consilio, ut Matris Dei honores cum Filii memoria magnisque mysteriis sociarentur (34). ceterum in Carthaginiensem hunc censum pauci quoque ex Apostolis recepti, ut apud Graecos primitus contigisse constat. at vero reliquis Ecclesiis Africanis aliud fuisse

(30) *ex indic.* Possid. *c.* 3. *et* 10.
(31) *ibid. c.* 9.
(32) Possid. *ibid. c. eod.*
(33) v. Marten. *Thes nov. anecd. T. v. p.* 63
(34) v. *Kalend. C.P. nostr. Vol. II. p.* 75. *et seq.*

Kalendarium, extra controversiam est: neque enim urbs ulla cives suos Martyres sine honore praeteribat: quod Augustinus apud Hipponenses suos servatum ostendit, qui quotannis et Theogenem et Fidentium cum sociis et Leontium statis diebus honorabant, quorum in Kalendario Carthaginiensi mentio nulla est.

ANNUS CHRISTIANUS DXXVII.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gessit sine collega Fl. Mavortius, eoque consule Hildericus annum regni sui quintum exorsus est. fausti hoc tempore ad Regem nuncii ex Oriente venerunt, Iustinianum a Iustino Augustum esse appellatum: quod kalendis Aprilibus factum novimus. nec multis post mensibus eum jam solum regnare nunciatum est. Iustinus enim kalendis Augustis decessit. quare Legatos ab Hilderico Constantinopolim missos esse, qui Iustiniano veteri amico partum Imperium gratularentur, foedusque cum eo renovarent, prope exploratum habeo. verum eam Hilderici laetitiam compressere Athalarici litterae de Amalafridae morte querentis, quam post excessum Regis Trasamundi in fuga captam, in custodia periisse constabat. *Hoc,* ajebat (1), *Gothi nostri ad suum potius opprobrium intelligunt fuisse tentatum. nam qui dominae alienae gentis intulit necem, omnino ejus parentum visus est despexisse virtutem.* simul auctores caedis tradi postulabat, addebatque, *Sit in eis totius caussae absoluta probatio, sine bello, sine caede aut nos efficiat placatos, aut vos reddat obnoxios. quod si creditis esse temnendum, nec vos ad rationabilia responsa componitis, conditione initae pacis absolvimur, qui laesi foederis vinculo non tenemur.* porro quo se pacto expedierit Hildericus, compertum non est: at suspicari licet, minime Athalaricum ab eo esse placatum, atque illius maxime opera conjuratum postea esse in Regem a Gelimere, qui tyrannidem in Africa occupavit.

II. Ceterum Ecclesiae rebus sub Hilderico tranquillis, integrum Episcopis erat, quae muneris sui essent, implere, veterisque disciplinae legibus revocatis, quas in Concilio Carthaginiensi renovaverant, mores pristinos reducere, quos temporum calamitates deformaverant. inter eos autem Fulgentius maxime eminebat, cui virtus excellens et clara doctrinae fama plus vel in agendo virium, vel in suadendo auctoritatis dabat. quam ille naviter Ruspenses suos institueret, sermones ejus, qui exstant, apprime ostendunt. quantum vero et longinquis prodesset, ex epistolis ejus satis apparet. hoc autem anno scripsisse videtur praeclaras litteras *de conversione a saeculo* ad Theodorum Senatorem, qui anno DV. Consulatum Romae gesserat, et cum Joanne Pontifice maximo legatione etiam ad Iustinum Aug. functus erat; sed jam honorum omnium et dignitatis

(1) Cassiod. *Var. lib.* VIII. *epist.* I.

suae contemptor, inito cum uxore consilio, urbem reliquerat, et vitam inter Monachos sobriam et laboriosam agebat. quare ei Fulgentius sic animos addebat (2): *Nunc vero Consulatu proveheris, nunc felici triumpho certissime sublimaris, non cui populus Romanus applaudat, sed cui Angelicus coetus adgaudeat.* utilis quoque Fulgentii opera fuit Maximiensibus Ruspensium finitimis. nam quum forte iis novus Episcopus datus esset, eumque plebs non sine tumultu repudiaret, eo accitus Fulgentius (3) non modo omnes illos motus compescuit, sed ipsum etiam Episcopum in sede sua nemine invito collocavit.

(2) *epist. ad Theod. sen. c. 2.* (3) *in vit. Fulg. c. 29.*

ANNUS CHRISTIANUS DXXVIII.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. Consul processit sine collega Imp. Fl. Anicius Iustinianus iterum: eoque Consule Hildericus sextum regni sui annum incohavit. non ultima Episcoporum cura id temporis erat aedium sacrarum restitutio, quas vel Arianus furor everterat, vel incuria aut vetustas labefecerat. apud Furnitanos autem, qui oppidum incolebant provinciae Proconsularis Basilicam mirandi operis Simeon Episcopus eorum molitus fuerat. ea quum jam esset absoluta, hoc, opinor, anno, ut Dedicatio ejus magna celebritate perageretur, Bonifacius ipse Episcopus Carthaginiensis rogatus est, ut eum ritum expleret. morem hic non invitus gessit, et Primatem plures honoris ergo Episcopi sequuti sunt, quos inter Ruspensis quoque Fulgentius adfuit: nec adfuit solum, sed etiam duobus illic diebus in tanto hominum conventu concionatus est, magna quidem omnium voluptate, sed Bonifacii maxima, qui, ut in Fulgentii vita scriptum est (1), *Tantum delectatus est audire verbum Domini de ore ejus, ut donec ille sermonem finiret, ipse terram lacrimis irrigaret, agens gratias Deo, cujus gratia semper in Ecclesia Catholica summos excitat praeclarosque doctores.*

II. Enimvero festos hujusmodi dies aliis in urbibus actos esse, sepulcrisque Martyrum novo cultu exornatis encaenia passim et Natalium sollemnia celebrata, non est ambigendum. ad haec enim Catholici majorum exemplis excitabantur, et Regis Hilderici indulgentia exoptatam diu libertatem denique adepti, facile perficere omnia poterant, quae pietas ab eis atque religio postulare videretur. sed monumentorum veterum inopia, de qua alibi questi sumus, ita nobis adversatur, ut in tanto Ecclesiarum numero vix unum aliquod identidem exemplum suppetat, quod in historiam referri possit.

(1) *in vit. Fulg. c. 29.*

ANNUS CHRISTIANUS DXXVIIII.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. CONSULATUM sine collega suscepit Caecina Decius Basilius junior: quo Consule Hildericus regni sui annum attigit septimum. pax Ecclesiae Africanae, quae templorum decus et religionis splendorem auxit, litteris quoque et sacris disciplinis restituendis utilis fuit. in quo Fulgentius ante alios adlaborabat, eosdem in doctrinarum studiis exercens, quos in schola pietatis instituebat. itaque ex ejus ludo jam prodierat, et id temporis cum virtutis tum scientiae laude florebat Fulgentius Ferrandus Diaconus Ecclesiae Carthaginiensis, qui *Breviationem Canonum Ecclesiasticorum* aggressus, opusculum urgebat egregium, quod Episcopis potissimum ac Presbyteris magno usui esse posset. atque idem, non mediocri jam auctoritate quum esset, ab externis quoque consulebatur: quod responsa ejus litteraeque declarant. eodem tempore, ac fortasse ex eadem schola eductus, eminere incipiebat Facundus (1); qui non multo post in Fulgentii provincia pontificatum Hermianensem consequutus est, de cujus scriptis alibi dicendum erit. addemus infra Facundo Verecundum, qui aequalis ejus fuit, et Ecclesiae Juncensi in eadem provincia praefectus est. hic vero non modo controversias attigit, in quibus Facundum versatum novimus, sed etiam poësim delibavit (2). nec multo his junior erat Primasius, qui in eadem provincia Adrumetinus Episcopus factus est, et Facundo suppar commentaria in Epistolas Paulli jamtum scribebat. summa demum ingenii laude adolescebant eodem tempore, et aliquid fortasse jam extuderant Eugipius Abbas a Cassiodoro commendatus, Liberatus Ecclesiae Carthaginiensis Archidiaconus, legationibus et scriptis illustris Victor Tonnonensis Episcopus, exsiliis idem et praeclaro rerum gestarum Chronico celeberrimus (3). tot utique scriptores tranquillitas temporum peperit, sine qua studia jacent, languent ingenia, litterae exsulant.

II. Actum hoc anno in Gallia Narbonensi Concilium Vasense alterum, Vasione scilicet Vocontiorum, quae ejus provinciae clarissima urbs erat. hujus Canon quintus fuit (4), *Quia non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem et totam Africam vel Italiam propter haereticorum astutiam, qui Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore coepisse blasphemant, in omnibus clausulis post* Gloria, Sicut erat in principio *dicitur; etiam et nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus.* id vero commemorari par erat, quod et Africanae Ecclesiae auctoritatem ostenderet, et studium ejus consensumque cum Ecclesia Catholica declararet.

(1) Pithoeus *edidit post Cod. Canon.* v. *p.* 305. *ed. Paris.*

(2) v. Cavem *de scr. Eccl. in Verec. et infra an.* 556. 2.

(3) v. *infra an.* 556. *n. II.*

(4) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1106.

ANNUS CHRISTIANUS DXXX.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatu functi sunt Postumius Lampadius, Fl. Orestes. Hildericus regni sui annum incohavit octavum. Romae autem decessit Felix xiii[I]. kal. Oct. in cujus locum triduo post Pontifex maximus creatus est Bonifacius ejus nominis secundus. jamvero Catholicorum in Africa res magnum rursus in discrimen adductae sunt. tanta nimirum Regis Hilderici erga Catholicos indulgentia Vandalis Arianis vehementer displicebat. nec vero ipse Rex, cetera in omnes benignus et natura clementissimus, vel magnitudine animi vel militari laude vel solerti consilio praestabat: itaque a multis contemnebatur, amplissimi regni curis impar habitus. et aderat, qui tantam personam maxima cum dignitate sustinere posset, Gilimer Gentonis filius, Genserici nepos, cui patriae leges regnum post Hildericum tribuebant. hic et ingenio plurimum atque opibus poterat, et rei militaris peritissimus habebatur: tanta autem regni cupiditate flagrabat, ut vi et armis tyrannidem brevi occupaturus videretur.

II. Interea Rex insidias sibi parari mature cognoverat, et Iustinianum per Legatos de periculo suo admonuerat. verum consilio Regis vulgato, aucta conspiratio est, et scelus Gilimer perficere properavit. tertius erat mensis, ex quo Hildericus annum regni octavum agebat, Augustus nempe, nam regnum viiiI. kal. Iunias auspicatus fuerat; immissi in regiam repente a Gilimere Vandali, qui Regi nunciarent, Gilimerem in Africa omnium procerum consensu regnare: ipsi eorundem jussu regnum ademptum (1). exinde Hildericus in custodiam ductus cum filiis Amere et Evagene: Gilimer Rex salutatus regiam invasit, et impune regnare coepit, Athalarici, ut creditur, amicitia et potentia fretus, quem Hilderico ab Amalafridae necem infestum norat. in tanta autem rerum conversione magnus plane timor Catholicis injectus est, ne Hunerici et Trasamundi redirent tempora, et ea ab Arianis iterum Ecclesiae vulnera infligerentur, quae vix obductas cicatrices crudelissime lacerarent.

III. At Iustinianus Aug. simul atque cognovit quae in Africa contigissent, amici Regis vicem miseratus, Legatos statim ad Gilimerem cum litteris misit, quibus graviter querebatur, tanta eum animi impotentia fuisse, ut legitimi imperii tempus non exspectaret. impie eum facere neque ex Genserici voluntate, qui Regem Hildericum regni heredem optimo jure constitutum in custodia teneret, cumque ei proxime successurus foret, tyrannus, quam Rex esse mallet. si se amico uti vellet, vi abstineret, regiosque honores Hilderico redderet; satis ipsi esset, si cum eo pari auctoritate regnaret. ceterum neque litterae Augusti neque Legati Gilimerem flexerunt. nam Vandalorum favore subni-

(1) Procop. *B. Vand. lib. I. c.* 9.

xus, opes suas ita firmatas putabat, ut Iustiniani arma contemni possent. neque vero ferociam illam et superbiam texit; sed nova etiam crudelitate manifestam fecit. neque enim Legatos solum re infecta redire coëgit, sed Amerem statim excaecavit, Hildericum vero et Evagenem arctiori custodia septos cohibuit, insultare etiam miseris ausus, eosque hortari, ut Constantinopolim ad Iustinianum transfugerent, cujus praesidium expetiverant.

IIII. Ad haec tempora pertinere quaestio videtur, quam Ferrandus Diaconus Fulgentio Episcopo proposuit de Aethiope Catechumeno, qui morbo oppressus, quum animam ageret, nec sensum haberet sui, Baptismo tamen rite ablutus fuerat. quaerebat nempe Ferrandus, num is, pro quo alii praestiterant, quae ipse ore suo pro se profiteri non potuerat, ad salutem pervenisse putandus esset? cui tale Fulgentius responsum dedit (2): *Manifestum est, quod sicut officium credulitatis et confessionis pertinet ad Catechumenum, sic effectus Baptismatis pertinet ad Ministrum: et dum ab illo per veram fidem confessio promitur, subsequenter est, ut illo tingente salutaris mysterii gratia peragatur.* quare in Aethiope servo, quem dominus ejus ad Ecclesiam, ut institueretur, deduxerat, et Ecclesia, animum hominis et voluntatem experta, Catechumenum fecerat, poenitentiae satis fuisse Fulgentius putabat, ut salutari lavacro lotus vitam, quam petierat, aeternam adsequeretur. nam quod alii Baptismum pro eo postulassent, minime id efficiebat, ne veteris consilii, quae tenebatur, significatio valeret (3).

(2) v. Morin. *de Poenit. lib. VIII. c. 7. n. 14.*
(3) v. Aug. *de Conjug. adult. lib. I. c. 26. et Confess. lib. III. c. 4. n. 7.*

ANNUS CHRISTIANUS DXXXI.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUS hic, quia sine Consulibus fuit, appellatur in Fastis *Primus post Consulatum Lampadii et Orestis.* Gilimer vero in Africa tyrannidis suae annum alterum attigit. nihil quidem post Hilderici casum Catholicis tutum videbatur: quid enim boni ab tyranno Ariano sperare possent! sed precibus eorum divinitus datum est, ut nulla molestia vexati pacatum annum et tranquillum haberent. ipsis enim Episcopis concessum apparet, ut Ecclesiae caussa convenirent. certe in Libro Pontificali legimus (1), quo tempore Bonifacius II. Romanam Ecclesiam administrabat, litteras ex Africa adlatas, quae Canonem illic a Patribus sancitum, *Vt consilio Sedis Apostolicae omnia Carthaginiensis Episcopus faceret*, diserte nunciabant. Bonifacium autem anno proximo decessisse, exploratum est. Canonis porro ejus condendi hanc Episcopi occasionem habuisse videntur, quod quidam veterem illam Carthaginiensis Antistitis amplissimam

(1) *in Bonifac. II. n. V.*

auctoritatem defugerent, ac plus sibi juris in regendis Ecclesiis suis adrogarent, quam instituti ordinis dignitas pateretur (2). at illud plane commentitium, quod de schismate Ecclesiae Africanae in adulterina epistola Bonifacii secundi Pontificis maximi traditum legimus, a Caelestini nempe temporibus Ecclesiam illam a Romana dissensisse, nec pacem inter utramque, nisi centum post annos esse firmatam (3). quae hactenus ab eo tempore enarravimus, fabulam passim elevant rejiciuntque: nec refutandum a nobis est, quod jam gravissimis rationibus ante nos eversum confectumque comperimus (4).

II. Haec inter Legati, quos Gilimer rejecerat, Constantinopolim reversi, legationis suae exitum Iustiniano exposuerant. nec vero levis offensionis ea caussa erat, aut dubitari poterat, violatum jam foedus esse, quod Vandali olim cum Zenone Aug. pepigerant. verum bello tum Persico Iustinianus detinebatur, quod Belisarius Magister militum Orientis administrabat; et periculosum erat novo implicari bello, quod sine magno apparatu suscipi conficique non poterat. itaque, ira dissimulata, litteras iterum (5) ad Gilimerem mittit; et prioris epistolae mentione facta, quam ille nihili putasset, rogat, quando regnum eo pacto habere velit, nec incertos rerum eventus metuat, ut Hildericum saltem et Amerem jam caecum, fratremque hujus ad se perduci jubeat, ut, quod reliquum miseris solatium esse poterat, soluti apud se liberique vivant. ni faciat, nullam se amicitiae aut prisci foederis rationem habiturum, quo minus injuriam bello persequatur, poenasque repetat. ad haec demum Gilimer, infractum animum ac bene sibi fidentem ostentans, respondit, neque se regnum sibi per vim comparasse, neque contra propinquos injusti quidquam admisisse. Hildericum nova quaedam in familiam regiam meditantem, Vandalorum decreto jussum abire magistratu: se vero in regnum vocatum, quod stirpi atque aetati suae debebatur, et cui non impar videretur. at eum curiose atque injuste facere, qui alienis se curis immisceret. si autem et foedus bello inferendo rupisset, paratum se quibus posset viribus obsistere, et Zenonis sacramentum fidemque publicam postulare. Haec ille: quae Iustinianum iratum jamdiu atque infensum facile ad belli consilia traduxerunt.

(2) v. *an.* 387. *n. II.*
(3) v. *an.* 426. *n. III.*
(4) v. Baron. *in Martyrol. ad diem* 16. *Oct. et* Somiar. *in Anast. Bianch. T. III. p.* 103.
(5) Procop. *B. Vand. lib. I. c.* 9.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXII.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. Ne hunc quidem annum Consules signant: itaque in Fastis appellatur *secundus post Consulatum Lampadii et Orestis.* Gilimer in Africa tyrannidem in annum tertium prorogavit; neque eam jam sine caedibus et

sanguine exercuit. sed Catholicos singillatim insectatus non dicitur; in nobiles tantum saevisse eum ad necem usque, ac multorum substantias abstulisse legimus (1): quod conjurationis metu, aut divitiarum cupiditate ab eo factum esse, credibile est.

II. Hoc anno Fulgentius, quum supremum sibi diem instare videret, in insulam Circinam paucis e Ruspensi monasterio sociis delectis, se recepit, *Vbi,* inquit vitae ejus scriptor (2), *in quodam brevi scopulo, cui nomen est Chilmi, ubi jam monasterium fabricari mandaverat, lectioni et orationi ac jejuniis vacans, veluti sciret appropinquare sibi novissimum diem, sic ex toto corde suo poenitentiam gessit.* inde Octobri mense Ruspam, quo eum cives omnes anxie revocabant, vix redierat, quum in morbum incidit gravem atque mortiferum, quo duos amplius menses afflictatus est, ea tamen animi constantia, ut in summis doloribus una ejus precatio audiretur, *Domine da mihi modo hic patientiam, postea indulgentiam.* medicis autem eum cohortantibus, ut balneo uteretur, *Numquid balnea,* inquit, *facere poterunt, ne homo mortalis, expleto vitae suae tempore, moriatur? si vero proximam mortem nec aquarum calidarum possunt fomenta repellere; cur mihi, obsecro, persuadetis, ut rigorem diu servatae professionis in fine dissolvam?* quare exitum suum invicta patientia opperiens, mortem quoque vitae consentaneam esse voluit.

III. At vero Carthagine sermo inter Catholicos percrebuerat, adesse jam Vandalici imperii finem, et Africam iterum Romanam fore. Cyprianus ipse Martyr e caelo visus multis ferebatur, qui haec sponderet, et se brevi poenas de hostibus sumpturum diceret. itaque fuit etiam ex Episcopis, qui in ejus festo populum adloquens, Cyprianum denique ipsum ita Deo supplicantem induceret (3): *Exsurge, quare obdormis, Domine, exsurge, et ne repellas usque in finem. redde tibi tuam gloriam, terram tuam tuis redde, redde meis ossa mea, ut te triumphante et hostes tui pereant, et nos in sedibus nostris nostro ordine gaudeamus.* porro quae Cyprianus promiserat, alius e caelo Martyr sanctissimus incohavit. is fuit Laetus Episcopus Neptitanus, qui se Iustiniano Aug. de Vandalico bello cogitanti videndum obtulit, ejusque expeditionis auctorem professus est (4). nam Iustinianus eo viso confirmatus, pacem sibi cum Persis faciendam censuit, ut bellum in Africam transferret; jamque Belisarium ab exercitu revocavit (5), quem nihil tale opinantem classi praeficeret, ducemque tanti belli constitueret.

IIII. Romae hoc anno XVI. kal. Novembres decessit Bonifacius II. eique pridie kal. Ianuarias suffectus est Ioannes II. cognomento Mercurius, quo tempore magna illa in urbe quaestio revixerat, quam primi intulerant Scythae Monachi, recte ne diceretur *Vnus e Trinitate passus esse carne?*

(1) Isidor. apud Labb. *N. B. T. I. p.* 72. et Vict. Tonn. *in Chron.*
(2) *in vit. Fulg. c.* 30.
(3) apud Ruin. *Hist. Pers. Vand. p.* 58.
(4) Vict. Tonn. *in Chron.*
(5) Procop. *B. Vand. lib. I. c.* 9.

hanc propositionem Acoemeti Monachi Constantinopoli aversabantur, et Legatis Romam missis, ut a Pontifice maximo notaretur, summo studio contendebant, quod tamen impetrare non potuerunt. sed sub ipsum controversiae initium Anatolius Diaconus Ecclesiae Romanae Ferrandum Diaconum Ecclesiae Carthaginiensis consulendum duxit, a quo praeclaram epistolam accepit, et doctore Catholico dignam, qua eam formulam Eutychianis et Nestorianis apprime contrariam, atque adeo invisam ingratamque ostendebat. *Sine dubio,* ajebat (6), *sub his verbis etiam praedicator unius in Christo substantiae confutatur. ut sit enim Christus Unus de Trinitate, ad Divinitatem pertinet; ut credatur Passus, ad humanitatem. non esset qui passus est Vnus de Trinitate, nisi unam haberet cum Patre et Spiritu sancto Divinitatem: non esset passus, qui Vnus est de Trinitate, nisi consubstantialem Matri haberet humanitatem. sileat ergo unius naturae in Christo praedicator; duas enim naturas commemorat, qui Vnum de Trinitate passum fatetur. Unum de Trinitate passum Nestorianis non immerito displicet: introducere enim quartam personam volunt, cui accidisse aestimant passiones. Euthychianis autem Unum de Trinitate passum non recte placet, si tamen placet: ipsi enim duas Christi permanere Naturas evidenter contendunt negare, quibus per hoc Capitulum manifesta re contradicitur.*

(6) Ferrand. *edit. stat. p.* 72.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXIII.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum gessit sine collega Imp. Fl. Anicius Iustinianus III. Gilimer in Africa tyrannidis annum quartum attigit. primus anni dies Ruspensibus funestus ac memorabilis fuit Fulgentii morte: ipsis enim kalendis Ianuariis, annum agens pontificatus sui vicesimum quintum, aetatis sexagesimum quintum, quum Clerum et Monachos suos paucis adloquutus rogasset, si quid in eos severius admisisset, sibi ut ignoscerent, ac Deum sibi propitium precarentur; quae vero domi reliqua erant, ea omnia viduis, pupillis, egentibus quibusque distribui jussisset: inclinato jam die, ad extremum usque sui compos placido exitu ex hac vita ad caelum migravit. funus ejus et sepulturam multis lacrimis prosequuti Ruspenses, quantum praesidium amisissent, publice testabantur. sed paullo post experiendo etiam cognoverunt. nam qui Fulgentio superstite pacatam circum regionem omnem habuerant, nec unquam hostilis irruptionis caussa trepidaverant (1), diebus non ita multis, postquam eum composuerant, agros circum a Mauris occupatos viderunt, regionemque omnem rapinis, caedibus, incendiis vastatam flevere, tanta barbarorum crudelitate, ut ne a templis quidem impias manus abstinerent. atque ob haec sero Ru-

(1) *in vit. Fulg. c. ult.*

spensibus licuit de successore deliberare. nam Felicianus, qui eam Ecclesiam post Fulgentium obtinuit, Decembri extremo renunciatus, pontificalem honorem kalendis Ianuariis primum usurpavit, anno postquam eam sedem Fulgentius vacuam reliquerat: quamquam discordia etiam, quae inter Clerum plebemque exarserat, multos ipsa dies intercepit, donec unus idemque omnibus probaretur (2).

II. Iamvero Fulgentio Afris erepto, quem omnes tamquam magistrum reverebantur, proximus illi doctrina haberi coepit Ferrandus, quem dudum emissa in lucem scripta dignum tanto viro discipulum demonstrabant. quumque nuper Reginus Comes quaestiones quasdam Fulgentio proposuisset, quas ille expedire ante mortem non potuerat, Ferrando ea cura delata est, qui Paraeneticum librum ad eundem hoc anno perscripsit, exposuitque, ut ille petierat, *Qualis esse debeat dux religiosus in actibus militaribus*, septem innocentiae regulis complexus, quae ductores ordinum Cristiani in exercitu praestare deberent.

III. Sed haec hactenus: alio enim nos vocat Iustinianus, qui pace cum Persis facta, bellum in Vandalos instruit, et Africam Imperio Romano adjudicat. classis instruebatur, milites cogebantur, quum ex Africa Constantinopolim nuncii venerunt, urbes Tripolitanas totamque illam oram, Pudentio cive Africano auctore, a Vandalis defecisse: tum litterae etiam ab ipso Pudentio ad Augustum missae, quibus pollicebatur, si copiis adjuvaretur, brevi fore, ut ea regio ad Imperium Romanum rediret. nec multo post Godas natione Gothus, quem Gilimer Sardiniae praefecerat, Regis crudelitatem aversatus, Iustinianum, quem in Vandalos bellum moliri inaudierat, datis ad eum litteris admonuit, si milites submisisset, Sardiniam in ejus potestate futuram (3). haec vero ad Augustum incitandum momenti plurimum habuere. belli summa ad Belisarium delata, jamdiu rerum gestarum gloria florentem: praemissi item cum firma militum manu duces, qui Tripolitanam regionem et Sardiniam insulam occuparent. classis subinde, quae quingentarum navium fuit, postquam ei Epiphanius Patriarcha Augusti admonitu fausta omnia rite precatus esset (4), Iunio mense Constantinopoli solvit, atque in Siciliam navigavit. ex ea insula Belisarius, explorato rerum Vandalicarum statu, exercitum in Africam trajecit, ac Septembri denique mense milites exposuit ad Caputvada, unde Carthaginem pergentibus quinque dierum iter est. ibi castris positis et vallo fossaque munitis, Moraidam e stipatorum suorum numero cum delectis aliquot militibus Sublectum satis proximum oppidum mittit, qui civium animos tentet, seque libertatis eorum vindicem venisse nunciet. ubi vero Moraidae opera Sublectinos in suas partes adductos accepit, Sublectum sibi etiam cum exercitu proficiscendum ratus, quod inde via Carthaginem recto patentique itinere duceret, naves proximum littus legere jussit: milites instructa acie procedere: quos ipse

(2) *ibid. c. eodem.*
(3) Procop. *B. Vand. lib. I. c.* 10.
(4) *idem ibid. c.* 11.

delecta suorum manu stipatus, eo consilio ultimus sequebatur, ut si a tergo Gilimer, quem Hermianae in provincia Byzacena subsidere audierat, cum exercitu ingrueret, arma adversus eum primus signis conversis inferret ceterum in eo tractu nihil hostile fuit, Afris ultro annonam hospitiumque offerentibus. quare, quum viginti passuum millia quotidie conficerent, Leptin et Adrumetum brevi praetergressi, Grassen pervenerunt amoenum Regis praetorium, ab urbe Carthagine millia passuum tria et quadraginta situm.

IIII. Interea Gilimer apud Hermianam de hostium adventu edoctus Ammatae fratri Carthagine degenti mandat, ut Regem Hildericum et propinquos ejus omnes, quos in vinculis habebat, illico interficiat (5): tum Vandalos et quoscumque bello idoneos putarit, obviam hosti ad Decimum rapiat, angustum in suburbano locum, ubi facile opprimi Graecos posse existimabat, si eos ipse eodem tempore a tergo esset insequutus. nec diu Hermianae cunctatus, copias, quas contraxerat, sic divisit, ut dum Ammatas a fronte occurrebat, Gibamundus fratris filius laeva hostem premeret, ipse littori propior perfugium ad naves reditumque intercluderet. verum divino plane consilio factum est, ut Ammatae et Gibamundi manus a Belisarii ducibus ante delerentur, quam Gilimer a tergo proelium committeret: ipse vero Gilimer, clade suorum cognita, Numidiam versus in fugam se daret, Carthaginemque hostibus apertam relinqueret. ergo sub noctem et Belisarii exercitus et Classis Romana in conspectum Carthaginis venere; invitantibusque ultro victorem civibus, ut in urbem ingrederetur, pacata omnia apparuerunt. milites tamen suos Belisarius continuit in crastinum, atque in suburbio pernoctare jussit: non tam ille insidias Vandalorum veritus, quam Carthaginiensium in victoria periculum, de quibus benemereri volebat.

V. Haec idibus Septembribus acta. postero die, quem Martyri Cypriano majores sacraverant, Carthaginem ingressus est Belisarius, sequente in triumphi morem exercitu, nulla vi, nullo metu, in regiamque venit atque in ipso Gelimeris solio sedit et mensa usus est, quam huic familiares instruxerant. ita sanctus ille Martyr Afris suis rem praestitit, quam receperat, futuram pollicitus aliquando, ut injuriam sibi ab Arianis illatam ulcisceretur (6). nam pridie hujus diei Ariani Vandali, qui Basilicam Cypriani jamdiu obtinebant, quia sollemnia Martyris instabant, templum sacris operaturi purgarant, et quidquid ornamentorum in sacrariis servabatur, exposuerant: quum repente nunciatum est, fusum esse Gilimeris exercitum, et urbem in hostium potestatem brevi venturam. quibus auditis Ariani Sacerdotes metu perculsi, nec jam nisi fugam meditantes, templum Catholicis bene ornatum intactumque reliquerunt; in eoque Catholici anniversarium Martyris Cypriani diem summa religione laetitiaque celebraverunt, advoluti sepulcro Antistitis

(5) Vict. Tunn. *in Chron.* Proc. *ibid.* c. 17.
(6) Procop. *B. Vand. lib. I.* c. 22. v. Tromball. *de cultu SS. Diss.* rI. c. 1. etc.

sui, quod in ipso littore ad Mappalia templi magnificentissimi honore auctum tamdiu Ariana dominatione exclusi adire non potuerant. enimvero annus hic a Genserici tyrannide nonagesimus quintus Carthaginiensibus erat (7), quo denique ad Romanum rursus imperium pertinere caeperunt. Carthagine recepta, et exercitu in praesidia distributo, prima Belisarii cura fuit, ut Justinianum Aug. de rebus gestis certiorem faceret; ejusque rei caussa delectus est Salomon dux foederatorum et Belisarii Domesticus. dum autem Gilimer e proxima Numidia Vandalos suos, qui hostis metu dilapsi erant, in unum cogebat, quorum ope Carthaginem aggressus res suas confirmaret; in eo quoque Belisarius studii plurimum posuit, ut muri urbis reficerentur, et fossa circa moenia duceretur, quae antea Rex pessimo publico neglexerat. magna porro Africae conversio facta jam videbatur, quod urbs maxima in Augusti potestatem redacta esset. itaque Maurorum Reguli, qui in Mauretania et Numidia et Byzacio jamdiu imperitabant, quum Gilimerem in campo Bullensi bellum rursus in hostes molientem parum timerent, Legatos ad Belisarium miserunt, qui omnia Augusto obsequia pollicerentur, ab eoque principatus sui insignia veteri more postularent. ea erant virga ex argento inaurata, argenteus item pileus, coronae instar, lemniscis redimitus argenteis, alba praeterea lacerna, quam fibula aurea ad humerum dextrum jungebat, albaque simul tunica, sed ornatu varia, calcei denique aurati: quae Belisarius non modo libens detulit, sed etiam pecuniae vi non mediocri cumulavit (8).

VI. Eodem tempore a Salomone, quem Belisarius Constantinopolim miserat, litterae Iustiniano Aug. redditae fuerant, quae Carthaginem captam esse, et Vandalorum Imperium concidisse nunciabant. mirum, quantas Deo gratias tum egerit Augustus, et in beneficio divino praedicando quam pium se gratumque praebuerit! at votis Deo persolutis, rem publicam animo complexus, Constitutionem illam praeclaram emisit, qua receptam Africam ordinabat (9): in cujus titulo Vandalicus Africanus tunc primum appellari coepit. in ea, divinis muneribus commemoratis, Archelaum alloquens, quem Praefectum Praetorio Africae, novo apud Afros magistratu inducto, designaverat, *Sancimus*, inquit, *ut omnis Africa, quam nobis Deus praestitit, per ipsius misericordiam optimum suscipiat ordinem, et propriam habeat Praefecturam: ut sicut Oriens atque Illyricum, ita et Africa Praetoriana maxima potestate specialiter a nostra Clementia decoretur. cujus sedem jubemus esse Carthaginem, et in praefatione publicarum chartarum Praefecturis aliis ejus nomen adjungi: quam nunc tuam excellentiam gubernare decernimus. et ab ea, auxiliante Deo, septem provinciae cum suis judicibus dispoenantur: quarum Tingi et quae Proconsularis antea vocabatur, Carthago et Byzacium ac Tripolis Rectores habeant Consulares: reliqua-*

(7) v. Pagium *Crit. Bar. ad h. an. in Append. ad Chron.* Prosp. *anni LXXXIII. n. X. D. XI.*
(8) Proc. *B. Vand. lib. I. c.* 25.
(9) *Cod. lib. I. tit.* 27. *L.* 1.

vero, id est Numidia et Mauretania et Sardinia a Praesidibus cum Dei auxilio gubernentur. et in officio quidem tuae magnitudinis, nec non pro tempore viri magnifici Praefecti Praetorio Africae trecentos nonaginta sex viros per diversa scrinia et officia militare decernimus. in officiis vero Consularium ac Praesidum quinquaginta homines per singula officia esse sancimus. post haec Iustinianus quae cuique emolumenta adsignaret ac legitima esse vellet, accurate adjecit: cupiditatem et vim omnem cohibere conatus, ne jam Afros libertatis, quam erant adepti, poeniteret. anno haec vertente ad Archelaum in Africa militantem ea conditione missa, ut ex kal. Septembribus anni insequentis, quo die Indictio XIII. incohabatur, edictis antea propositis pervulgata, in legum numero haberentur. simul de militaribus judicibus et de officiis eorum et de alio exercitu per aliam sanctionem se deinde statuturum pollicitus est.

VII. At in Africa sub anni exitum, quia Tzazo Regis frater e Sardinia evocatus Vandalorum manum haud exiguam adduxerat, nec minor indigenarum numerus e Mauris etiam excitus Bullam convenerat, Gilimer eo copiarum adspectu confirmatus atque erectus in spem venit Carthaginis recuperandae: quumque cives etiam Arianae factionis intus ad proditionem paratos comperisset, nihil sibi cunctandum censuit, et Carthaginem suis contendendum edixit. nondum tamen Regis exercitus Bulla digressus fuerat, quum Belisarius de urbis insidiis admonitus, proditionis auctorem Laurum civem Carthaginiensem in colle, qui est contra Carthaginem, suspendio interemit. atque idem protinus eductis ab urbe copiis adversus Gilimerem profectus, castra ejus ad Tricamarum posita offendit, millia passuum vix decem et octo ultra Carthaginem, ibique exercitum in diem crastinum continuit. pugna postridie sub prandium commissa: eaque Vandalorum caede et Tzazonis morte insignis fuit: Gilimer fuga evasit, quem in Numidiam concedentem frustra insequutus Belisarius ipse, quum Hipponem Regium pervenisset, Pappua monte occupato, tutum illum inaccessae rupis verticibus, nullo modo capi posse intellexit. castra interea hostium capta, et pecuniae potissimum vis in illis tanta reperta est, quantam nemo alias unum in locum congestam viderit. non pauci e Vandalis, qui pacem implorabant, in fidem recepti, Carthaginemque deducti. alii dilapsi deserta Africae loca meridiem versus penetrasse feruntur (10), nec deinde cuiquam visi esse: quorum nepotes in ultima illa barbaria adhuc degere credibile est. Belisarius, quem Carthagine adesse intererat, Pharae Erulo Duci mandata dedit, ut Gilimerem obsideret, et annonam intercluderet, ne ad eum perferri posset. ipse, gaza etiam regia in Hipponensi portu occupata, ad suos rediit. quae omnia trimestri spatio gesta, ex quo primum cum hoste ad Decimum pugnatum est. nam post idus Decembres victor exercitus Carthaginem jam se receperat (11).

(10) Anonym. Raven. *lib. I. c.* 3.

(11) Proc. *B. Vand. lib. II. c.* 3.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXIII.

Bonifacio Episcopo Carthaginiensi

I. QUARTUM hoc anno Consulatum cepit Iustinianus, collega ei dato in Occidente Decio Theodoro Paullino, qui Consulum Occidentalium ultimus fuit. Carthagine res inter arma nondum ordinatae Bonifacio Episcopo minus favebant, quo Ecclesiam suam maturius ad veterem splendorem dignitatemque revocaret. sed tamen templa omnia Catholicis cesserant, et Arianorum factio plane jacebat, proditionis etiam notata crimine, quo se nuper obstrinxerat. fausta autem omnia Ecclesiae Africanae speranda esse, ubi armorum strepitus conticuisset, et Iustiniani Aug. munificentia et Belisarii ipsius virtus ac pietas portendebant. at hunc maxime reliquias belli persequentem respublica etiamtum exercebat. Gilimere enim nondum subacto, nihil satis tutum videbatur. nec provinciarum fides diu mansura erat, nisi eae praesidiis firmarentur. itaque dum Pharas Gilimerem obsidebat, atque ad deditionem hortabatur, Belisarius, qui sub veris initium Constantinopolim cogitabat, mature per delectos duces Sardiniam Corsicamque ad officium redire coegit: tum Caesaream Mauretaniae praecipuam urbem communivit, Septa ad fretum Gaditanum occupavit, insulas Ebusam et Baleares recepit, auxilia Tripolitanis submisit, Lilybaeum denique, ubi Vandali castellum habuerant, recuperare conatus est, contra obnitentibus Gothis, qui universam insulam ad se pertinere contendebant. quod jam unum restabat, Gilimer fame aerumnisque tandem ad deditionem compulsus est, quem Belisarius tertio post mense, quam se in Pappuam montem conjecerat, in fidem recepit, jurejurando pollicitus, incolumem eum cum suis fore, et apud Augustum honorifice habitum iri. atque hic belli Vandalici finis fuit: nisi quod deinde Salomoni, quem Augustus in Africam remiserat, ac Belisarius discedens rem bellicam ipsius loco administrare jussit, multae cum Mauris pugnae fuerunt, levitate ingenii perfidiaque rebellibus, quos ne maximae quidem clades perdomuerunt.

II. Quonam autem ordine Africam Iustinianus ab exercitu, quem hoc anno novis etiam copiis auxit, defendi voluerit, declarat ipse in ea Constitutione, quam anno superiore ad Belisarium se missurum promiserat. *Sancimus*, inquit (1), *ut Dux militum Tripolitanae provinciae in Leptimagnensi civitate sedes interim habeat: Dux vero Byzacenae provinciae et in Capsa et altera Lepte civitatibus interim sedeat. Dux vero Numidiae provinciae in Constantinensi civitate sedes interim habeat. Dux autem Mauretaniae provinciae in Caesariensi civitate interim sedeat. jubemus etiam, ut in trajectu, qui est contra Hispaniam, qui Septa dicitur, quantos providerit tua magnitudo, de militibus una cum Tribuno suo homine prudente et devotionem servante Reipublicae*

(1) *Cod. lib. I. tit. 27. L. 2.*

nostrae per omnia constituas, qui possint et ipsum trajectum semper servare, et omnia, quaecumque in partibus Hispaniae vel Galliae seu Francorum aguntur, viro spectabili Duci deaunciare, ut ipse tuae magnitudini referat. in quo trajectu etiam dromones, quantos provideris, ordinari facias, in Sardinia autem jubemus Ducem ordinari: et eum juxta montes, ubi barbaricae gentes videntur sedere, habentem milites pro custodia locorum, quantos et ibi tua magnitudo providerit. hactenus Iustinianus, qui et sua cuique stipendia adtribuit, et limitaneos antea milites a Belisario constitui voluit, quam Carthagine solveret, ad Augustumque rediret. hanc legem idibus Aprilibus emissam constat: nec multo post cum altera, quae anno superiore edita, ad Archelaum missa fuerat, in Codicem Justinianeum relatam esse, eum nempe, quo nunc utimur, et quem veteres repetitae praelectionis, sive editionis secundae nominarunt.

II. Jam vero Africa, legibus Augusti promulgatis, Archelai Praefecti Praetorio auctoritate et Salomonis Magistri militum ductu regi defendique coeperat. nam Belisarius, qui reditum jamdiu parabat, postquam litteris inimicorum interceptis rescivit, hoc agi, ut apud Augustum affectatae tyrannidis insimularetur, iter suum etiam diligentius maturaverat. nec a portu Carthaginiensi etiamtum solverat classis, quae Belisarium revehebat, quum Salomoni nunciatum est, Mauros qui Byzacium et Numidiam incolebant, quosque Belisarius nuper regiis insignibus exornaverat, repente defecisse, neglectoque foedere bellum moliri. ea caussa fuit, cur Belisarius maximam partem Praetorianorum militum in Africa subsidere juberet, quorum opera Salomon adversus Mauros uti posset. ipse autem Salomon primum quidem litteris ad barbaros missis de violato foedere questus, minis eos et Augusti nomine atque auctoritate deterrere conatus est: deinde quum responsum ab eis durum impudensque accepisset, in Byzacenam provinciam totum infudit exercitum, et Mammam usque progressus est ignobile oppidum, cui tunc primum a Maurorum clade accessit fama. illic nimirum maxima pugna disjecti Mauri, et ad decem millia caesi: cameli eorum abacti, capta castra, feminaeque et pueri in servitutem abducti (2). porro Salomon, pacata brevi provincia, victorem exercitum praeda onustum Carthaginem reduxit, populumque universum parta victoria exhilaravit: cujus rei ergo ad omnia templa supplicatio fuit: gratiaeque Deo actae, quod barbaros ultus, securitatem provinciis et Imperio Romano veterem gloriam asseruisset.

III. Haec dum in Africa gerebantur, Belisarius emenso mari Constantinopolim appulsus, opes Vandalorum et multarum urbium ipsiusque Romae vetera spolia cum Gilimere et insignibus quibusque captivis exposuerat. Iustinianum vero tot illa rerum gestarum monumenta ita perculerunt, ut omni suspicione abjecta, Belisario egregiae virtutis prae-

(2) Proc. *B. Vand. lib. II. c. 11.*

conium deberi fateretur. nec praemia summo invictoque viro diu distulit, quae merebatur. nam eum quamprimum, quod antea nemini privato concessum fuerat, Constantinopoli Romano more triumphare voluit: cujus tamen triumphus ita actus est, ut pompa a victoris aedibus in Circum duceretur, ipse Dux non e curru sublimis, sed pedes procederet usque ad Augusti solium, qui in extremo Circo sedebat. majus ceteris spectaculum populo fuit ipse Gilimer ad Iustiniani pedes advolutus, quem paullo ante in Africa regnantem maximi quoque Reges metuebant. ceterum Iustinianus eum benigne habuit, praediis in Galatia adsignatis, ubi commode vitam secureque cum suis ageret. quin et honorem ei illa aetate maximum indulsisset, ut in Patriciorum numerum cooptaretur; nisi in Ariana haeresi obfirmato animo manere maluisset, et sacra nostra, ad quae invitabatur, pravo errore aversatus esset. cum Gilimere conjugem ejus Reginam Constantinopolim a Belisario adductam, a Malala traditum invenio, qui (3) Iustiniani res gestas accuratius est persequutus. id vero hoc tum boni habuisse crediderim, ut et principibus feminis documento esset, quantum intersit, uxsores in prosperis rebus de virorum suorum modestia et virtute laborare.

(3) *in Justiniano p. 77. edit. Venet.*

ANNUS CHRISTIANUS DXXXV.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum hoc anno cepit, solusque gessit Belisarius. hunc ei honorem Iustinianus addidit, quo acti triumphi gloriam cumularet. cujus processum recentes belli Vandalici manubiae, quas populo sparsit, insignem reddidere. eodem tempore vasa Judaeorum aurea ab Imp. Tito in urbem post Hierosolymorum excidium asportata, ac deinde a Genserico in urbis direptione avecta in Africam, quae nuper Belisarius cum reliqua praeda ad Iustinianum attulerat, jussu ejus Hierosolyma perlata sunt, ut in Christianorum templis dedicarentur (1). quod ne Carthaginiensibus quidem ingratum fuisse crediderim, quum praeclara illa spolia non tam sibi ablata intelligerent, quam urbi reddita, quae postliminii jure repetere videretur. nam de ipsius Augusti erga se voluntate dubitare haud poterant, qui urbem Vandalorum incuria deformatam refici excolique jusserat, eamque de nomine suo Iustinianam appellabat.

II. Annus hic erat pontificatus a Bonifacio suscepti undecimus, quem Deus ante vitae exitum immortali beneficio affectum ad caelestem patriam tum denique evocavit, quum Ecclesiam suam a Vandalorum jugo liberatam ad veterem prope splendorem jam rediisse perviderat. hujus loco factus est Reparatus (2), quem ab ipsis Episcopis numero ducentis decem et septem creatum crediderim, qui hoc anno Concilium Carthagine

(1) Proc. *B. Vand. lib. II. c. 9*

(2) Vict. Tonn. *in Chron.*

celebraverunt. quamquam rem affirmare non audeo, quia Concilii hujus Acta ipsa desiderantur. verum illud constat, multas Episcopis conveniendi fuisse caussas, quemadmodum ex litteris eorum et legationibus manifestum est. ac prima quidem fuisse dicitur, ut veterem Conciliorum convocandorum morem reducerent. nam in epistola, quam ad Ioannem Pontificem maximum miserunt, cui, ut dicemus, Joanne demortuo, rescripsit Agapetus, praefatione hujusmodi usi sunt (3). *Optimam consuetudinem praeteriti temporis, quam violenta captivitas per annos centum, dolentibus cunctis, abstulerat, iterum servare cupientes, ad universalem totius Africae synodum fideli devotione convenimus, in illa Justinianae Carthaginis Basilica congregationis nostrae primitias Domino consecrantes, unde nostros patres tyrannus Hunericus expulerat.* erat haec celebris illa Fausti Basilica, quam multae in primis Martyrum exsuviae insignem fecerant. jam ex eorundem litteris apparet, quum in Africa ab Arianis patrocinio Principis fretis multi olim e Catholicis ad sectam eorum traducti essent, iidemque, quia metu defecerant, tyrannide deleta, ad Catholicos redire parati essent, hanc Episcoporum maximam fuisse curam, ut quibus tandem conditionibus recipiendi essent, ex Ecclesiae universae praescriptis deliberarent. qui quidem tanta in re quum plerique omnes haererent, judicium Pontificis maximi exquirendum censuerunt, certi ea sancte integreque servare, quae ille auctoritate sua sententiaque comprobasset. *Definitionibus*, inquiunt, *Nicaeni Concilii publica lectione transcursis, inter alia, de quibus nancisci debuit, disputatione requiri jam coeperat, quomodo Arianorum Sacerdotes ad Catholicam Fidem suscipi oporteat: utrumne in suis honoribus, an in laica communione: sic omnibus nobis unanimiter subito placuit sciscitari primitus beatitudinis vestrae sententiam. potest enim Sedes Apostolica, quantum speramus, tale nobis interrogantibus dare responsum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat. ex omnium quidem collegarum tacitis motibus nemini placere sensimus, ut in suis honoribus Ariani suscipiantur. veruntamen convenire caritati credidimus, ut quid habeat sensus noster, in publicam notitiam nemo perduceret, nisi prius vel consuetudo nobis vel definitio Romanae Ecclesiae proderetur.* post haec quaesitum etiam de pueris apud Arianos baptizatis, *Vtrum soleant vel debeant ad Clericatum, si petierint, applicari.* caput autem epistolae ultimum erat, de numero Episcoporum esse non ita paucos, qui relictis Ecclesiis suis ad transmarinas regiones navigarent. *Hos*, ajunt, *diutius Ecclesia toleravit, accusantes violentiam temporis mali. petimus nunc, ut quicumque forsitan Episcopus aut Presbyter sive Diaconus aut cujuslibet inferioris ordinis Clericus sine nostra epistola venerit, et non approbaverit, se pro utilitate sanctarum Ecclesiarum fuisse directum; similis haeretico judicetur, neque vestra communione dignus exsistat: ut in omnibus et per omnia*

(3) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1154.

beatitudinis vestrae disciplina laudetur. delecti mox qui Romam cum mandatis legarentur, Cajus et Petrus Episcopi, quibus additus est Liberatus Diaconus, is, qui postea doctrinae laude inclaruit, et Nestorianas Eutychianasque controversias historia complexus, Breviarium eorum temporum edidit. quod hunc autem Patres mittere, quam Fulgentium Ferrandum maluerint, jamtum Diaconorum Carthaginiensium clarissimum, ideo factum, opinor, quia istius opera domi uti volebant, cui et major aetas erat, et in Ecclesiarum legibus cognoscendis usus jam plurimus tribuebatur. is enim est, qui *Breviationem Canonum Ecclesiasticorum* vulgavit.

III. Haud parum deinde interesse visum est, ut et de Monachis quaestiones quaedam dirimerentur. nam qui Fulgentio Ruspensium Episcopo successerat Felicianus, quum in Ecclesia sua monasterium invenisset a decessore constitutum, id scire avebat, quid sibi in eos Monachos juris esset, quidve praestare ipse deberet. injecta autem monasterii mentio eorum memoriam refricavit, quae sub Bonifacio in superiori Concilio decreta fuerant (4): itaque Jacterensis Ecclesiae Episcopus Felix, *De monasterio*, inquit (5), *Abbatis Petri, ubi nunc Fortunatus Abbas constitutus est, quae temporibus sanctae memoriae Bonifacii in universali Concilio nobis etiam praesentibus acta sunt, inconvulsa permaneant.* tum haec proposuit, quae omnium judicio comprobarentur. *Cetera,* inquit, *monasteria etiam ipsa libertate plenissima perfruantur, servatis limitibus Conciliorum suorum in haec duntaxat, ut quandocumque voluerint sibi Clericos ordinare, vel Oratoria monasteriis dedicare; Episcopus, in cujus plebe vel civitate locus monasterii consistit, ipse hujus muneris gratiam compleat, salva libertate Monachorum: nihil in eis praeter hanc ordinationem vindicans, neque ecclesiasticis eos conditionibus, aut angariis subdens.* addebat, non oportere, ut Episcopus quispiam in ullo monasterio cathedram collocaret, aut qui habuissent, in posterum haberent: monachos enim in Abbatum suorum potestate esse debere. nec vero Abbates in demortuorum locum, nisi ex monachorum suffragiis legendos esse; aut controversias monachorum nisi ex Abbatum judicio finiendas, nisi forte ob dissidia ad provinciae Primatem confugiendum videretur. placere etiam, ut Episcopi, qui in Ecclesia sua monasterium haberent, in sacrificio eos tantum cierent, quos ipsi sacris initiassent: quippe id paci conservandae profuturum: denique ut lege sanciretur, ne monachum quisquam sine bono testimonio permissuve Abbatis in Ecclesia sua Clericum facere, aut ad honorem ullum promovere posset. haec Felicis sententia fuit, quam Patres sequuti esse videntur.

IIII. Restabat, ut ad rei Catholicae tutelam, quae summum eo tempore praesidium implorabat, Principe tam longe agente, Apocrisiarium designarent, qui Constantinopoli negotium Ecclesiae apud Augustum gereret:

(4) v. *an.* 525. *n.* 4. (5) apud Hard. *Conc. T. II. p.* 1178.

quod et Pontifices maximi jamdiu factitabant, et Antistites Carthaginienses postea retinuerunt. nomen Legati hujusmodi a responsis habuerunt, quae reddebant auferebantque, ac Responsales fere appellati sunt. tanti muneris caussa Theodorus Ecclesiae Carthaginiensis Diaconus renunciatus est, mandataque ei primum data, ut opem Principis posceret adversus eos, qui tyrannis dominantibus Ecclesiarum bona occupaverant, atque Episcoporum jura minuerant. quae vero praeterea in Concilio gesta constitutaque sint, actis ejus deperditis frustra quaeramus. illud compertum est, quae Patres de Haereticis deliberassent, qui ad Ecclesiam redituri videbantur, manasse in publicum, atque Arianos in primis Episcopos qui Pontificatu abire nollent, impulisse, ut anteverterent, maturiusque ab Augusto honoris sui patrocinium postularent. nam paullo post Iustinianus ea de re ad Agapetum Pontificem maximum scripsit enixeque petiit, ut Arianorum resipiscentium ratio haberetur, ac sua singulis sacerdotia condonarentur. porro hieme dimissum Concilium apparet: nam illud constat, Legatos ne tum Romam solverent, hieme esse prohibitos. quae caussa fuit, cur litterae, quas Patres Ioanni Pontifici maximo inscripserant, Agapeto redderentur, qui in ejus locum Aprili mense successisse putatur.

V. Romam certe Legati sub veris finem pervenisse videntur: qui quum ad Pontificem maximum deducti essent, redditisque Reparati litteris Concilii mandata exposuissent, mirum, quam humaniter eos officioseque acceperit Agapetus: cui sane gratissimum fuit, Episcopos Africanos in summa illa recuperatae libertatis laetitia principatus Apostolici immemores non fuisse. eminent haec in ipsa Agapeti epistola (6), quae inscripta est Reparato, Florentiniano, Datiano et ceteris Episcopis per Africam constitutis. in qua deinde, nihil Augusti litteris permotus, quas et scite refutarat, sententiam Concilii de Arianorum ambitione coërcenda apprime laudat, eamque majorum legibus consentaneam ostendit, qui eos ad Ecclesiam redeuntes subsidiis juvandos, ab honoribus arcendos putaverunt. *Laudamus*, inquit, *hortamur, amplectimur, ut revera ejus promotionem, aut officium, in quo fuerit, abnegantes, canonum vos reverentia judicent omnes appetere potius, quam gerere cupiditatis ardorem.* tum de iis, quae Patres postremo petebant, adjecit: *Illud quoque, quod Catholicos, qui praesunt aut militant Ecclesiae, sine Sacerdotum suorum litteris suscipi a nobis minime debere mandatis, et canonibus est congruum, et disciplinis prodesse judicamus ac fidei: quia permanendo in Ecclesiis, in quibus militant, et ministerii sui poterunt adsiduitate in Dei Salvatoris nostri amore fervescere, et quae in pervagatione reprehensibilia sunt, vitare.* scripta haec quinto idus Septembres. nec serius idem privatis Reparati litteris respondit, quae eximiam amoris significationem habebant. in quibus se etiam ad ea, quae Legati verbis exposuerant, responsum per Legatos redditurum pollicetur. sed de hujusmodi

(6) *epist. Rom. Pont. T. I. Agap.* 1. v. Baron. *ad an.* 535.

legatione nihil accepimus: quamquam non leve indicium est, pontificatus Carthaginiensis caussa missam fuisse. nam haec Agapetus subjecit (7): *Vniversa praeterea, quae inimicorum perversitas invaserat, caritati tuae Metropolitana jura reparantes hortamur, ut ea, quae tuo vel aliorum nomine rescripsimus, universis debeas innotescere: Metropolitani quippe auctoritate suffultus, ne quis se excusabiliter asserat ignorare, quod Sedis Apostolicae principalitas canonum consideratione praescripsit.*

VI. His Agapeti responsis decretisque Ecclesia Carthaginiensis in pristinam dignitatem revocabatur. res vero publica Augusti studiis ac rectorum prudentia crescebat. nam Archelao, qui primus in Africa Praefecturam Praetorii administraverat, viro Patricio, magnisque honoribus antea perfuncto (8) Salomon successerat Magister militum, quem item virtus jamdudum ac rerum gestarum gloria decorabat. hunc Iustinianus sub ipsum anni exordium, lege lata (9), dare operam jusserat, ut Afri ea, quae Vandalorum temporibus vel ipsis vel propriis parentibus vel avis utriusque sexus, vel ex transverso cognatis usque ad tertium gradum erepta essent, intra quinquennium vindicarent, nisi legitimis praescriptionibus excluderentur, eaque conditione, ut ad comprobandum genus partes ambae probationes proferrent. tum etiam praescripserat, uti omnes Afri Romanis legibus subditi essent. exinde quum a Theodoro Responsali edoctus esset, quantas olim calamitates molestiasque Ecclesiae Africanae ab Arianis pertulissent, sanctione altera kalendis Augustis edita, de his etiam praeclara meritus est. atque ejus legis haec summa erat (10): ab Arianis ablata capiunto, sibique habento Ecclesiae Africae: eodemque jure sibi vindicanto, quaecumque alius quispiam vel longissimo tempore injuste detinet. Arianum, Donatistam, Haereticum, qualiscumque is fuerit, sacra facere, Episcopos legere, Clericos creare, baptismo abluere, nefas esto. iidem ab actis publicis amoventor, neve curationem aut magisterium gerunto. Iudaeus servum Christianum ne habeto, neve Catechumenum circumcidito. Synagoga his, speluncave aut domus conventus caussa ne sit. Ecclesia Carthaginis Justinianae eo honore potiatur, quem Metropolitanae civitates obtinent. quicumque in templa eorumque fines confugerint, iis impunitas detur, nisi homicidium raptumve virginis aut vim in Christianum admiserit. quae in templis Deo oblata dicatave fuerint, ea sancta, inviolata intactaque sunto. hactenus nova Iustiniani lex: nolim tamen hac Antistiti Carthaginiensi additum juris quidquam existimes, quod non antea ipse vera et legitima auctoritate obtineret: quale utique a Iustiniano proficisci non poterat.. antiquissimus enim hic erat inter Ecclesiae Primates, et Pontificis maximi vice sacra per Africam fungebatur (11).

(7) *ibid. Agap.* 2. *in fin.* v. Morin. *lib. I. Exercit.* 32. *p.* 102.
(8) Proc. *B. Vand. lib. I. c.* 11.
(9) *tit.* 15. *Nov.* 36.
(10) apud Bar. *ad h. ann.*
(11) v. Morin. *lib. II. Exercit.* 32. *p.* 102.

vI. Ceterum Salomon, ad quem ea lex data fuerat, quum Augusti voluntati obsequutus, Arianos in primis parere cogeret (12), graviter apud eos offendit, atque ex hoc tempore ab inimicorum insidiis vix unquam tutus, saepe in vitae discrimen adductus est. ante hos tamen grave ei negotium Mauri facessere iterum ausi sunt. nam post eam cladem, quam superius commemoravimus, qui fuga elapsi fuerant, ut Salomonem cum exercitu in urbem rediisse audiverunt, alacriores facti, undique rursum convenere, ac provinciam Byzacenam depopulari coeperunt. castris deinde in Burgaone monte positis, qui summo in vertice praeruptus ac natura ipsa munitus recessum praebere poterat, medio in clivo hostem opperiebantur. haec ut rescivit Salomon, contra Mauros profectus, exercitum, quasi ad pugnam invitaturus, in planitie explicavit, quae sub monte patebat. noctu autem militum lectissimos fidissimosque clam misit, qui montis verticem a tergo hostium occuparent, tacitique usque ad solis ortum quiescerent. ubi illuxit, exercitum in Maurorum castra immisit; eodemque tempore cohors illa, quae summam rupem insederat, buccinarum clangore ac telorum jactu initium pugnae fecit. enimvero Mauros, qui se repente inter hostium agmina medios, et perfugium sibi interclusum viderent, tantus terror pervasit, ut nihil jam tutum satis putarent, quo se reciperent. quare effusi nullo ordine equites peditesque, in angustos saltus urgente metu se conjiciebant, aut acti in praeceps, vulneribusque mutuis confossi prolabebantur: ut majorem Mauris perniciem terror, quam hostis intulerit. cecidisse eo die ad quinquaginta millia, fama fuit: quum in exercitu Salomonis ne unus quidem desideratus sit, aut vulnus acceperit (13). exinde praeter Antalam, qui numquam defecerat, suosque in officio continuerat, Mauri reliqui jam ad paucos redacti Byzacenam provinciam deseruerunt, atque in Numidiam cum suis ducibus concedentes, Iabdae reguli fidem implorarunt, qui ad Aurasium montem imperitabat. at Salomon victoria potitus ditatum praeda exercitum Carthaginem reduxit: et quum satis pacata urbs esset, muris perficiendis operam dedit (14), quos primus refecerat Belisarius, et fossam ab eodem ductam absolvit: ut magnum jam in una Carthagine omnium provinciarum praesidium esse videretur.

(12) Proc. *ibid. lib. II. c.* 14.
(13) Proc. *B. Vand. lib. II. c.* 12.
(14) *idem de aedif. Just. lib. VI. c.* 5.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXVI.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Fuit hic annus sine Consulibus: itaque eum Graeci primum post Consulatum Fl. Belisarii, Latini secundum post Consulatum Paullini appellarunt. a Jabda et Mauris Aurasianis, qui Numidiam excursionibus et latrociniis infestam reddebant, novae belli caussae Salomoni fuerunt: quo

tempore Belisarius feliciore exitu Gothos ex Italia pellebat. idem annus Agapeti Pontificis maximi ultimus fuit: decessit enim x. kalendas Majas Constantinopoli, quo Regis Theodati rogatu profectus fuerat: in ejusque locum factus est Romae Silverius. jam quae Episcopos Africanos cura post Concilium anni superioris exercuerit, quid Reparatus, quem veluti parentem summum Ecclesiarum suarum Afri suspiciebant, quid Florentianus, qui Numidiae, quid Datianus, qui provinciae Byzacenae Primatum honore praefuisse putandi sunt, rei Catholicae caussa perfecerint, scriptorum nemo, qui supersunt, litteris tradidit. sed Salomone Praefecto, quem animi virtus et Principis auctoritas confirmabat, multa ab eis strenue ordinata, ac bonorum etiam, quae ad Ecclesias pertinebant, pleraque recepta esse ambigendum non est.

II. Sub hiemem e Numidia Carthaginem redierat Salomon, classem instructurus, quae in Sardiniam navigaret adversus Mauros a Vandalis olim in eam insulam deportatos: qui numero aucti latronum more insulam universam vexabant. at gravius in urbe malum nec opinanti impendebat, unde rei quoque publicae summum periculum creabatur. militum quippe conflata paullatim seditio est, quae demum sollemnibus Paschae diebus exarsit. primum enim Vandalorum filiae, quas Romani milites in matrimonium duxerant, viros suos hortatae dicuntur, ut parentum suorum bona, quae fisco cesserant, quasi dotem uniuscujusque propriam sibi vindicarent. tum vero Episcopi Sacerdotesque Arianorum, qui nuper templa omnia amiserant, et in ordinem redacti fuerant, quum in exercitu fautores ex eadem secta haberent non paucos, facile eos, magna spe proposita, adduxerunt, ut conjuratis se adjungerent, et Catholicorum injurias ulciscerentur. accessit etiam ex improviso nova caussa, unde vel timidis animus accrevit. nam Vandalorum militum, quos Belisarius in Graeciam adduxerat, haud contemnenda manus, dum in Peloponnesum navigabat, converso per vim cursu in Africam redierat, et ad Aurasium montem pervenisse ferebatur. consilium autem conjuratorum fuit, ut primo divinae Resurrectionis die Salomonem sacris in templo adstantem interficerent. nec deerant in ipso stipatorum ejus domesticorumque numero, qui tantum in facinus consensissent. verum quo die caedes patranda erat, quum ille nescius insidiarum in templo, ut solebat, supplicaret, nemo ex iis, qui eo ad scelus convenerant, vim primus inferre ausus est: quamquam alter alterum nutu hortabatur, ac manu gladium stringens paratum se ad caedem ostendebat. hominum enim impiorum Deus fregit audaciam, furoremque continuit. qui quum templo re infecta egressi essent, se ipsos tamen ignaviae damnabant, et socordiam invicem desidiamque objiciebant. itaque facinus in diem proximum differunt. ac templum mane eodem animo ingressi, quum jam quisque Salomonem aggressurus videretur, omnes metu prohibiti sunt, progressique in forum, conviciis ipsis, quibus sese appetebant, consilium suum prodiderunt. ita res ad Salomonem perlata, et tota conjuratio detecta est. auctores con-

spirationis, qui se in urbe sine periculo esse non posse intelligerent, Carthaginem reliquerunt, et in proximos vicos dilapsi, Afros quosque hostilem in modum vexavere. qui in urbe restiterant ejus sceleris conscii, quietem prae se ferebant, et Salomoni ad fidei pacisque studia hortanti ultro adsentiri visi sunt. sed postquam ex agris regressi qui aufugerant, animos timidis addidere, crevit seditiosorum numerus, et in Circo potissimum, quo Salomon miserat, qui eos placaret leniretque, multa in Salomonem ipsum dicta impudenter, et formidines etiam oppositae minaeque jactatae. nec multo post dux excubitorum in praetorio data opera interemptus, atque inde initium caedis factum. haec Salomonem impulere, ut fuga sibi ipse consuleret, rem vero publicam militum ducibus, qui provincias tuebantur, commendaret. quorum quidem opera factum est, ut factione ejecta Carthago retineretur. Salomon vero, quum se periculo eriperet, eo consilio in Siciliam navigavit, ut Belisarium ex illa insula in Africam reduceret, quam nempe et Romano Imperio primus rursum adjunxerat, et nominis sui auctoritate ac rerum gestarum gloria compleverat. Salomonis consilium sapiens ipsa fausti eventus celeritas comprobavit. nam tota militum consociatio, qui in subita illa defectione Ducem sibi legerant Stozam, et Carthaginem obsederant, simul atque de Belisarii adventu certiores facti sunt, repente dissoluta est, copiaeque dissipatae Membresam raptim se receperunt, quae millia passuum fere triginta septem Carthagine distabat. eo autem Belisarius cum delecta manu profectus, commissa pugna hostes in fugam conjecit, castrisque eorum captis, milites suos non exigua pecuniae vi praedaque omni ditavit. post eam cladem Stozas in Numidiam concessit: Belisarius Carthaginem reversus, quum eo nuncii venissent, in Sicilia turbatum esse, redire maturavit. ipsa urbs Ildigeris et Theodori ducum fidei commissa est. nam Salomon Praefectura defunctus sub anni finem Constantinopolim remeasse videtur, idemque Iustiniano auctor fuisse, ut copiis in Africam submissis numeros suppleret, receptasque provincias majoribus praesidiis defenderet. haec fuse omnia copioseque Procopius, quae nos Ecclesiam Africanam spectantes leviore stilo persequuti sumus.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXVII.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic quoque Consulibus caruit, quem Graeci secundum dicunt post Belisarii Consulatum, Latini tertium post Consulatum Paullini: Augusti autem a suscepto Imperio undecimum numeramus. nam Iustinianum in Imperii societatem adscivit Iustinus, Augustumque appellavit kalendis Aprilibus anno DXXVII. quam hic notam dum addimus, legi paremus, quam hoc anno Iustinianus edidit (1), ut omnes, qui Romanis

(1) Iust. *Nov.* 47.

finibus continerentur, quacumque forma documenta conscripturi essent, certo deinde indicio Imperii Augusti annum signarent. hoc eodem anno vitae suae splendorem Belisarius macula aspersit, qui Theodorae Augustae cupiditati indulgens, Silverium Pontificem maximum per vim cepit, atque in Graeciam deportandum curavit: ejusdemque admonitu Vigilii ambitum fovit, et Pontificatum ei, Silverio vivo nec talia merente, deferri jussit: Dei beneficia oblitus, cujus ope toties victor, Romam etiam, Gothis ejectis, paullo ante in libertatem vindicaverat.

II. Iamvero in Africam Augustus Germanum fratris sui filium miserat, non magna militum manu stipatum, qui Salomoni succederet, et Praetorii Praefectura fungeretur. huic additi senatores duo Symmachus et Domnicus, quorum primus Praefecturam simul et Quaesturam Castrensem administraret; alter vero peditum Magister esset Ioannis loco, qui nuper decesserat. censu numerorum habito, comperit Germanus, quanta militum defectio in postremo tumultu facta esset (2). nam ex iis copiis, quae in Africam missae fuerant, et ceteris, quas delectu habito provinciae suffecerant, tertia tantum sub signis pars aderat: reliqui ad Stozam transfugerant, sub eoque merebant. itaque vitanda tum proelia ratus, reficiendi exercitus curam suscepit, et milites, qui Carthagine erant, atque amicos veteresque contubernales in Stozae castris habebant, humanissime tractavit, se ab Augusto missum professus, qui militibus potissimum faveret, et illatas iis injurias ulcisceretur. quae postquam ad transfugarum aures pervenerunt, multis incitamento fuere, ut Stozam desererent, ac se Germani fidei potestatique permitterent. ob eam rem, quum Germani exercitus in dies augeretur, Stozas majoris defectionis metu pugnandum maturius duxit, et animis suorum confirmatis, Carthaginem propius accessit, quo facilius milites, qui in urbe erant, vicinitate ipsa alliceret, atque ad se revocaret. verum nec ille quidquam profecit, et Germanus, copiis adversus eum eductis, totum exercitum ad pugnam paratissimum habuit. quare Stoza spe inani frustratus, magno in discrimine se suosque futuros sensit, nisi in Numidiam quamprimum ad Scalas veteres rediret, ubi castra habebat, et mulierum agmen ac pecuniam reliquerat. eum tamen recedentem non segnis brevi consequutus est Germanus, instructaque acie ad pugnam adegit: cujus quidem exitus quum aliquamdiu anceps fuisset, mox duce ipso in fugam verso, toti factioni exitialis fuit: nam et castra hostium capta sunt, et omnis inde praeda abacta est: Stozam autem ab eo die Romani, quotquot cum eo erant, milites deseruerunt: qui in Mauretaniam denique eum exiguo Vandalorum numero se recepit, et apud barbaros, abjecto bellandi studio, reguli filiam in matrimonium duxit. ita Germani opera consilioque seditio illa, quae Africae universae magnum periculum creaverat, tandem aliquando conquievit. unde etiam, non levi Ecclesiae bono, in Germani reditu pax atque otium Carthaginiensibus parta: quae tamen diuturna non fuerunt.

(2) Proc. *B. Vand. lib. II. c.* 16.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXVIII.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. SIGNANT hunc annum Consul Flavius Ioannes sine collega: eundemque annum, qui Iustiniani Aug. duodecimus erat, Latini quandoque quartum a Consulatu Paullini junioris dicunt. militum in Africa fides parum firma, quippe qui paullo ante magno numero conjuratis se adjunxerant, Maximino cuidam e stipatoribus Theodori Cappadocis animos addidit, ut tyrannidem affectaret. ceterum intra paucos dies ad Germanum delata est conjuratio: isque novo consilio Maximinum ipsum, proposito, ut mos ferebat, jurejurando, inter protectores suos adlegit minime invitum: sic enim munitam sibi magis ad regnum occupandum viam fore existimabat. simul tamen Germanus reliquos protectores admonuerat, caverent quam diligentissime, ne quid ab eo impune tentaretur. ergo ut seditio in Circo, quemadmodum condictum fuerat, exarsit, eoque conjurati confluere frequentes coeperunt, Maximinum ille nec opinantem in vincula duci jussit; moxque violati jurisjurandi crimine damnatum prope Carthaginis moenia in patibulum agi: cujus exitus terrori omnibus fuit, et conjurationis finem attulit (1).

II. Ecclesiarum vero per Africam pax summa erat; quae contra per Orientem ob veterem Origenistarum factionem quotidie turbabatur. nova enim in dies dissidia existebant, quae postea diuturnum aliud lateque serpens malum paritura erant. nimirum ex damnatione Origenis, quae totam illam discordiam consequuta est, controversiam demum exortam constat de tribus, ut vocant, Capitulis, quae dein Ecclesias plerasque quasi aestus quidam absorbuit: Afris quoque Episcopis adversus Augusti sententiam conspirantibus, quod Chalcedonensis Concilii auctoritas tribus Capitulis notatis imminui videretur. sed de his suo loco agemus.

(1) Proc. *B. Vand. lib. II. c.* 18.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXIX.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. APPIO Strategii filius Consul hoc anno processit sine collega. Iustinianus annum Imperii sui decimun tertium incohavit. prima exinde Augusti cura fuit, ut Germanum ex Africa cum Symmacho Domnicoque revocaret, eique Salomonem successorem daret virum spectatae jamdiu virtutis, quo iterum rectore provinciae, quas Germanus pacatas relinquebat, quaestuosa mercatura opibusque florerent. gratus vero adventus ejus omnibus, et ipsa Praefectura utilis multis ac salutaris fuit. civiles enim discordias submotis auctoribus plane sustulit, et factioso quoque aut suspecto milite, Vandalo in primis, Constantinopolim aut ad Belisa-

rium amandato, numeros, qui Carthagine erant, novo delectu ita supplevit, ut postea exercitu quam fidelissimo uteretur (1).

II. His ille copiis, quum Stozae factionem deletam reperisset, quod unum reliquum erat, Mauros in extrema Numidia aliquid minitantes, bello coërcendos duxit. pacem enim haud firmam fore putabat, nisi eos extra Romanos fines ejecisset. expeditione igitur suscepta, barbarorum lustra et cunabula omnia scrutatus, Zerbulen oppidum, quod Mauri in Aurasio monte condiderant, cepit atque communivit. Tumar deinde in praerupta rupe situm, et inaccessam Geminiani turrim, in quam Iabdas Maurorum regulus mulieres paullo ante atque omnem gazam conjecerat, summa vi expugnavit. toto denique monte occupato, quum praesidia passim imposuisset, Mauros facile ex Numidia universa exegit, ulterioremque provinciam, quae tum Zaba appellabatur, sed a majoribus Sitifensis Mauretania dicta est, ita recepit, ut vectigalem deinde haberet. quibus rebus fauste atque e republica gestis effecit Salomon, ut quietis in posterum Mauris, provinciae omnes per triennium pace atque otio fruerentur.

(1) Proc. *B. Vand. lib. II. c.* 19.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXX.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum hoc anno gessit Iustinus Germani filius, ejus nempe, quem anno superiore Africae Praefectura defunctum scripsimus. Iustiniani Aug. annus coepit decimus quartus, qui Vigilii Pontificis maximi tertius numerandus est, ne hujus annum legitimum habeamus, qui Silverii fuit. Vigilium enim Ecclesia Romana recepit, postquam decessorem in exsilio obiisse comperit. adversae porro in Oriente res Augustum exercebant, Persis bellum inferentibus, quibus serius oppositus est Germanus: Antiochiam enim a Chosroë captam esse direptamque constat.

II. At in Africa tantum fuit tranquillitatis atque otii, ut sese Salomon ad opera publica sine interpellatore conferret. urbes potissimum, quae moenibus carebant, muro cingere instituit. Adrumetum ante alias, quae in provincia Byzacena Metropolis habebatur, et a Vandalorum temporibus hostium incursioni patebat, moenibus communita maximis, et justo est instructa praesidio (1): quamobrem Adrumetini tantum Augusto se debere existimarunt, ut urbem suam Iustinianopolim in posterum appellandam censerent. in eadem provincia, qua barbarorum fines attingit, muro item cinctae Mamma, Telepte et Cululis: tum castrum Aumetera munitum, et praesidia in singulis collocata (2). sed illud operum maximum in ea provincia fuit, quod urbs nova ad Caputvada condita est, quo nempe loco Classis constiterat, quae primum in Africam Belisario duce naviga-

(1) Proc. *de aedif. Just. lib. VI. c.* 7. (2) Proc. *ibid. sub fin. cap.*

vit. nam illic divino quodam munere factum fuerat, ut militibus vallum ducentibus fons erumperet in arido illo solo largissimus, qui non modo tum sitim exercitus explevit, sed etiam regionem ipsam, veteri squalore deterso, idoneam reddidit, quae coleretur. ergo Augusti jussu, ut divini beneficii monumentum exstaret, urbs educta repente ex diagrammate illius atque praescripto, viae omnes directae, forum, templa, moenia condita: coloni denique novis in sedibus collocati, jusque datum, ut conventus celebrare, nundinas habere possent. num vero huic urbi Episcopus praepositus fuerit, an proximus aliquis ei praeesse jussus sit, ignoramus. quamquam credibile est, de hujus Ecclesiae administratione actum esse in eo Concilio, quod Datianus Primas anno insequenti coëgit.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXXI.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Flavius Basilius junior sine collega Consulatum hoc anno cepit, fuitque ultimus e privatis, qui Consul ordinarius processerit. Iustinianus annum Imperii sui decimum quintum incohavit. ejus hoc item anno beneficia promeruit Africa, sed Carthago in primis, quae jam Justiniana vocabatur. Salomoni enim, qui bellis confectis rempublicam egregie ordinaverat, procuratio operum publicorum delata fuerat, ut ad Augusti ingenium Imperii viribus aedificaret, urbemque principem clarissimis monumentis exornatam relinqueret. exstructae igitur porticus amplissimae ad latus utrumque ejus fori, quod maritimum dicebant: thermae praeterea magnificentissimae dedicatae sunt, quas Carthaginienses de uxoris Augusti nomine Theodorianas appellaverunt (1). porro et Ecclesiae simul religionisque habita ratio: nam intra urbem eandem ad portum, qui Mandracius nuncupabatur, Monasterium magno sumptu aedificatum est, muroque cinctum adeo firmo, ut pro propugnaculo quandoque fuerit (2). in id monasterium ex Oriente submissos tum esse ab Augusto Monachos Sabaitas, turbae, quae id temporis ob Origenistarum motus in Palaestina maxime erant, prope persuadent. quippe plerosque omnes inde diffugisse, atque in alias terras migrasse adnotum est (3): ex Africa vero ad Concilium Lateranense, quod Martinus saeculo proximo convocavit, profectum esse novimus (4) Theodorum Abbatem venerabilis Laurae in Africana provincia constitutae. ad hunc item annum pertinet Augusti Novella Constitutio CXXXI. de Ecclesiasticis titulis et privilegiis, in qua, postquam aliarum Ecclesiarum privilegia confirmasset, haec de Episcopo Carthaginiensi sanciebat: *Simili modo jus Pontificis, quod Episcopo Iustinianae Carthaginis Africanae civitatis dedimus, ex quo Deus hanc*

(1) Proc. *de aedif. Iust. lib. VI. c.* 5.
(2) Proc. *B. Vand. lib. II. c.* 19.
(3) *Cyrill. Scyth. in V. Sabae n.* 88. *etc.*
(4) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 719.

nobis restituit, servari jubemus. Graece scripserat Iustinianus, *της Αφρικης Διοικησεως*, quibus verbis jus Carthaginiensis Primatis in Africam universam declaratur, nec tamen novum et ab Augusto profectum, sed ab ipsa Ecclesiae Africanae origine incohatum, quod ipse in Africa Pontificis maximi vice fungeretur (5). ceterum ejusdem Principis beneficio cum rei publicae splendor augebatur, tum Ecclesiae etiam dignitas eminebat.

II. Dum ea autem Salomon Carthagine urgebat, in provincia Byzacena, quam novae urbium munitiones tutam ab hostibus tranquillamque praestabant, Datianus Primas Concilium cogendum duxit. in eo quid in controversiam venerit, quidve a Patribus decretum fuerit, minus constat. acta enim vetustatem non tulerunt. sed illud compertum est, binos a Concilio Episcopos Restitutum et Heracleum Constantinopolim ad Augustum Legatos esse, eosdemque legatione sua praeclare functos. id nempe litterae Augusti, quae exstant, ad Datianum et omne Concilium aperte declarant (6). *Restitutus,* inquit, *et Heracleus reverendissimi viri omnium quodammodo vestri Concilii Sacerdotum non relationem tantum, sed etiam visi sunt attulisse praesentiam. relucebat namque in eis puritas vestrae auctoritatis et vitae. non solum Ecclesiasticis caussis, sed totius provinciae utilitatibus praefuerunt, dicentes quibus jam beneficiis gaudeatis, et quae a nostra sunt mansuetudine conferenda. unde precibus eorum summa cum benignitate susceptis, ad universa respondimus; et quantum apud nos eorum legatio valuit, ipsa testatur exhibitio praestitorum. quaecumque igitur ad privilegia vestra vestrique Concilii pertinent, juxta veterem firmamus disciplinam.* haec Augustus pridie nonas Octobris rescripsit: quae Legati retulisse videntur, unaque sanctionem eorum, quae ab Augusto impetraverant, quorum alia Ecclesiae utilitatem, alia provinciae ipsius commoda spectabant.

(5) v. Morin. *Exercit. Eccl. lib. I. p.* 102. (6) Baron. *ad hunc an.*

ANNUS CHRISTIANUS DXXXXII.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Hunc annum, qui Iustiniani Augusti decimus sextus fuit, sic veteres designant, *Post Consulatum Basilii V. C.* alii vero addunt *Anno II.* quorum nempe primum habent eum ipsum, quo Consul ille processit. auctus hoc anno Carthagine templorum numerus: nam primum in ipso Praetorio, quod Romano more Palatium appellabant, aedes dicata est sanctae Genetrici Dei, erga quam singulare semper Augusti studium enituit: deinde altera extra Palatium exstructa honori indigenae Caelitis, cui Procopius Primae nomen fuisse scribit (1). quanquam falsum Procopium putabat Baronius (2), et Martyris nomen credidisse, quod Basilicae

(1) Proc. *de aedif. Iust. lib. VI. c.* 5. (2) Baron. *ad an.* 534.

esset. quippe ex Africanis scriptoribus nemo ejus nominis Martyrem memoravit. at nemo item Basilicae Primae mentionem intulit; et Procopii valere aliquid auctoritas debet, qui et in Africa fuit, et Iustiniani aevo scripsit, et haec in eo opere tradidit, quo aedificia ejus singula accuratissime complexus est. nec vero Procopius Martyrem dixit, sed unam tantum sanctarum indigenarum, quam sanctam Primam appellarent.

II. Eodem tempore Salomon Bagam urbem in provincia Proconsulari sitam, quae diu sine moenibus hosti aperta fuerat, restituebat. muro autem ut cincta fuit, et propugnaculis communita, ab ipsis civibus in Augustae honorem Theodorias nominata est. additum non multo post in regione castellum, et Tucca nomen impositum. curae praeterea Iustiniano fuit, ut contra Gades in Africae littore vetus Romanorum castrum, quod Septa dicebatur, et a Belisario occupatum fuerat, reficeretur, quo moenibus clausum ac praesidio firmatum oram maritimam tueri posset. ceterum majus simul contra hostes munimentum ibidem exstrui jusserat templum Genetricis Dei, quam toti Africae propitiam fore sperabat (3).

III. In provincia Byzacena post anni superioris rescripta controversiae aliquid subortum est, quod Augusti auctoritatem requireret: Datianus potissimum Primatus sui jura imminuta questus videtur. nam rursum Augustus IIII. kal. Novembres his ad eum verbis respondit (4): *semper nostrae Serenitati cura fuit servandae vetustatis maxime disciplinae, quam numquam contempsimus, nisi et in melius augeremus: praesertim quoties de Ecclesiasticis negotiis contigit quaestio, quae Patrum constat regulis definita, imo adventu superni numinis inspirata: quia constat caelitus institutum quidquid Apostolica decernit auctoritas. hinc est, quod in Africanis quoque Conciliis illa volumus reservari, quae antiquitas statuit, et sequentium obedientia custodivit, atque in nostrum usque saeculum intemerata perduxit. nullus inter Primates aliud sibi privilegium vendicet, quod accepisse non legitur: nullus arripiat, quod habuisse jugiter non probatur: nec de rescriptis ad unius suggestionem pro meritis aut de exemplis consuetudinem violantibus quibuslibet sibi blandiatur ambitio. illud pro lege servandum est, quod Conciliis definitum servavit devota posteritas. nam quae quis in praejudicium statutorum quibuslibet rebus usurpavit, corrigenda potius, quam imitanda censemus. Si quid igitur Metropolitano Carthaginis vel Primatibus Numidiae vel Byzacii Conciliorum auctoritas praestitit, et inoffensa consuetudo servavit, hoc sibi quisque optet, sibi vendicet, hoc nostra speret sanctione firmari. nos tutores tantum sumus vetustatis et vindices. nec deerit Ecclesiastica vindicta vel nostra in eos, qui aut ambitiosa superbia aut subreptitiis postulationibus antiquitatem temerasse docebuntur. quoniam ad Divinitatis tendit injuriam, qui sanctorum Patrum constituta contemnere ac violare non metuit, sancte ac religiosissime Pater.* hactenus Iustinianus, qui haec *Pragmaticam Sanctionem*

(3) Baron. *ad an.* 541. (4) *id. ibid.*

appellat, eamque *effectui mancipari observarique* jubet. nec sine piaculo praetermitti poterant, quae gravissimum Principis optime de Ecclesiae auctoritate sentientis testimonium esse debent.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXXIII.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic fuit Iustiniani Augusti decimus septimus, idemque alter post Consulatum Basilii V. C. magno illo terrae motu memorabilis, qui postridie nonas Septembres orbem universum concussit. initium in Africa rerum adversarum ab Cyri et Sergii adventu fuit, qui Bacchi Salomonis fratris filii erant, nec tamen patruum virtute referebant. Cyrum majorem natu praefecerat Augustus Pentapoli, quae pars Cyrenaicae potissima habebatur, et Tripolitanae provinciae finitima erat. hanc vero administrandam Sergio tribuerat, quae ab ipso belli Vandalici exordio recepta Romano Imperio parebat, pertinebatque ad Praefecturam Praetorii Africae, qua tum Salomon fungebatur. ergo Sergius, quum Lepti magna degeret, et fastidiosior fere esset, quam ut barbari ferre possent, Mauros Leucathas jam alienatos graviter etiam offendit, quod domi ejus hominum octoginta, quos ad colloquium admiserat, caedes facta esset. ea res ad arma omnes concitavit: qui quamquam primo praelio fugati sunt, bellum tamen ita instauraverunt, ut reliquas provincias summum in discrimen adducerent. nam Antalas quoque Maurorum regulus, qui solus barbarorum foedus semper servaverat, et pace Augusti in tractu Byzaceno imperitabat, cum Leucathis cospiravit, eamque provinciam barbaris receptis vexare coepit. Sergius interea Carthaginem ad Salomonem profectus, quo jam et frater ejus Cyrus sese contulerat, rogare patruum non destitit, ut omnibus copiis adversus Mauros eductis, vim illam barbarorum Africae minitantium coërceret. cui Salomon adsentiri coactus est, quod ipse Antalas dudum Salomoni infensus Carthaginem ultro peteret, et Maurorum exercitum studio inflammatus post se raperet. Telepten (1) usque progressus Salomon, quae iter dierum sex Carthagine distat, in finibus provinciae Byzacenae castra posuit: quocum non modo Sergius ac Cyrus erat, sed etiam frater horum minimus, nomine Salomon, patrui solatium. postridie, quum jam pacis conditiones frustra propositae Mauris essent, proelio decertandum fuit. summa utrinque contentione pugnatum est: nec tamen ejus pugnae infelix exitus habendus esset, nisi eum Salomonis interitus funestasset. nam in primo conflictu Mauri fusi quidquid spoliorum ac praedae coëgerant amisere. verum pugna ab his renovata, aegre repulsi sunt; et Salomon equo primum excussus, mox captus a barbaris atque occisus est. ad haec Salomon quoque puer inter captivos abductus, nec agnitus: quapropter quum se

(1) Proc. *B. Vand. lib. II. c.* 21 Tebestam habet, mendose, nam haec in Numidia erat.

Vandalum genere finxisset, ac Salomonis servum se fuisse affirmaret; fefellit Mauros, qui eum exiguo pretio redimenti vendiderunt.

II. At vero Augustus, quum de Salomonis morte nuncios accepisset, quod Africae universae gravissimum fuit, Sergium Praefectum Praetorii creavit. hominem enim oderant Afri nobilitatis suae arrogantia subnixum et in dominatione superbum: quem neque rei militaris scientia commendabat, et vita vitiis inquinata omnium conviciis objecerat. exinde barbari quoque haud ignari, quam contempta et turpis Sergii existimatio vel apud suos esset, audaciores facti, Stozam etiam veterem ducem e Mauretania evocarunt, qui se cum Antala conjungeret, et bellum communi studio administraret. quamobrem praedae passim et rapinarum plurimum fuit, eaque fere impunitas, ut ne hostem quidem obvium invenirent. neque vero haec serius ad Iustinianum perlata sunt. sed Augustus, qui Salomonem semper amaverat, virtutemque ejus plurimi fecerat, dabat hoc patrui memoriae, ut Sergium ferret ac prope revereretur. itaque hoc Praefecto aucta calamitas provinciarum, hostium opes animique creverunt.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXXIII.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUM hunc veteres post Consulatum Basilii V. C. tertium appellant; qui Iustiniani Augusti decimus octavus habetur. Edictum hoc anno primum adversus tria Capitula promulgatum est, quod multarum in Ecclesia discordiarum fons veluti quidam et caput fuit. nam quum Theodori Caesareae Cappadocum Archiepiscopi hortatu in eam sententiam venisset Augustus, Acephalos haereticos facile ad Catholicam consensionem et Concilii Chalcedonensis reverentiam adduci posse, si quaedam repudianda curaret, quibus illi offendebantur, tria Edicto complexus est: primum ut damnaretur Theodorus Episcopus Mopsuestiae, qui Nestorii magister fuerat, et cujus laudes continebat epistola Ibae Episcopi Edesseni, quae in Concilio Chalcedonensi recitata fuerat: tum uti notarentur libri a Theodoreto scripti adversus Capitula XII. sancti Cyrilli Alexandrini in Concilio Ephesino comprobata; quamquam eos libros Patres Chalcedonenses non condemnarant, et a Theodoreto id unum requisierant, ut Nestorium sententia sua improbatum rejiceret: demum ut exploderetur praedicti Ibae epistola ad Marim Persam, in qua Theodorum laudaverat, Cyrillum accusarat, ipsum Concilium Ephesinum in Nestorio damnando celeritate praecipiti actum arguerat. haec vero res Catholicorum multorum commovit animos, quod eo Edicto Concilii Chalcedonensis auctoritas convelli videretur. atque ubi Edictum vulgatum est, in Africa potissimum incredibilis Episcoporum conspiratio fuit, ne quis eorum Augusto morem gereret. cujus consilii auctor in primis ferebatur Ferrandus Ecclesiae Carthaginiensis Diaconus, quem Roma etiam consuluerant Pela-

gius et Anatolius Diaconi, illud quaerentes, utrum liceret damnare quemquam post mortem? Legati praeterea ex Africa Romam et in Siciliam, qui Vigilium Pontificem maximum vocatu Augusti Constantinopolim proficiscentem enixe obsecrarant (1), ne minis cederet, aut se in fraudem deduci pateretur.

II. Interea Antalas et Stoza provinciam Byzacenam rursum diripiebant, magna Sergii invidia, qui haec ferret otiosus, ac per summam ignaviam officium, fidem, salutem publicam proderet. in eo autem rerum discrimine multae civitates Ioannem Sisinnioli filium ductorem ordinum rogaverunt, ut subvenire ipse miseris atque opitulari reipublicae conaretur (2). ille quum haud magnas haberet copias, Himerium, qui numeris provinciae Byzacenae praeerat, Medefessam convenire, viresque secum conjungere jussit. mox edoctus, ibidem Mauros castra fecisse, iter ut mutaret, tabellario misso admonendum curavit. sed quum is aberrasset, nec litteras perferre potuisset, factum est, ut Himerius in medios hostes incurreret ab iisque caperetur. qui deinde Adrumetum quoque tradere jussus est litteris ad Adrumetinos ita perscriptis, quasi ipse praesidium eorum novo milite suppleturus adesset. cujus illi manu litterisque decepti portas Mauris aperuerunt. multi tum e civibus militibusque fuga elapsi, sed urbs tota compilata est: quae tamen paullo post recepta Paulli Adrumetini Presbyteri, qui nosocomium administrabat, industria atque opera. nam is clam e muro urbis demissus Carthaginem navigavit, ac rogando hortandoque effecit, ut Sergius vel invitus aliquot tamen milites suppeditaret, utque nautae cum scaphis navibusque omnis generis praesto essent, qui homines e plebe, quotquot allicere potuisset, Romano more vestitos reciperent. hac ille classe solvit Carthagine, praemissis qui passim rumores spargerent, Germanum Augusti fratris filium, eum nempe, qui aliquot ante annis Praefectura Praetorii Africae functus fuerat, e Graecia cum ingenti classe advenisse, copiasque jam Adrumetinis submittere, quarum ope libertatem recuperarent. enimvero quum ea opinio crevisset, nocturnus ex improviso adventus classiculae, quam Paullus ducebat, fidem fecit, et barbaros terrore injecto perculit. in eo tumultu Adrumetini fraudis conscii, auxiliaribus copiis, qualescumque erant, per vim receptis, praesidium Maurorum facile oppresserunt: ceteri e barbaris, qui cum Antala et Stoza foris erant, in ultimas Africae oras, aut in insulas quascumque diffugere. ceterum postquam resciverunt, quam frustra metuissent, ira timori successit, iidemque frequentes acerbiore animo ad arma et rapinas reversi adeo omnia turbarunt, ut multi salutis caussa solum vertere coacti sint: quos inter Paullus quoque ille Adrumetinus fuit, qui se Constantinopolim contulit. Sergii enim socordia incuriaque nihil barbaris non licebat: nam Ioannes ipse, quem Mauri non contemnebant, ob Sergii simultates negligentius se gerebat, et barbaris impunitatem dabat.

(1) Fac. Herm. *lib. III. c. 3.* (2) Proc. *B. Vand. lib. II. c. 28.*

III. At vero Iustinianus Sergio nondum satis iratus, Africae tamen commotus periculo, Areobindum virum nobilitate primarium, sed bellicae disciplinae rudem Magistrum militum cum parva manu misit, ut pari auctoritate bellum cum Sergio administraret. curam tamen cuique suam dedit, ut Sergius barbaros Numidiae coërceret, Areobindus Mauris Byzacenis arma inferret. quum autem in provinciam quisque suam profecti essent, prior Areobindus hostem nactus est. Antala enim cum Stoza apud Siccam Veneriam castra posuerat. huic statim Ioannem Sisinnioli filium occurrere jussit: simul litteras ad Sergium misit, quibus rogabat, ut cum exercitu in laevam partem deflecteret, et Ioanni opem ferret, ne hostium multitudine obrueretur. verum Sergius neque litterarum Areobindi rationem habuit, neque Ioannis, quem oderat, periculo commotus est. quapropter Ioanni iniquo praelio pugnandum fuit, extremumque discrimen subeundum: nec tamen ante occubuit, quam hostem ipse suum superasset. Ioannis enim manu Stoza interfectus est, quo uno sublato vitam ille multis salutemque prorogavit. post utriusque casum dirempta pugna, multis ex Joannis exercitu desideratis, quos inter Joannes alter fuit natione Armenus, frater Artabanis, post praeclara facta multis adversis vulneribus confossus. haec demum, ubi Augusto nunciata sunt, animum ejus impulerunt, ut Sergium tandem ex Africa revocaret.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXXV.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic post Consulatum Basilii V. C. quartus dicitur, qui Iustiniani Augusti decimus nonus fuit. Vigilium hoc anno in Graeciam proficiscentem Sicilia detinuit: unde et naves frumento onustas Romam misit. eo ille consilio moras interponebat, ut placato Augusto, Episcopos, si fieri posset, in eam potius insulam, quam Constantinopolim convocaret. fore enim sperabat, ut procul ab aula Episcopi, quae sentirent, liberius proferrent, et defunctorum memoriam, illa trium Capitulorum, quam Augustus urgebat, damnatione posthabita, intactam a nota immunemque jurgii relinquerent. qua in sententia plerique omnes per Africam Episcopi versabantur, quorum legationes ad Vigilium anno superiore commemoravimus.

II. Iam alter vix mensis elapsus erat, ex quo Sergius Praefectura se abdicarat, atque ex Africa discesserat: quum Areobindo Praefecto Praetorii et Magistro militum, Gontharis Armenus, qui numeris provinciae Numidiae praeerat, occupare tyrannidem nisus est. Antalas primum ab eo illectus oblata imperii societate: Mauri deinde excitati, ut Carthaginem tamquam injurias suas ulturi adorirentur. horum vero motu improviso perterritus Areobindus, Gontharin ipsum e Numidia quamprimum et Artabanem cum Armenis suis Carthaginem revocat:

unumque e Maurorum regulis, Cutzinam nomine, sibi conciliat. nec tamen quid Gontharis moliretur, ulla ratione suspicatur. nam hic, ne facinus suum proderet, ratus Areobindum in pugna ipsa nec opinantem interfici posse, consilium suum diu, nemine sentiente, dissimularat. at demum quia Areobindus cunctabatur, proeliumque cum barbaris detrectabat, res brevi in opinione esse coepit. Gontharis quippe audacia fretus apud milites aperte se Areobindi inimicum verbis ostendit, et multis eum conviciis mendaciisque oneravit, quasi fugam meditaretur, stipendia militum in Graeciam secum asportaturus. tum aperta urbis porta, aditum ejus cum suis occupavit, et seditionem multitudinis incursione commovit. in eo tumultu Areobindus hortatu Artabanis armatus ad portam cum stipatoribus suis lectoque milite accurrit. nec ille operam perdidisset; pugnabatur enim utrinque acriter: sed Areobindus, qui aciem numquam viderat, caede et sanguine exanimatus, perfugium sibi intra urbem ad mare quaesivit, in monasteriumque se intimum abdidit, quod ad portum Mandracium a Salomone aedificatum scripsimus, et ita muro communitum, ut arcis loco esse posset. Areobindum autem fugientem duces ipsi sequuti sunt, ne dum milites: quare Gontharis victoria potitus recta in Palatium perrexit, aditus stipatoribus sepsit, portum quoque positis custodibus clausit.

III. Post tantam rerum conversionem quum tota urbe trepidaretur, Reparatus Episcopus officii sui putavit esse, ut tyrannum adiret, voluntatem ejus sibi conciliaret, pacem civibus veniamque peteret. nec eum rejecit Gontharis, sed illico ad Areobindum ire, et data ei fide hortari jussit, ut in Palatium veniret: si recusaret, obsidionem ei mortemque minari. paruit tyranno Reparatus, et ex ejus praescripto Areobindum sibi extrema omnia metuentem jurejurando erexit, pollicitus incolumem eum, si obtemperaret, futurum; nihil ei contra tutum, si abnueret. ille vero se dicto audientem fore respondit, si Reparatus ipse, puero forte ad salutare lavacrum oblato, sacris operatus, per ea ante juraret, Gontharim fidem suam praestiturum. quod ubi Reparatus interposito jurejurando recepit, in Palatium, ut erat, tunicatus statim migravit: atque ad tyranni pedes provolutus, diu supplex jacuit, puerum, recens ablutum sacrumque codicem datae fidei testes appellans. ad quae Gontharis bono eum animo esse jubens, postridie cum uxore et pecunia incolumem Carthagine discessurum promisit confirmavitque. deinde Reparato dimisso, mensae adhibitus cum tyranno coenavit, honore ei habito, ut primo accumberet loco. verum a coena solus in cubiculo dormire coactus est; nec multo post immissus tyranni stipator Ulitheus eum multa precantem ejulantemque confodit, et caput ejus ad tyrannum attulit, quod ille Antalam misit.

IIII. Ceterum Antalas Gontharim, maxima ob Areobindum contra interpositam fidem interfectum, aversatus, a Carthaginis finibus in provinciam Byzacenam recessit, ut cum Marcentio duce, qui stationariis

militibus praeerat, id consilii caperet, quod ad provinciam in Augusti fide retinendam valere plurimum posset. Carthagine vero Artabanes, cui aditus ad tyrannum patebat, re cum Gregorio fratris filio et Artasire praetoriano communicata, magnum facinus moliri coepit, ut rempublicam a tyrannide liberaret. itaque quum ei Gontharis praeter opinionem bellum contra Mauros commisisset, propediem post leve proelium nec infaustum Carthaginem rediit, exiguas esse copias caussatus, quas secum eduxisset, et novo delectu opus esse, quod barbari exercitum suum multitudine longe superarent. quia vero convivium interea a tyranno indictum fuerat, cui se quoque interfuturum non ambigebat, idoneum denique caedi id tempus oblatum gavisus est. quare sociis conjurationis admonitis, quo ipsi loco consistere, quid cavere singuli, quid praestare deberent, convivium invitatus inivit. nec vero illi operam suam desiderari passi sunt. ubi enim Gontharin opipare epulatum vino etiam incaluisse viderunt, prior Artasires vulnus capiti inflixit, praecisis simul dextrae digitis, quam ille auri admoverat: Gregorius vero protectores accurrentes sustinuit cohibuitque: sic Artabanes tyrannum, cui proximus accumbebat, adsurgentem gladio confecit, ferrumque in vulnere reliquit. admissis eodem tempore Armenis militibus, qui Artabani parebant, caesi Ulitheus et tota parricidae cohors, ceteris jam, Gonthari extincto, facinus Artabanis laudantibus, qui nequam hominem et tyrannum sustulisset. acta haec sexto et tricesimo post die, quam ille tyrannidem arripuerat: paxque urbi et tranquillitas reddita, multis quoque a caede liberatis, quos Artabanes Constantinopolim misit.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXXVI.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Hunc annum veteres post Consulatum Basilii V. C. quintum dicebant, qui Iustiniani Augusti vicesimus fuit. Constantinopolim hoc anno Vigilius Pontifex maximus VIII. kal. Februarias ingressus est, quo jam et Facundus Episcopus Hermianensis hortatu, opinor, Patrum Africanorum se mature contulerat, ut contra Augusti studium atque haereticorum conatus auctoritatem Concilii Chalcedonensis, pro quo et Vigilius stabat, optimo animo recteque sentiente tueretur. quin regia in urbe Facundus minime otiosus, dum Augustus Episcopos ad Concilium vocabat, opus suum pro defensione trium Capitulorum aggressus est, de quo in praefatione sic scribit: *Hoc opus suadentibus fratribus ad Imperatorem Constantinopoli scripsi: quo nec dum finito ac pertractato adductus est Romanus Episcopus.* ab hujus autem adventu Concilium cogi coeptum septuaginta Episcoporum Vigilio coram: qui, quum magnas quotidie inutilesque contentiones esse videret, judiciumque controversiarum frustra altercationibus trahi aegre ferret, edixit, ut quae quisque

sentiret, quibusque argumentis duceretur, ea singuli scripto significarent. quare Facundus, qui jamdiu secum ipse statuerat, quid urgere deberet, et in eo argumento pertractando multam operam posuerat, facile princeps fuit eorum, qui contra Augusti sententiam a damnatione trium Capitulorum abstinendum censebant.

II. Carthagine interea, quamquam summi magistratus auctoritas deerat, Artabanis tamen dignitati virtute partae, quam et modestia ornabat, plurimum tribuebatur: cui Praejecta etiam Areobindi uxor, Vigilantiae Augusti sororis filia, magno auri pondere oblato, honorem habuit, quod viri sui ultorem nacta esset. ipse vero Augustus, simul atque nunciatum est, quid Artabanes in tanto illo reipublicae discrimine perfecisset, dignum eum putavit, quem apud Afros Magistrum militum renunciaret. ceterum Artabanes delibato honore petiit ab Augusto, ut se Constantinopolim redire pateretur. id quoque a Principe datum est viro de republica optime merito: in ejusque locum missus in Africam Ioannes frater Pappi, quem illic Belisarius ductorem ordinum habuerat. porro Ioannes ut Carthaginem attigit, ac de rerum statu cognovit, Mauros bello instituit coërcere.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXXVII.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Sextus hic est annus post Consulatum Basilii V. C. idemque vicesimus primus Justiniani Augusti: quo tempore Vigilius eorum studiis offensus, qui tria Capitula temere damnasse videbantur, Menam Patriarcham regiae urbis a communione sua rejecit. ceterum quarto post mense, quum jam videre coepisset, quod Graeci recte admonebant, tria illa Capitula ad ipsum Concilium Chalcedonense minime pertinere: neque enim ante prolata fuerant, quam Concilium absolveretur, neque Leonis magni sententia recepta videri poterant, qui non alia Acta probaverat, quam quae ad fidei nostrae summam spectabant; tum vero Vigilius et Menam sibi reconciliavit, et ad Augusti sententiam inclinare visus est: sic tamen, nihil ut sancto illi Concilio detractum vellet, et intactam auctoritatem tueretur. quo pertinent illa Facundi Hermianensis verba de Vigilio (1). *Occulta ejus ante judicium pollicitatio tenebatur, in qua se spopondit eadem Capitula damnaturum.*

II. At in Africa, quo frequentes de his nuncii afferebantur, parum arrisit Episcopis ea Vigilii facilitas: jam enim uno studio Facundum suum sequebantur, paullo ferventiores, quam opus erat. unde dissidium postea extitit, quod multis Ecclesiis labem atque perniciem attulit. minus tamen intentus ad haec animus esse poterat, quod etiamtum in armis provinciae essent, ac de belli exitu suspensae curis majoribus tenerentur.

(1) apud Sirm. *T. II. p. 592, edit. Ven.*

Joannes enim Magister militum exercitum contra Antalam et Mauros Byzacenos eduxerat (2). ac initio quidem magna clade affecerat, signis quoque receptis, quae olim, Salomone in acie caeso, abstulerant: quibus ad Augustum missis exhilarata regia urbs est. verum e tractu ipso Tripolitano exciti Lebanthae provinciam Byzacenam rursus magno exercitu oppresserant, ac se Antalae copiis adjunxerant. Ergo cum his etiam Joanni pugnandum fuit. quo in proelio victus multos in acie caesos amisit, ceteros fuga dilapsos, quum se apud Larensem coloniam recepissent, aegre confirmavit. atque hanc calamitatem hostium incursiones sunt consequutae: qui Carthaginem usque omnia depopulati, acerbe multos crudeliterque vexarunt. nec tamen Ioannes adversis in rebus abjecit animum: sed novo delectu suorum habito, ac Mauris, qui Cutzinae parebant, in societatem adscitis, talem instruxit exercitum, qui multitudinem hostium virtute superaret. quum enim prior arma in eos intulisset, proeliis usus secundis, barbaros omnes partim ferro sustulit, partim in extremas Africae oras conjectos cessare coëgit: praeclare omnino de Afris meritus; qui post diuturna bella jam ad paucos redacti, nisi pax affulsisset, brevi interituri videbantur.

(2) Proc. *B. Vand. lib. II. c. ult.*

ANNUS CHRISTIANUS DXXXXVIII.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Hunc annum veteres numerant septimum post Consulatum Basilii V. C. quo anno Iustinianus vicesimum secundum Imperii sui incohavit. Episcoporum, qui cum Facundo sentiebant, studium Constantinopoli acrius in dies eminebat: scriptaque eorum in synodo prolata Vigilium impulerunt, ut solus ipse, consilio rejecto, sententiam ferret, quam *Iudicatum* appellavit, et ad Menam Patriarcham misit. in eo scripto clausula erat hujusmodi, *Salva in omnibus reverentia synodi Chalcedonensis:* sic autem de tribus Capitulis pronunciabat (1) *Quoniam his verbis, quae nobis de nomine Theodori Mopsuesteni scripta porrecta sunt, multa contraria rectae fidei releguntur, nos monita Paulli sequentes Apostoli dicentis*, Omnia probate, quod bonum est, retinete (2), *ideo anathematizamus Theodorum qui fuit Mopsuestiae Episcopus, cum omnibus suis impiis scriptis, et qui vindicant eum. anathematizamus et impiam epistolam, quae ad Marim Persam scripta esse ab Iba dicitur, tamquam contrariam rectae Christianorum fidei, et omnes, qui eam vindicant, vel rectam esse dicunt. anathematizamus et scripta Theodoreti, quae contra rectam fidem et duodecim Capitula sancti Cyrilli scripta sunt.* grata haec Augusto fuere, qui jamdiu nihil optabat impensius, quam ut ea Capitula Pontificis maximi judicio damnarentur.

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p. 57.* (2) I. *ad Thessal. c. 5. n. 21.*

itaque non modo Vigilii sententiam quamprimum per orbem Romanum vulgavit, sed Edicto etiam Episcopos ad eandem damnationem adegit (3). at incredibile dictu est, Vigilii factum quam multos offenderit! Diaconi ipsi Rusticus et Sebastianus, viri ejus aetatis doctissimi, quos ille Roma secum adduxerat, quamquam initio *Iudicatum* ejus commendaverant, iis adhaeserunt, qui tria Capitula defendebant. Facundus vero Episcopus Hermianensis adeo ira excanduit, ut mendacem Vigilium proditoremque appellaret. nec vero hic, ex quo Augusti Edictum per Occidentem promulgatum est, multos alibi fautores invenit. invidia enim illi passim quaerebatur, quasi securim ipse Concilio Chalcedonensi inflixisset, et omnem ejus auctoritatem protrivisset. Africani in primis Episcopi, quorum dux Antistes Carthaginiensis erat, Edictum Principis palam respuerunt, Vigiliique sententiam insigni nota atque ignominia aperte damnarunt.

II. Ceterum per haec tempora religio extremam Africae oram, quam Syrtes claudunt, victoriis peragravit, et Mauros, qui limitem Tripolitanum incolebant, Ecclesiae adjunxit. Iustiniani opera instantiaque id factum accepimus (4), a quo tantae rei caussa submissos ex Afris Sacerdotes, qui barbaros excolerent, atque ad sacra nostra rite expiatos traducerent, compertum est. punice enim eos loquutos apparet, quum ea gens a Phoenicibus oriunda feratur. qui deinde tanta erga Romanos fide fuerunt, ut Mauri Pacati appellati sint. atque hos imitati postea Gadebitani dicuntur, Sabratensium finitimi, quos veteri etiamtum superstitione obstrictos Augusti cura liberavit. porro in eo tractu, quem rara oppida distinguunt, ejusdem jussu Leptis magna, urbs olim et ampla et frequens, quam superiorum temporum negligentia ab incolis prope desertam arenae pene totam obruerant, contracto murorum ambitu sic restituta est, ut et minori praesidio egeret, et ventorum vim facilius perferre posset. in ea simul templum sanctae Genetrici Dei, aedesque alias quatuor exstruxit: veterem item domum Severi Aug. quem in ea urbe natum constat, reficiendam curavit, ut felicitatis ejus monumentum esset. eodem modo Sabratam quoque muro cingi jussit, et templum inaedificavit opere cultuque magnificum (5). quapropter intra paucos annos plura Afri, opinor, in se beneficia ab uno Iustiniano collata numerabant, quam omnibus aetatibus a superioribus Imperatoribus accepissent.

(3) Vict. Tonn. *in Chron.*
(4) Proc. *de aed. Iust. lib. vI. c.* 3.
(5) Proc. *de aed. Iust. lib. vI. c.* 4.

ANNUS CHRISTIANUS DXXXXVIII.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Est hic apud veteres annus post Consulatum Basilii V. C. octavus, idemque Iustiniani Augusti vicesimus tertius. Vigilium Pontificem maximum reditus cupidum Constantinopolis detinebat: angebantque infaustae

ex Occidente litterae, quae non solum urbem a Rege Totila captam, sed nova etiam Ecclesiarum exorta dissidia perferebant. nam in Illyrico plerique omnes Episcopi, postquam Iustiniani Edictum et Vigilii *Iudicatum* ad eos pervenit, in Concilium coivere, ac tria Capitula, quae Vigilius damnaverat, omnino retinenda esse, consenserunt. qua de re epistola etiam ad Augustum Concilii nomine missa est. quia vero Benenatus primae Iustinianae Episcopus Iudicium Vigilianum reverebatur, sententia in eum dicta, Pontificatu se abdicare coëgerunt (1). ad haec Rusticus et Sebastianus, Vigilii Diaconi comitesque, Romam ipsam epistolis eo missis turbaverant: quos propterea ille a sacra communione prohibuit, graviora minatus (2), nisi resipuissent.

II. Nec vero minus a Vigilio Episcoporum Africanorum abalienati animi erant, Facundo in primis instigante, qui in urbe regia signiferum se factionis ac principem profitebatur. illud enim in magna rerum ignoratione gravissimum omnibus videbatur, quod tum adversarii factum injuria jactabant, auctoritatem Concilii Chalcedonensis posthabitam Principis voluntati, et unius caussa magisterium Ecclesiae contemptum esse: proditum praeterea ad posteros exemplum, ut a Conciliorum magnorum decretis sententiisque impune recederetur. sed viam ad schisma atque defectionem temeritas potissimum ac praeceps illa Episcoporum Illyrici munivit audacia: de quorum synodo sub anni hujus finem ex multorum litteris edocti sunt. id enim Episcopos majore studio inflammavit, ne caussam Ecclesiae postremi suscepisse viderentur: qui tamen aliquando poenitentiam egerunt poenitentiae suae.

(1) Vict. Tonn. *in Chron.* (2) apud. Hard. *Conc. T. III. p.* 182.

ANNUS CHRISTIANUS DL.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. A Consulatu Basilii V. C. annus hic erat nonus, quem Iustinianus Imperii sui vicesimum quartum numerabat. Vigilii hoc anno cura fuit, quoniam cum Augustus Romam redire non patiebatur, ut litteris ad summates Episcopos datis ostenderet, quam ipse a Concilii Chalcedonensis auctoritate violanda alienus fuisset, quamque falso objiceretur, tribus Capitulis damnatis, Concilii illius doctrinam nomenque concidisse. quum autem compertum haberet, discordiam animorum in dies gliscere passim, ac ne a caede quidem alicubi temperatum esse; in eam sententiam venit, ut controversiam totam in magno omnium Episcoporum Concilio dirimendam censeret. sed idoneum in Italia aut Sicilia locum quaerebat (1), quo Latini maxime Episcopi facile convenire possent: nam hi potissimum sive obscuritate quaestionis sive ignoratione caussae discrepabant. cui tamen Augustus repugnabat, ea se coram pertractari cupiens, ne

(1) apud. Hard. *Conc. T. III. p.* 12.

Patres procul ab regia urbe disputantes in contrariam opinionem pertraherentur.

II. Haec dum Constantinopolim agitabantur, in Africa Episcopi quasi aestu quodam abrepti ingenii sui synodum postulabant. neque eorum voluntati obstitit Reparatus, qui officii sui putabat esse, ut ad tuendam Ecclesiae auctoritatem primus auctorem se ducemque praeberet. Concilio igitur indicto, Episcopi Carthaginem frequentes venere, eoque omnes animo, ut Vigilii *Iudicatum* plane rejicerent. in ipso autem conventu majores etiam spiritus majoremque arrogantiam sumpserunt. nam obliti quid Augustinus olim, quid Aurelius, quid reliqui ejus aetatis Episcopi de Pontificis maximi judiciis sententiisque secum statuissent, Vigilium trium Capitulorum condemnatorem decretis ipsi suis confixerunt (2): ut Catholicae communionis tamdiu expers haberetur, dum consilio mutato in opinionem eorum voluntatemque deflecteret. litterae deinde communi consensu perscriptae, quibus Iustinianum Augustum de synodo sua certiorem facerent, eaeque per Olympium Magistrianum missae sunt. enimvero qui Vigilium a se removisse, atque a Catholica Ecclesia separasse arbitrabantur, loco ipsi et communione Catholica exciderant: nam Vigilius hanc poenam in eos omnes statuerat, quicumque *Iudicatum* suum notare aut rejicere ausi forent. tum Augustus tam Illyricae quam Africanae synodo Rescriptum opposuit suum, et tria Capitula jam damnata esse admonuit, ac damnare ipse perrexit (3).

(2) Vict. Tunn. *in Chron.*

(3) Isidor. *de vir. illustr. c.* 12.

ANNUS CHRISTIANUS DLI.

Reparato Episcopo Carthaginiensi

I. Decimus post Consulatum Basilii V. C. idemque vicesimus quintus Iustiniani Augusti hic annus fuit. Theodoro Caesareae Cappadocum Archiepiscopo parum jam videbatur, quod Augustus a Vigilio expresserat: instabat urgebatque, ut Concilii Chalcedonensis mentione praetermissa, tria rursus Capitula presse ab eo simpliciterque damnarentur. cui Iustinianus doli nescius minime restitit: ita ac assentiri solitus, ut quae illa suggereret probaretve, ea maxime recta atque optima duceret. itaque id etiam a Vigilio petere coepit, ut formula, quam caute omnino appositeque in *Iudicato* adscripserat, in posterum rejecta, tria Capitula novo ejus judicio sententiaque notarentur. tum vero ingemuit Vigilius fraudem suspicatus, et periculi declinandi caussa Augustum adloquens, *Veniant*, inquit (1), *huc fratres nostri ex omnibus provinciis quini aut seni Episcopi, et quidquid sub tranquillitate, tractatu habito, omnibus visum fuerit, cum pace disponemus: quia sine consensu omnium ista, quae et synodum Chalcedonensem in dubium venire faciunt, et scan-*

(1) apud. Hard. *Conc. T. III. p.* 47.

dalum fratribus meis generant, solus facere nullatenus acquiescam. aequam Vigilii honestamque postulationem repudiare Augustus non est ausus: Episcoposque ex Illyrico in primis atque Africa, qui maxime expetebantur, adesse jussit.

II. Enimvero Episcopi Illyrici, quum Augusti litteras accepissent, tam pertinaci animo obfirmatoque fuerunt, nemo ut Principi obtemperandum censeret, nemo regiam in urbem sibi proficiscendum existimaret. in Africa Augusti plus valuit auctoritas: vel etiam spes aliquid potuit, si eo primores contendissent, fore, ut Augustum ipsum a sententia sua revocarent. quapropter, nulla mora interposita, Reparatus ante alios summus Africae Antistes, Firmus, qui Numidiae primatum habebat, ac bini e provincia Byzacena Primasius Adrumetinorum, Verecundus Iuncensium Episcopi in Graeciam adspirantes Carthagine solverunt. interea Vigilius, quum de horum profectione cognovisset, redit ad Principem, atque ab eo enixe petit, ut quoniam iis contentus non esset, quae ipse antea decreverat, ea infecta haberet, et caussam totam ab incohato cum iis agi pateretur, quos brevi adventuros nunciabatur. se quidem a *Iudicato* suo plane recedere: id ipse etiam praestaret, ne quis ante de quaestione illa sermonem inferret, quam Latini Episcopi adessent, quibuscum Graeci accurate disserere, ac in legitima synodo disputare ex aequo possent. haec. Augusto probari visa: sed paullo post, quum jam Episcopi ex Africa advenissent, nova multis in locis per urbem regiam Edicta proposita sunt, quibus tria Capitula damnabantur rursum, et iterata sanctione notabantur. ea res Vigilium maxime perculit. apparebat enim adversariorum apud Principem quanta vis esset. conscientia tamen rectefactorum confirmatus, Graecos Latinosque Episcopos in domum Placidianam, quam ipse incolebat, convocatos his verbis admonuit (2): *Quicumque Edictis istis consensum praebere voluerit, sciat, se ab Apostolicae Sedis communione suspensum.* aderat vero cum eo Datius Episcopus Mediolanensis, annum jam duodecimum in regia urbe agens, isque in eandem sententiam loquutus, *Ecce ego*, ait, *et pars omnium Sacerdotum, inter quos Ecclesia mea constituta est, id est Galliae, Burgundiae, Spaniae, Liguriae, Aemiliae atque Venetiae, contestor, quia quicumque in Edicta ista consenserit, suprascriptarum provinciarum Pontifices communicatores habere non poterit: quia constat apud me, Edicta illa sanctam synodum Chalcedonensem et fidem Catholicam perturbare* (3). post haec Vigilius, eos potissimum appellans, quos apud Augustum gratia valere sciebat (4), *Rogate*, inquit, *piissimum Principem, ut Edicta sua, quae praecepit appendi, removere dignetur, et Constitutum commune expectare, id est ut scandalizati Episcopi Latinae linguae ad synodum veniant, aut certe remota omni violentia suas scripto declarent sententias. quod si forte preces nostras audire*

(2) *epist. Cl. Ital. ibid. p.* 49.
(3) *in ead. epist. ibid.*
(4) apud. Hard. *ibid. p.* 3.

noluerit, vos nulli rei praebeatis assensum, quae ad divisionem tendit, nec contra Constitutum comminatione aliqua veniatis. quod si hoc forsitan, quod non credimus, feceritis, noveritis vos ex praesenti die ut praevaricatores a beati Apostoli Petri Sede per ministerium vocis meae communione suspensos. haec Vigilius domi edixit coram Episcopis, quos cogere licuit, multis etiam e Clero Constantinopolitano praesentibus, quos fautores habebat. num eodem convenerint Reparatus et Firmus primi Africae Episcopi, compertum non habemus: credibile tamen est, non abfuisse, quum jam in eorum sententiam inclinare Vigilius videretur. illud vero extra controversiam, et Primasium Adrumetinum et Verecundum Iuncensem Vigilio adhaesisse. namque amborum subscriptiones tenemus (5), nec minus ipsa fuga testatur, quam infra commemorabimus. Episcopis porro e domo Placidiana digressis, Theodori Cappadocis crevit audacia. comminatione enim Vigilii sententiaque contempta, Episcopos factioni suae in templum, ad cujus fores Edicta illa pendebant, superbo fastu adduxit, et sacrum iisdem adstantibus Pontificali ritu peregit. Iustinianum vero non modo a suscepto consilio non revocavit, sed etiam acrioribus stimulis fodit quodammodo, et aliud ad facinus impulit. nam paullo post ejus jussu in domum Placidianam vigiles custodesque missi, qui omnes aditus servarent, Vigiliumque tamquam in custodia domi septum tenerent.

III. Ergo Vigilius, ut vim sibi adhiberi sensit, perfugium sibi quaerendum ratus, in aedem Petri Apostoli, cui Romanum Hormisdae monasterium conjunctum erat (6), velut in asylum confugit. verum ne illic quidem loci eum sanctitas tutum praestitit. tribunus eo immissus capitalis cum satellitibus, qui eum altaris columnas amplexum per vim abducerent; abstractisque Diaconis ac Clericis omnibus, qui opem ferebant, manus Pontifici maximo injectae sunt tanta violentia, ut altare concideret, et columnae aliquot confractae laberentur. raptabatur vir mitissimus ad tribuni arbitrium circumfuso satellite: quum tumultu exorto milites populusque in illam cohortem impetum fecit, ac depulsis dissipatisque furoris illius administris, Vigilium in asylum suum reduxerunt. enimvero facti hujus atrocitatem indignitatemque nemo bonorum non tulit permoleste: et quia constabat, haec omnia Theodori Cappadocis consilio moderari, ipse Vigilius tantum scelus poena vindicandum duxit, ne impunita diutius audacia baccharetur. ceterum quum eum de multorum Episcoporum sententia, qui et libello ejus subscripserant, loco movisset, ita vel mansuetudini suae vel prudentiae indulsit, ut promulgationem differret. at Augustus, quamquam eum facti pudebat, a proposito non discessit. nam eodem Consulares viros Belisarium, Cethegum, Petrum, ac sororis filium Iustinum adlegavit, qui eum, fide jurejurando obligata, in aedes Placidianas reducerent. quibus ille vim omnem repugnanti comminantibus assensus est. quis enim tantorum virorum religionem non

(5) *in damn.* Theod. Capp. *ibid. p.* 9. (6) v. vit. Greg. Agrig. *p.* 66. *in not.*

magni fecisset! deceptum se tamen brevi expertus vidit. nam quum in domo Placidiana versaretur, datam ei fidem ne repetenti quidem atque imploranti Augustus praestitit: ac milites rursus domum ejus custodire jussi, ne se iterum in templum reciperet, unde abductus fuerat. quamobrem de alio sibi asylo parando cogitavit: nactusque ad fugam adjutores quamfidissimos, intempesta nocte elapsus, x. kal. Ianuarias Chalcedonem, quae e regione est, transfretavit, atque in Martyris Euphemiae templo latuit, quod illic summa religione colebatur. fugientem plerique Episcoporum Latinorum sequuti sunt, inque horum numero Verecundus quoque Iuncensis fuit, qui in ea urbe domicilium sibi perpetuum fixit (7): sed is cum Primasio anteverterat.

IIII. Pertinent ad hunc annum celebres illae Cleri Italici litterae, e quibus maxime Vigilii apud Constantinopolim vices aerumnasque cognovimus. nondum resciverant Ecclesiae Italiae, Vigilium ex urbe regia aufugisse: sed cetera edocti, quae ab Augusto pertulerat, quum Rex Theodebaldus, cui tum Franci parebant, eo Legatos mitteret, ne in belli Gothici societatem traheretur (8), Clerus Italicus Legatos eosdem de his, quae Constantinopoli acta fuerant, praemonuit, hortatusque est, ne solatium illi suum auxiliumque deesse paterentur. quod reliquum est, ex iisdem litteris Reparati quoque calamitatem et successoris ejus designationem ad hunc annum spectare discimus. sic enim utrumque in his factum exponitur (9): *Quum Afri Episcopi in civitatem regiam pervenissent, coeperunt eis nunc blandimentis, nunc terroribus extorquere, ut praeberent in Capitulorum damnatione consensum. sed quum nullatenus eis extorquere potuissent, concinnata est caussa sancto Reparato Episcopo Carthaginiensi, quasi Areobindum* (10) *Magistrum militum a Guntarit tyranno in Africa fecisset occidi: et sub hoc colore in exsilio deportatus est.* mox de Reparati successore additur: *Mittunt etiam ad Carthaginem, et alium in loco sancti Reparati Episcopi contra omnes regulas et contra omnia statuta Patrum Episcopum ordinari fecerunt: quod cum nimia effusione sanguinis, et interitu multorum innocentum hominum fecisse dicuntur.* is vero Primasius fuit, quem antea Reparatus Constantinopolim miserat, ut eo apud Principem Apocrisiario uteretur. hic diu inter Graecos Episcopos versatus in eorum sententiam facile se adduci passus erat. quod tamen divino consilio factum existimarim, ut tribus demum Capitulis in Concilio magno damnatis, non deesset in Africa, qui schisma prohiberet, dissidiumque tolleret, quod multas Occidentis Ecclesias pervertit.

(7) Vict. Tunn. *in Chron.*
(8) Proc. *B. Goth. lib. IIII. c.* 24.
(9) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 47.
(10) v. sup. *ad an.* 545.

ANNUS CHRISTIANUS DLII.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic undecimus numeratur a Consulatu Basilii V. C. qui Iustiniani Augusti vicesimus sextus fuit. Reparatum exsulem Euchaïta accepere, urbs Helenoponti inter Cappadociam et Paphlagoniam, Theodoropolis quoque dicta (1), apud quam sub Anastasio exsulaverat sanctus Patriarcha Macedonius (2), synodi Chalcedonensis assertor. at vero Firmus Numidiae Primas, qui cum Reparato Constantinopolim profectus fuerat, Augusto velificatus facile commeatum impetravit: quem in ipso itinere, quum in Africam hoc anno rediret, mortuum esse, scribit Victor Tonnonensis: falso tamen, nam Firmus anno insequenti Concilio magno interfuit, quo primum die Patres convenere: sic enim cietur *Firmo religiosissimo Episcopo Tipasensi Africanae provinciae.* sed ante finem ipsius Concilii discessisse manifestum est, quod nomen ejus in Concilii illius subscriptionibus desideratur. reliqui duo, qui in proposito susceptoque consilio permanebant, Primasius Adrumetinus et Verecundus Iuncensis Chalcedone morabantur, asylo tuti, quod in templo suo Euphemia Martyr praebebat. alii tamen atque alii ex Africa Episcopi Constantinopolim destinabantur, selecti ex iis, qui in Augusti sententiam inclinare viderentur. nam, ut est in litteris Cleri Italici, quarum superius mentionem fecimus, *Praefectus Africae, si quos invenit in Africa Episcopos aut caussas proprias habentes, aut simplices vel ignaros, aut venales et paratos ad praemium, collegit et direxit inde unumquemque.* sed quis id temporis Praefecturam Africae gereret, non invenio. nam Ioanni ante hunc annum successorem datum esse, aetatis illius consuetudo persuadet.

II. Iamvero Augustus, iterata Vigilii fuga commotus, ut eum Chalcedone latitare rescivit, viros primarios, quos antea destinaverat, illuc remisit, qui eum regiam in urbem, jurejurando rursum interposito, revocarent. sed is non erat Vigilius, qui splendore hominum aut verborum illecebris teneretur. hoc sane responsum ejus fuisse accepimus (4): *Nos, inquit, in hanc Basilicam pro nulla pecuniaria vel privatà caussa confugimus; sed pro Ecclesiae tantum scandalo, quod jam in toto mundo pro peccatis innotuit. et ideo si caussa Ecclesiae ordinatur, ut pacem ejus, quam avunculi sui piissimus Princeps fecit temporibus, et modo restituat; ego sacramentis opus non habeo, sed statim egredior. si autem caussa Ecclesiae finita non fuerit, item sacramentis opus non habeo: quia nunquam de sanctae Euphemiae basilica exire dispono, nisi scandalum ab Ecclesia Dei fuerit amputatum.* Legatos praeterea de Theodoro Cappadoce, quem de honoris gradu dejecerat, et

(1) Zonar. *lib. xvII. n* 3.
(2) Theod. *Lect. lib. II. n.* 28.
(3) Vict. Tonn. *in Chron.*
(4) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 3.

Ecclesiae communione privaverat, diserte admonuit, rem ut ad Augustum deferrent, quo ille ab ejus usu colloquioque sibi abstinendum esse non ignoraret. acta haec V. kal. Februarias. Legatis vero re infecta Constantinopolim reversis, Iustinianus ira exarsit, ac pridie kalendas easdem epistolam ad Vigilium veneni plenam per Petrum Referendarium misit: quam ille, quia manu ejus subscripta non erat, tamquam commentitiam habuit, probra tantum criminationesque refutavit. mox edoctus quae contra eum passim disseminabantur, Ecclesiae universae caussam suam rationemque suscepti consilii accuratissime exponendam duxit. itaque litteras illas suas encyclicas perscripsit, quae exstant, ad Ecclesiam universam, in quibus fidei quoque suae professionem expressit.

III. Dum haec gerebantur, Menas Patriarcha magnam in eo operam ponebat, ut Graecos Episcopos Vigilio reconciliaret. nec longo labore effecit, ut plerique secum quae sentirent, scripto profiterentur, ac veniam admissorum a Vigilio supplices flagitarent: utique Chalcedonem communi consensu mitterent, qui eum libellum Pontifici maximo offerrent pacemque poscerent (5). factum id Menae Patriarchae fere postremum fuit: nam VIII. kal. Septembres decessisse creditur, Eutychio statim in ejus locum suffecto. Chalcedone vero per idem tempus apud Martyrem Euphemiam diem item suum obiit Verecundus Iuncensium Episcopus (6), aerumnis confectus, quas in litteris suis Clerici Italiae commemorant (7). sic enim de Primasio et Verecundo loquuntur: *Hoc videntes alii duo, qui inter ipsos et sanctitate vitae et divinarum scripturarum scientia sunt ornati, ad sanctam Euphemiam Chalcedonem fugerunt: et ibi usque hodie sub tanta necessitate jacent, ut, quum infirmitate corporis laborantes nec medicum invenire mereantur, pericula immensa sustineant.*

(5) *ibid. in Const. Vig. p.* 11.
(6) Vict. Tonnon. *in Chron.*
(7) apud Hard. *ibid. p.* 48.

ANNUS CHRISTIANUS DLIII.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. HUNC annum veteres duodecimum vocant post Consulatum Basilii V. C. qui Iustiniani Augusti vicesimus septimus fuit. Primasius, quum sciret, Concilium magnum hoc anno Constantinopoli celebrandum esse, e re publica autem fore putaret, si se Carthagine contineret; Sextilianum Tunejensem e Proconsulari provincia de Episcoporum sententia legit, et regiam in urbem misit, qui vice ejus fungeretur, totumque Proconsulare Concilium referret. ceterum eodem ex ipsa provincia Proconsulari profectus est Victor quoque Sinnariensis: Numidia vero tres misit Cresconium Iactarensem, Restitutum Milevitanum, Crescentem Cuiculitanum: ex provincia Byzacena, quae jam binos dederat, tertius delectus est Pompejanus Victorianensis. Mauretania demum Tingitana Valerianum

Obbensem suppeditavit (1). atque hi omnes, opinor, in Primasii sententia erant.

II. Vigilius interea multorum Episcoporum officiis delinitus, quum et Euthychii Patriarchae disertam fidei professionem litteris consignatam accepisset, eandemque a reliquis Episcopis scripto confirmatam teneret, sponte Constantinopolim rediit. rogatus autem ab Eutychio, ut ad diuturnam illam de tribus Capitulis controversiam dirimendam, quod omnes boni optabant, magnum denique Concilium incoharet, sic animi sui sententiam exposuit (2): *Annuimus, ut de tribus Capitulis, ex quibus quaestio nata est, facto regulari conventu, servata aequitate, mediis sacrosanctis Evangeliis collationem cum unitis fratribus habeamus: et finis detur placitus Deo, et conveniens iis, quae a sanctis quatuor sunt definita Conciliis.* verum quod maxime urgebat, impetrare non potuit, ut pari utrinque numero Graeci Latinique Episcopi convenirent. nam quum Augustus minime dissentiret, una voce a Graecis reclamatum est: se nempe ad magnam synodum vocatos, frustra tantum itineris emensos fuisse, si adesse cum aliis non possent: Concilio ipsi auctoritatem adimi, siquidem tam multi rejicerentur: si Latinorum Episcoporum in Graecorum delectu ratio haberi deberet, ob exiguum eorum numerum omnino futurum esse, ut sapientissimi optimique excluderentur. Nicaenum praeterea et Chalcedonense Concilium commemorabant, quod e Graecis constiterat, Legatis tantum ab urbe missis, qui conventui praesiderent: cavendumque monebant, quum Latini ex praejudicata opinione pro tribus Capitulis omnes essent, ne partibus aequatis pares quoque sententiae forent, atque suspensa omnia et injudicata relinquerentur. haec tanti fecit Augustus, ut Vigilii conditiones mutato consilio posthaberet: itaque synodum omnium Episcoporum in diem tertium nonas Majas indixit, qui a die Dominico primus fuit. eodem autem die Patres primum convenere; nec tamen cum iis Vigilius, quod conditiones, quas tulerat, repudiari non probaret. grave id omnibus fuit, praesertim quod intelligerent, nullam apud Latinos Concilii auctoritatem futuram, cui Pontifex maximus non praefuisset. ob eam rem splendidissima ad Vigilium legatio decreta est, ut viginti primi ex Episcopis eum adirent, atque ad synodum invitarent. missi etiam a Principe viri primarii, qui hoc ipsum ab eo enixe peterent. nec tamen in eo quidquam profecerunt: nam in proposito ipse suo sententiaque permansit, ut Concilium aequatis partibus cogeretur. nec diversa sensit Adrumetinus Primasius: qui Concilii nomine a Theodoro Episcopo Limyrensium domi rogatus, ut in consessum Patrum prodiret, aperte respondit, *Papa non praesente non venio.* atque hunc ceteri e Latinis Episcopis sequuti videntur, qui quum eo tempore Constantinopoli essent, in subscriptionibus tamen desiderantur.

III. Enimvero Graeci Episcopi manifesto Augusti studio obsequendum rati, conventus suos vel absente Vigilio egerunt, atque ex ordine scripta

(1) *ex subscript. Conc. v.* (2) Vigil. *epist.* apud Baron. *h. a.*

Theodori Mopsuesteni, epistolam Ibae ad Marim Persam et quae Theodoretus in Cyrillum scripserat, diligentissime excussere, Vigilii ipsius testimoniis usi, quae in ejus *Iudicato* continebantur. quum autem et illud quaereretur, utrum eos damnari fas esset, quos in Catholica communione ad mortem usque mansisse constaret; Sextilianus, qui Primasii Episcopi Carthaginiensis et Concilii Proconsularis legationem habebat, copiose de ea re graviterque disseruit, Augustini auctoritatibus in medium prolatis, qui saepius contra Donatistas scribens professus erat, paratum se ad Caeciliani damnationem fore, siquidem eum crimine obligatum ostendissent, quod illi objiciebant. per eos autem dies Vigilius multa commentatione ac meditatione *Constitutum* suum perscribebat, in quo damnatis refutatisque omnibus, quae a Theodoro Mopsuesteno impie scripta repererat, ejus tamen memoriae majorum exemplo parcendum ostenderet: Theodoreto autem in primis atque Ibae multo magis rationem habendam, quos et synodus Chalcedonensis honorasset, atque Catholicos agnovisset. huic commentario Latini Episcopi subscripsere sexdecim, ac Diaconi Ecclesiae Romanae tres: ex Africanis Episcopis unus Primasius Adrumetinus. exinde *Constitutum* Augusto oblatum esse, ambigendum non est. nam quod in Actis Concilii non legatur, Augusto ipsi tribuendum puto, qui Patribus exhiberi noluerit, ne consensus Episcoporum, quem tantopere fovebat, divelleretur. quamobrem Patres quum octies jam convenissent, IIII. nonas Iunias hanc demum sententiam protulerunt (3). *Praedicta igitur tria Capitula anathematizamus: id est Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis; et quae impie Theodoretus conscripsit, et impiam epistolam, quae dicitur Ibae, et defensores eorum, et qui scripserunt vel qui scribunt ad defensionem eorum, vel recta ea dicere praesumunt, vel omnino impietatem eorum nomine sanctorum Patrum aut sancti Chalcedonensis Concilii defenderunt, aut defendere conantur.* post quae articulis quatuordecim haereticorum damnatae sententiae sunt nominatim, quae in Theodori et Theodoreti et Ibae scriptis eminerent. actum praeterea de Origeniana secta, severaeque in eos sententiae dictae, qui vetera illa Origenis somnia et commenta renovarant. nec jam aliud restare videbatur, nisi ut iis, quae tanto animorum consensu peracta definitaque fuerant, Pontificis maximi, quod plurimum intererat, auctoritas de more accederet.

IIII. Id vero Iustinianus a Vigilio quum repeteret, hic contra negaret, se ab sententia discessurum, quam in *Constituto* suo nuper explicaverat, grave inter utrumque dissidium ortum est. Vigilius solum vertere coactus, nomenque ejus sacris Ecclesiae Diptychis abrasum: par eos etiam, qui Vigilio adhaeserant, poena sequuta est. Primasium in Acoemetorum monasterium relegatum esse, Rusticum Diaconum Ecclesiae Romanae et Felicem Hegumenum monasterii Cilitani in Thebaida cum sociis deportatos scribit Victor Tonnonensis. sed Vigilii exsilium diutur-

(3) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 202.

num non fuit. quum enim acta Concilii per otium legere licuisset, ac tot numero Episcopos uno ore priora quatuor Concilia reveritos, de tribus Capitulis sententiam ita tulisse constaret, ut unum Theodorum Mopsuestenum, quem nemo Catholicum habebat, nominatim percellerent, Theodoreti et Ibae nomini plane parcerent: fore autem speraret, si ultro Concilii voluntati assensus esset, ut reditus sibi ad urbem pateret, Latinosque Episcopos exemplo ipse suo et cohortatione cum Graecis reconciliare aliquando posset; animum denique induxit Augusto morem gerere, atque inconstantiae notam prudentiae laude delere.

ANNUS CHRISTIANUS DLIII.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUS hic est a Consulatu Basilii decimus tertius, Imperii Iustiniani vicesimus octavus. graves jam de Vigilio nuncii Romam pervenerant, in magna eum offensa apud Principem esse, eaque de canssa exsulare: alios praeterea e Latinis in eadem calamitate versari. itaque primarii e Clero viri Narsetem Italici exercitus ducem supplices adierunt rogatum, ut qui plurimum apud Augustum gratia valeret, tantam injuriam a Pontifice maximo deprecaretur. nec vero Narses operam suam officiumve desiderari passus est. sed Vigilii ipsius plus potuit facilitas: qui vII. kal. Martias *Constitutum* emisit novum, in quo tria Capitula ad ipsius Concilii normam damnabat, hac usus clausula (1): *Quaecumque vero sive meo nomine, sive quorumlibet pro defensione memoratorum trium Capitulorum prolata fuerint, vel ubicumque reperta, praesentis nostri plenissimi Constituti auctoritate vacuamus.* tum cavebat idem, ne qua propterea Concilio Chalcedonensi macula adspergeretur. *Ideo*, inquit, *eos, qui memoratam epistolam ad Marim Persam, designatas superius blasphemias continentem a sancta Chalcedonensi synodo, a praesenti tempore innotescente sibi hujus nostri serie Constituti, adserere voluerint esse susceptam, vel a quocumque eorundem Patrum in Chalcedone residentium orthodoxam pronunciatam nituntur adstruere, pari anathematis poena percellimus.* hoc pacto Vigilius schismati occurrit, concordiamque publicam sententiae suae jactura redemit. tum id obsequii ad demerendum Augustum adeo profuit, ut multa ille postea Vigilii rogatu faceret, quae Romani maxime expetebant. porro Vigilii auctoritatem sequuti deinde Episcopi sunt, qui cum eo ante secesserant, Primasius in primis, cui proinde in Africam redeundi potestas fuit. utinam hunc conterranei imitati essent, qui in exsilium pulsi errore ipsi suo delectabantur, sibique tamquam Martyribus blanditi, revera pertinaciae suae poenas sustinebant. insignis inter alios obstinatione sententiae Facundus Hermianensis est, jamdiu latitare coactus, ne vim Principis

(1) apud Hard. ex Baluz. *ibid. p.* 244.

iracundiamque subiret. qui tamen in exsilio etiam, duodecim voluminibus quae Constantinopoli adversus Augustum *pro defensione trium Capitulorum* vulgaverat, minime contentus, librum quoque in Mocianum Scholasticum scripserat, quod is Africanos Episcopos Vigilii *Iudicatum* repudiantes reprehendisset: eodemque animo Concilium ipsum magnum insectabatur, postquam id Vigilius Pontifex maximus receperat: ausus praeterea epistolam mittere quaquaversus maledictorum et temeritatis plenissimam, quam *Fidei Catholicae* appellavit: ut jam omnium opinio sit, numquam eum ab errore resipuisse.

II. At vero in Africa, quum eo jam rediissent Episcopi, qui Concilio interfuerant, et notus jam exitus eorum esset, qui Augusti voluntati repugnaverant, notum ipsius Vigilii consilium, qui dignitatis suae splendorem tranquillitati publicae posthabuerat; studium partium, quo plerique omnes exarserant, lenius paullo ac remissius esse coeperat. itaque Primasius pacis Ecclesiarum cupidissimus operae pretium se facturum putavit, si Episcopos Proconsularis provinciae Carthaginem vocaret, et quae Constantinopoli acta constitutaque essent, iis, qui adfuerant, praesentibus edoceret. quum frequentes convenissent, prudenter ea res atque ex opportunitate gesta animos inter se conciliavit. duo enim ex Episcopis, qui pedem ex Africa non extulerant, Rufinus Taciae Montanae Episcopus, et Vinius cetera ignotus, quos Victor Tonnonensis, adversae factionis fautor, Reparati Archiepiscopi obtrectatores appellat, de tota controversia ita disseruerunt, ut oratio eorum a nemine in suspicionem vocaretur. sic demum fere omnes manus dederunt, et Primasium, quem antea Reparati prope proditorem, honorisque ejus interceptorem habebant, mira consensione sequuti sunt (2). quae autem sub Reparato quadriennio ante decreverant, novis confixa sententiis conciderunt: nec jam in ambiguo fuit, num Proconsularis provincia cum Catholica Ecclesia sentiret.

III. Quam haec grata Augusto, quam jucunda Vigilio acciderint, nemo satis explicare scribendo possit. nam quum per Occidentem discordia serperet, et Episcopi magno numero erroris specie decepti ejuratam Constantinopoli doctrinam Catholicam fidemque proditam conclamarent; post tale exemplum spes affulgebat, fore propediem, ut plerique ex illo seditiosorum strepitu in Africanorum Patrum auctoritate conquiescerent. porro Vigilius, quem respublica ob Italiae vices diu apud Principem detinuerat, mense Augusto exeunte regiam denique urbem in Italiam navigaturus reliquit. quum autem rursum in Siciliam appulisset (3), gravi repente morbo oppressus Syracusis subsistere coactus est. ibi eum periculosa valetudinis curatio reliquos anni menses exercuit. calculorum enim dolore laborabat, tantaque vis morbi fuit, ut quum prope in conspectu Italia esset, Romam tamen, quae jamdiu reditum ejus opperiebatur, pervenire non potuerit. Syracusis eum decessisse constat; quamquam incertum mortis ejus diem esse, plerique omnes consentiunt: nisi quod in

(2) Vict. Tonn. *in Chron.*

(3) Contin. Marcellin. *in Chron.*

antiquo codice Veronensi traditum denique legimus (4), *Vigilius sedit annos decem et octo, menses duos, dies novem. moritur in Syracusis secunda feria, nocte, septimo idus Iunias, Indictione tertia.* hae tamen notae tabulis temporum non respondent, in quibus hoc anno Indictio cietur secunda, diesque ille VII. idus Iun. Dominicus est. itaque in mense latere mendum agnosco, scriptumque primitus arbitror VII. ID. DECEMB. haec certe si admiseris, habebis *Indictionem tertiam* a Septembri incohatam, et *feriam secundam*, quae fuit VII. idus Decembres: quo die ille obiisse videatur. hunc vitae finem habuit Vigilius, meliora ingenio et doctrina et virtute meritus, nisi eum ad Pontificatum capiendum cupiditas impulisset, quam poena expiari necesse fuit.

(4) apud Maffejum *in Bibl. Veron. Mss. post Hist. Theol. p.* 81.

ANNUS CHRISTIANUS DLV.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. A Consulatu Basilii annus hic decimus quartus fuit, Iustiniani Augusti vicesimus nonus. Ianuario ineunte Vigilii corpus Syracusis Romam usque perlatum est, et in aede Marcelliana ad viam Salariam sepultum. in ejus locum Pelagius creatur, qui laborum ejus socius fuerat. in Africa autem Primasius, qui Proconsularem provinciam pacaverat, Numidiae sibi reconciliandae viam rationemque meditabatur. Numidae enim Episcopi veteres etiamtum querelas deplorabant, tribus Capitulis ad Principis arbitrium damnatis, novum ac perniciosum in Ecclesiam morem inductum, ut primarii viri in Catholica communione defuncti damnarentur; deinde ut vel summa Conciliorum magnorum auctoritas impune contemneretur. itaque eos, qui Constantinopolitanae synodi decreta receperant, aversabantur, ut cum iis sentirent, qui in Illyrico maxime atque Italia intestinum ac domesticum prope bellum Catholicis omnibus indixerant. in eam demum sententiam venit Primasius, ut Episcopos Numidiae Carthaginem ad synodum invitaret. ii vero, quod potissimum ad confirmandam concordiam opus erat, dicto audientes fuerunt. cumque Carthagine versarentur, et quae anno superiore pertractata fuerant, cognoscerent, se factiosorum artibus deceptos facile intellexerunt, nec jam sibi fas esse, ut Concilii Proconsularis, quo cum majores semper consenserant, auctoritatem aspernarentur. datae igitur dexterae, et pax in conventu firmata, ut in una omnes Ecclesia esse, atque eandem se doctrinam cum Primasio sequi profiterentur (1).

II. Rebus Numidiae compositis, latius in provincia Byzacena dominari discordia videbatur: aegrius enim a Facundi Hermianensis sententia discedebant, qui diu apud eos in honore fuerat, submissisque libris, quos ediderat, rudes earum rerum Episcopos in opinionem suam nomine ipso

(1) Vict. Tonnon. *in Chron.*

et existimatione pertraxerat. opportune tamen accidit, ut Boethio Primate demortuo, is honor Primasio Adrumetino deberetur, qui et Constantinopoli diu versatus totam controversiam illam callebat, et ob doctrinae laudem commendatus, nova accedente dignitate, plus aliquid roboris ad animos conciliandos habiturus putabatur. ceterum qui provinciam administrabant, jussi ab Augusto seditiosos poena coërcere, Theodorum Episcopum Cabarsussitanum exsilio multarunt: eique additus socius Victor est Tonnonensis, ut in Chronico ipse suo ad hunc annum testatur, qui se in custodiam quoque traditum, nec semel in carcerem conjectum esse commemorat. atque hi antiquis se Ecclesiae Martyribus comparabant, obliti, quae olim Augustinus sapientissime scripserat, caussa Martyres fieri, non poena.

ANNUS CHRISTIANUS DLVI.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. Hunc annum veteres a Consulatu Basilii decimum quintum vocant, quo Iustinianus Imperii sui tricesimum incohavit. turbatum identidem in Africa trium Capitulorum caussa: nam quum fama esset, veteris sententiae fautores in Italia vigere, quique cum Pontifice maximo conjuncti erant, invidia laborare; efferebantur interdum, qui antea contra Primasium steterant, ac vix obductam Ecclesiae cicatricem refricabant. ea caussa fuit, cur Primasius auctoritatem Principis et praesidium implorarет. si Victori Tonnonensi fides, quicumque Primasii voluntati obsequi noluerunt, fustibus, custodiis, exsiliis afflicti. Victor ipse cum Cabarsussitano Theodoro, quamquam Alexandriae exsulabant, quod a maledictis sibi non temperarent, diu ibidem consistere permissi non sunt: atque in monasterium Taibennesiotarum apud Canopum deportati, ubi innocentius insanirent.

II. Verum, si eas turbas exceperis, quas ejusmodi homines factionis suae studiosi quandoque excitarunt; vix alia aetas in Africa plures in litteris disciplinisque exercitatos, et praeclara ingenii laude florentes numeravit: ut imperiti tantum atque otio diffluentes eo tum aestu abrepti videantur. nam e scriptorum numero, quos novimus, praeter Victorem Tonnonensem, vix alium reperias, qui Facundum Hermianensem dissidii illius auctorem non deseruerit. Primasius Adrumetinus jamdudum ante alios inclaruerat, Vigilii olim in adversis comes, ejusdemque in omni consilio adstipulator. hujus scripta feruntur, quae exstant, *Commentaria in epistolas sancti Paulli*, alia item *mysticae expositionis in Apocalypsin ad Castorium* in libros quinque tributa: tum qui periere, *libri tres de haeresibus ad Fortunatum Episcopum* (*). nec modo studiis ipse deditus fuerat, sed iis etiam faverat, qui litteras colerent. nam ei certe

(*) v. *epist.* Sirmondi *ad* Holsten. *art. Praedestin. ed. Ven.*

libros *de partibus divinae legis* dicavit Iunillus Cassiodorio (1) cognitus, Vticensis, ut fertur Episcopus, qui Graeciam adolescentior Syriamque peragraverat, ac Nisibi Paullum quemdam, Persam genere, divinas litteras explanantem audierat: quemadmodum ipse in praefatione Primasio de ea re interrogatus exponit. hujus item opus creditur *Institutio adolescentis* nec dum editum (2). jam Victor Mataritanus in Criticorum numero habebatur, a quo Cassiodorius exemplum expectabat Cassiani operum, quae ille emendasset (3), iis demtis aut mutatis, quae de libero hominis arbitrio neque acute neque accurate tradiderat. nec infra hos fuit Eugipius, non utique geminus, sed unus idemque, Abbas monasterii Lucullanensis in Campania, et Presbyter ex Africa, quem superius a Cassiodorio laudatum commemoravimus (4). hic est, qui vitam s. Severini Monachi scripsit, quam ad Paschasium Diaconum missam accepimus (5). Cassiodorius vero de libro, quem Eugipius idem Marini Abbatis et Monachorum ejus hortatu se scripsisse testatur, *Hic*, inquit (6), *ad parentem nostram Probam virginem sacram ex operibus sancti Augustini valde beatissimis quaestiones ac sententias ac diversas res deflorans, in uno corpore necessaria nimis dispensatione collegit, et in trecentis triginta octo capitulis collocavit. qui codex*, (Thesaurum ipse Eugipius appellat) *ut arbitror, utiliter legitur, quando in uno corpore diligentia studiosi viri potuit recondi, quae in magna Bibliotheca vix praevalet inveniri.* quin et poësi tum honor apud Afros erat. nam Verecundus ille Iuncensis Episcopus, quem Chalcedone obiisse scripsimus, divinarum litterarum scientia clarus, multa et versibus commentatus, reliquisse dicitur libellos dactylico carmine binos, alterum *de Resurrectione et Iudicio*, alterum *de Poenitentia* (7), quorum postremus vetustatem tulisse fertur (8). cum autem, Vandalis ex Africa ejectis, praesides e Graecia mitterentur, nec raro Constantinopolim negotiorum caussa adire, et inter Graecos versari opus esset, multi propterea id quoque laboris susceperunt, quod majores neglexerant, ut Graecas litteras discerent, magno utique ingeniorum bono, quae inveteratam barbariam paullatim exsuerunt.

(1) *de divin. Lection. c.* 10.
(2) Montfauc. *Bibl. p.* 236. D.
(3) *de divin. Lection. c.* 29.
(4) Mabill. *Analect. T. II. p.* 9. *et* 15. v. Basnag. Canis. *L. A. T. I. p.* 411.
(5) Basnag. *ibid. p.* 410. v. *an.* 454. 3.
(6) *de div. Lect. c.* 23. *et* Notuerus apud Pezium *Thes. Anecd. T. I. p.* 2.
(7) *auct. app. ad* Isid. *c.* 6.
(8) *vide* Cavem *in Verec.*

ANNUS CHRISTIANUS DLVII.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic est post Consulatum Basilii decimus sextus, idemque Iustiniani Augusti tricesimus primus. mortuum hoc anno in exsilio apud Sinopem monasterii Cilitani Hegumenum Felicem, tradit Victor Tonnonensis, cujus exitum laudat, quod illarum partium esset, quas ipse se-

quebatur. hic ille est Felix, quem olim Vigilius, quum Rusticum et Sebastianum Diaconos suos gradu movit, his verbis nominatim damnavit (1): *Felicem etiam Monachum Afrum, qui Gillitano monasterio dicitur praefuisse, et levitate sua atque inconstantia congregationem ejusdem monasterii per diversa loca certum est dispersisse, et vestrae pravitatis incentor est, cum universis, qui eum vel vos, tam Clerici vel Monachi, quam laici, post praesentia interdicta in aliqua vestra se societate polluerint, aut consensum consiliumque praebuerint, regularem in his, quae item superius legitur, constituimus manere sententiam.* textus, ut vides, verborum vexatus: sed vis tenetur.

II. Porro apud Cilitanos non defuisse, qui post Felicis defectionem Monachos rursum cogeret foveretque, frequentes in provincia Byzacena Monachorum familiae persuadent, Adrumetina in primis et Ruspensis, quarum monasteria clarissima erant: esto in ea dispersione, quam Vigilius commemorat, veri simile sit, nonnullos Deo auspice in alienas regiones opportune transmisisse, qui dum otium sibi et quietem quaererent, alios atque alios ad religiosae pacataeque vitae securitatem exemplo ipso virtutis et rerum omnium contemptu traducerent.

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 181.

ANNUS CHRISTIANUS DLVIII.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUM hunc a Consulatu Basilii decimum septimum, Iustiniani Augusti tricesimum secundum historia designat, Constantinopolitanis pestilentia maxime memorabilem. hoc aut proximo anno Pontificatu se abdicasse videtur, qui provinciae Byzacenae Primatum tenebat, Adrumetinus Primasius. neque enim audiendum puto Victorem Tonnonensem infesto in eum animo haec scribentem (1): *Reversusque ad sua, quae prius defendebat, validissimis persequutionibus impugnavit, fidelibusque calumnias generando, eorumque substantias auferendo. sed in quibus peccavit, latere non potuit. siquidem postquam a Catholicis sui Concilii Antistitibus pro suis praevaricationibus condemnatus, infelici morte extinguitur: et quae conquisierat fraude, fideliter a Iudicibus auferuntur.* nimirum vir litteris deditus honorem, opinor, cupidis reliquit, maluitque privatus utilem multis operam in scribendo ponere, quam Episcopus perpetuum bellum gerere cum factiosis. cujus abdicationem si cita mors consequuta est, placidiore etiam exitu decessisse crediderim, qui antea sponte reliquerit, quod mors vel invito ablatura erat. nec vero ei vitio vertendum fuit, si quid forte pecuniae multatitiae apud eum inventum esset, quod in fiscum referretur. recte enim Ecclesiae addixerat, quae indidem profecta esse videbantur.

(1) *in Chron. ad an.* 552.

ANNUS CHRISTIANUS DLVIIII.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic fuit post Consulatum Basilii decimus octavus, Iustiniani Augusti tricesimus tertius. in Africa quum ad paucos redacti jam essent, qui in trium Capitulorum defensione, quam olim plerique omnes temere susceperant, permanerent; multo magis fracta ac debilitata factio est nunciis ex Illyrico adlatis, totas illic Ecclesias, mutata sententia, Concilii Constantinopolitani Decreta, quae tamdiu respuerant, amplexas esse. factum Victor ipse non inficiatur, sed more suo reprehendens sic refert. *Illyriciani Episcopi, praeter parva monasteria parvosque fideles, persequutiones passi, consentiunt, pristinam fidem in irritum deducentes.*

II. Sub anni exitum quum Bulgares in Thraciam irrupissent, ad muros usque regiae urbis pervenerunt, ubi acriter utrinque pugnatum est. in eo conflictu Sergium Patricium, qui Magisterio militum in Africa pessime functus fuerat, barbari captum crudelissime discerpsisse dicuntur: quos demum Belisarius ab urbe depulsos Danubium transire coëgit (1).

(1) Vict. Tonn. *in Chron.* et Theoph.

ANNUS CHRISTIANUS DLX.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. Hunc annum a Consulatu Basilii decimum nonum numerant veteres, eundemque Iustiniani ab Imperio suscepto tricesimum quartum. fuit hic vitae ultimus Pelagio Pontifici maximo: post quem XV. kal. Augustas creatus est Ioannes hujus nominis tertius. superstes etiamtum apud Euchaïta vivebat Reparatus, qui Ecclesiam Carthaginiensem administraverat, nec a proposito declinabat, unus paucorum ex Episcopis Africanis, qui sibi ipsis potius, quam Ecclesiae Romanae fidere voluerunt, cujus judicium adversus tria Capitula manifestum ab omnibus tenebatur. cum eo fere versatus creditur vir cetera doctus Liberatus Diaconus, qui in eadem opinione erat, atque id temporis *Breviarium* scribebat *Caussae Nestorianorum et Eutychianorum*, quo res annorum centum et triginta quinque carptim persequutus (1), haud inutile posteris, qui eo usi sunt (2), opus reliquit. sub hujus autem finem quae Episcopis contigerant, qui sententiam priorem deseruissent, quique in eadem permanere maluissent, sic Iustinianum perstringens adnotavit. *Cetera vero,* inquit, *quae subsequenter in Episcopis et Catholica Ecclesia ab eodem Principe facta sunt, quomodo consentientes Episcopi in trium Capitulorum damnationem muneribus ditabantur, vel non consentientes depositi in*

(1) *edit. a* Garner. *Paris.* 1675. (2) v. Hard. *Conc. T. VI. p.* 1525. *etc.*

exsilium missi sunt, vel aliqui fuga latitantes in angustiis felicem exitum susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto nunc a me silenda.

ANNUS CHRISTIANUS DLXI.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. Est hic annus a Consulatu Basilii vicesimus, Iustiniani Augusti tricesimus quintus, quem Constantinopolitanis funestum fuisse constat. quum enim popularis in regia urbe seditio conflata esset, Imperator in plurimos animadvertisse dicitur. at Ecclesiis Africae explorata pax esse videbatur. ii enim, qui veteris dissidii studium nondum abjecerant, poenae metu domi et cum amicis de ea controversia deliberabant. ceteri, quum nemo eos interpellaret, si quid norant, dissimulando pacem servare conabantur. itaque, pacatis praesertim provinciis, qui litteris delectarentur, in eo otio plurimum proficiebant, non levi doctrinae laude, quae tum in Italia ipsa prope defecerat. Cassiodorius sane, qui tum, aula relicta atque honoribus contemptis, in Vivariensi monasterio apud Scylacium consenescebat, quum totus in litteris esset, praeclaramque Monachis suis Bibliothecam adornaret, codices ex Africa comparare pergebat (1): disciplinarum veluti domicilium apud Afros esse arbitratus, unde litterarum subsidia peterentur. inter ceteros autem codices, quos inde ad se mittendos ajebat, Commentarium in Paulli epistolas expectabat, opus Petri Abbatis Tripolitanae provinciae ex Augustini sententiis confectum, quae apte dispositae sic Apostoli verbis ubique conveniebant, ut Augustini studio collocatae viderentur.

II. De ipso Petri monasterio, quam apud urbem situm esset, nihil accepimus. nulla certe id temporis in Africa Tripolis erat (2): ac provinciae nomen tres illius tractus urbes dabant, Oea, Sabrata, Leptis magna. quum autem aedificia Iustiniani in postremis duabus multa numeret Procopius, nullam de monasterio condito mentionem intulit: ut aevo ejus antiquius merito putari possit, quocumque demum loco inter duas Syrtes exstructum agnoscamus.

(1) Cassiod. *de divin. lect.* c. 8. v. Mabill. *Mus. Ital. T. I. p.* 33.

(2) Cellar. *Geogr. ant. lib. III. c.* 3. §. 18.

ANNUS CHRISTIANUS DLXII.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic a Consulatu Basilii vicesimus primus est, idemque Iustiniani Augusti tricesimus sextus: qui hoc anno magnificum Sophiae templum, cujus hemisphaerium quadriennio ante collapsum jam restituerat,

nova Dedicatione consecrandum curavit. aderat tum Constantinopoli ex Afris, qui Graecis non impar tantam Principis munificentiam in caelum tolleret, Flavius Cresconius Corippus Grammaticus, et poëta inter Latinos minime contemnendus: quem deinde Iustinus Aug. laudatorem habuit praeconemque virtutis suae. atque ille idem adultior Pontificatum in Africa obtinuisse putatur, ibidemque *Breviarium et Concordiam Canonum* edidisse (1). Ioanneidem autem suam ante hunc annum promulgasse crediderim. nam eo poëmate laudes complectebatur Ioannis Pappi fratris, qui post Artabanem Magister militum in Africam missus (2) Mauros vicerat, pacemque reduxerat.

(1) v. Fabric. *Bibl. med. et inf. Lat. et edit. Paris Pithoei p.* 314.

(2) v. *supr. an.* 546. *et seq.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXIII.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic est vicesimus secundus post Consulatum Basilii, et Iustiniani Augusti tricesimus septimus. conjuravere hoc anno consceleratissimi hominum de Principe interficiendo, eumque in ipsis sedibus ejus oppressuri erant, quum exitiosa illa conjuratio deprehensa est. enimvero in conjuratorum numero repertus Paullus quidam Belisarii procurator domini sui nomen detulit; itaquo Belisarius totius conjurationis auctor habitus. nec segnior in credendo Iustinianus accusatoribus prope fidem adjunxit, virumque a tyrannide alienissimum appositis custodibus domi sepsit, honoribus opibusque spoliavit. unde Belisarii caecati stipemque emendicantis fabella inducta est. ceterum undecimo post mense Belisarius non modo se de tanto crimine purgavit, sed etiam quae amiserat recepit omnia, atque cum Augusto in gratiam rediit (1).

II. Mortem hoc anno obiit apud Euchaïta undecimo exsilii sui anno Reparatus Episcopus Carthaginiensis VII. idus Ianuarias (2): utinam meliore titulo tam dura passus! verum si virtutis antea fuit, quum auctoritas Concilii Chalcedonensis labefactari videbatur, novae synodi judicium de tribus illis Capitulis expectare voluisse, atque in Pontificis maximi sententia cum multis permanere; profecto constantiae laus ei non debetur, quod deinde nec summo Patrum eousensu, nec Vigilii ipsius exemplo commotus, opinionem suam sequi solus, quam alienam maluerit.

III. Missus hoc anno Carthaginem qui Praefectura Africae fungeretur, Ioannes cognomento Rogathinus (3), cujus prudentiam Afri desiderarunt. nam quum olim Ioannes Pappi frater Cutzinae duci Maurorum, qui utilem ei operam in bello navarat, annuam auri summam laborum praemium constituisset; suscepta is Praefectura Cutzinam primum eo

(1) Theop. *an. Alex.* 555.

(2) Vict. Tonnon. *in Chron.*

(3) Joan. Malel. *in fin. Hist.*

subsidio privavit; deinde per dolum vita etiam expulit. quamobrem filii ejus paternam caedem ulturi arma sumpserunt, et Romanos fines oppidis aliquot compilatis vastavere. quae ut rescivit Iustinianus, Ioannem domum revocavit, successoremque ei Marcianum dedit (4) ex familia Augusta ortum (5).

(4) Malela *ibid. ad calc.* (5) Cang. *Fam. Byz. p.* 98.

ANNUS CHRISTIANUS DLXIIII.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. Hunc annum veteres a Consulatu Basilii vicesimum tertium appellant, qui Iustiniani Augusti tricesimus octavus fuit. delata ad Augustum nomina fuerant Episcoporum quorundam, qui in Africa veteris de tribus Capitulis controversiae memoriam prope intermortuam renovabant. ea re offensus Augustus mandata dedit rectoribus Africae, ut Episcopos illos quamprimum Constantinopolim mitterent. quatuor ii fuere, quorum Ecclesias ignoramus, Musicus, Brumasius, Donatus, Chrysonius: eodem ex Aegypto adducti Victor Tonnonensis et Theodorus Cabarsussitanus jamdudum exsules. atque hi quidem disputandi percupidi, quum se cum adversariis experiri velle dicerent, facilem se Iustinianus in hominibus admittendis audiendisque praebuit. simul Eutychium Patriarcham adesse jussit, qui sermones eorum retunderet, pertinaciamque coërceret. sed longa altercatione Eutychius nihil profecit, neque illi indulgentia et moderatione Augusti se vel leviter inflecti atque ad saniora consilia adduci passi sunt. ergo singulos Princeps in singula monasteria amandavit, ut solus quisque deliraret, atque odia conquoqueret. ultra annum tamen in custodia fuisse non putaverim: Iustiniano enim vita functo, quum is, qui rerum potitus est, Iustinus controversias ejusmodi minus urgeret, ac pacis otiique studiosus esset, facile illi ab Augusto sub ipsum Imperii exordium impetrasse dicendi sunt, ut in Africam ad Ecclesias suas reverterentur. nam quod Victor in Chronico nihil de reditu suo aut sociorum tradidit, minime mirandum est. id enim ad annum tantum deduxit, quo Iustinus Imperium suscepit.

ANNUS CHRISTIANUS DLXV.

Primasio Episcopo Carthaginiensi

I. Est hic annus post Consulatum Basilii vicesimus quartus, idemque Iustiniani tricesimus nonus, qui et Imperii ejus vitaeque postremus. sed prior (1) migravit e vita Belisarius, de Africa olim optime meritus, cujus ductu atque opera jugum a se depulit servitutis. atque illius quidem ul-

(1) Theophan. *an. Alex.* 557.

timos vitae dies nulla ignominia notatos, nulla macula adspersos novimus: non ita vero Iustiniani vitam sub exitum ejus immunem sceleris fuisse accepimus. nam quum annum ageret octogesimum tertium, in Aphthartocitarum delapsus est haeresim, qui Domini nostri Iesu corpus ex ipsa Divinitatis conjunctione incorruptum adserebant: sic autem errorem amplexus est, ut Edicto super ea re in omnes provincias emisso, Catholicos universos in sententiam suam adducere conaretur (2). itaque mors ejus pro divino beneficio habita est: magno enim periculo liberatam se esse Ecclesia sensit. idibus eum Novembribus aut postridie obiisse constat. post quem Imperium cepit Iustinus sororis Iustiniani filius, quem ille ab ea sibi adoptarat.

II. Iam quo die Iustinianus decessit, eodem mortuum esse Constantinopoli Theodorum Episcopum Cabarsussitanum, auctor est Victor in Chronico: *Theodorus, inquit, Cabarsussitanus Episcopus defensor trium Capitulorum exsilio ad urbem regiam eo mense ac die, quo Iustinianus, moritur: et juxta Confessores, quibus Hunericus Vandalorum Rex linguas absciderat, sepelitur.* quae Victor addidisse videtur, ut eum a sepulturae loco laudaret, divinitusque constantiam ejus, ut ipse appellabat, comprobatam honore illo atque ornatam ostenderet. sed haec homines judicio suo interpretati saepe falluntur: illud stat, nihil Deo carius esse, quam cum Ecclesia sentire, et quae ipsa praefert, immobili animo consectari.

(2) Theoph. *ibid. et* Evagr. *lib. III. c. ult.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXVI.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. **Hunc** annum veteres a Consulatu Basilii vicesimum quintum numerant, qui Iustini Augusti secundus dicitur. missus hoc anno in Africam videtur reipublicae caussa Thomas, qui in veteri inscriptione Tibursicensium appellatur *Excellentissimus Praefectus,* Procuratoremque habebat provinciae Proconsularis Anicium Faustum Paullinum. titulus adhuc in porta ejus urbis legitur, quae Municipium Tibursicensium Burensium dicebatur (1): et portam ipsam cum munimento a Thoma aedificatam nos docet, salvis Dominis Christianissimis et invictissimis Imperatoribus Iustino et Sophia Augustis. ergo Edictum Augusti a Thoma Praefecto in Africa promulgatum recte statuas, quod hoc anno emissum est. nam Iustinus pacis ac tranquillitatis studiosissimus, qui Africam et Illyricum et Italiam, ob eas res, quae superioribus annis in disceptationem quaestionemque vocatae fuerant, graviter commotas esse meminisset, ac nondum eas quievisse animadverteret, professionem fidei suae ita conficiendam Edictoque vulgandam putavit, ut quae ipse sentiret, recte quidem et ex

(1) Maff. *M. V. p.* 460. *n.* 7. v. Coripp. *de laud. Iust. lib. I. v.* 18.

formula enunciaret, at synodorum mentionem nullam injiceret. qua ille ratione utiliter omnes admonitos volebat, quaestionem de tribus Capitulis ad doctrinam Catholicam pertinere non videri: quod et non obscure sub Edicti finem significabatur his verbis (2), *Nemo deinceps inanem praetextum arripiens circa personas aut syllabas rixetur.*

II. Ceterum seniores per Africam Episcopi, qui olim Reparatum Episcopum Carthaginiensem sequuti fuerant, Edictum Augusti sic interpretati sunt, quasi ille Acta magni Concilii, a quo tria Capitula damnata fuerant, rejecisset, in eandemque sententiam Hispanos Episcopos pertraxerunt: qui deinde in synodis suis Concilii Constantinopolitani secundi nullam rationem habuerunt, quae in eo gesta fuerant, compellente Iustiniano (3) gesta arbitrati, et Iustini Edicto infirmata atque convulsa (4). sed tamen ob eos motus quae antea fuerat cum Ecclesia Romana neque Hispanorum neque Afrorum concordia dissiluit: ac tardam quidem, sed magnam demum rebus attulit medicinam longinquitas et dies.

III. Interea Primasium Episcopum Carthaginiensem, quo potissimum auctore conatus olim compressi eorum fuerant, qui dissidium in Africa dissensionemque commorant, diem denique suum obiisse putaverim, eique Publianum successisse, quem in hujus aetatis monumentis cieri videmus (5). atque hic quidem, si hoc anno Pontificatum cepit, parum laeto usus exordio dicendus est: nam XVIII. kal. Octobres nefariam a Iustino legem promulgatam novimus (6), qua matrimonium communi conjugum consensu dissolvi posse sanciebat: cui sane legi, quae divinae opposita est, omnes Episcopos pro viribus adversari oportebat, sed eos maxime, qui Primatum obtinerent: quorum silentium timidis excusationi, Ecclesiae exitio est.

IIII. Ad Episcopos quod attinet jamdiu in regia urbe exulantes, e monasteriis tandem emissos esse, atque in Africam remeasse, non immerito judicaveris. nam post Iustini Edictum, qui tria Capitula damnaverant, vocem, opinor, jam continebant, ne forte recrudescerent, quae consanuisse videbantur. quin etiam praeter Episcopos illos Musicum, Brumasium, Donatum, Chrysonium et Victorem, qui Constantinopoli in custodia fuerant, Liberatum quoque, veterem Reparati Diaconum, mortuo praesertim Primasio, in patriam rediisse, credibile est, mitigatoque animo ad graviorum se disciplinarum studia traduxisse, quae in Africa tum florebant. verum ex iis, qui tum ad Ecclesias suas reverterunt, Victorem Tonnonensem diu superstitem aemulorum suorum fuisse non apparet. quum enim in Chronico suo post Iustiniani mortem nihil aliud praeter Iustini Augusti renunciationem consignarit; in eo satis indicii est, hunc ei annum aut proximum vitae finem attulisse. praeter Chronicon reliquisse idem putatur libellum *de Poenitentia*, qui olim Ambrosio adtributus

(2) Evagr. *H. E. lib. v. c.* 4.
(3) Isidor. *in Catal. Script. in Theod. Mops.*
(4) Ioan. Biclar. *in Chron.*
(5) *in Pragmat. Tib. Const. Aug.*
(6) apud Baron. *h. an.*

immerito; neque enim tanto auctore dignus videri debebat: tum qui scripsit, *Victorem* se in calce nominat. cum autem Cartennitano Victori quidam adsignarunt: sed Tonnonensis esse, codices antiqui aliquot diserte indicant (7).

(7) v. Ambr. *Oper. T. III. sub fin.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXVII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Rursum hoc anno Consulis nomen auditum: ipse enim Iustinus Consul processit, solus tamen, eoque consilio, ut Augustorum tantum in posterum is honor esset. qua pompa, quo apparatu Consulatum susceperit Augustus, fuse descripsit versibus (1) Cresconius Corippus noster, qui tum Constantinopoli versabatur, poëta ea aetate clarus. Iustini porro a suscepto Imperio annus hic tertius censetur. post Thomam de Afris optime meritum Praefectura Africae ad Theodorum delata est, apud quem hoc anno plerique possessorum de Iustiniani lege (2) questi sunt, qua constituerat, creatos ex libera matre et adscriptitio marito liberos esse. addebant enim, post eam legem agros paullatim esse desertos, agricolasque libertatem usurpantes a praediis discessisse, quibus antea addicti erant. talis quippe soboles olim adscriptitia habebatur: ut ne Episcopi quidem sine voluntate et assensu eorum, quorum juri potestatique suberant, legere in Clerum quemquam et adscribere Ecclesiae ministerio possent (3). ergo a Theodoro etiam atque etiam petebant, ut caput illud legis ab Augusto abrogandum curaret, ne illa Afri tenerentur: nam Iustinianus ipse Illyricianorum gratia eandem legem ita molliverat (4): *Filios, qui nascuntur ex libera matre atque adscriptitio patre, liberos esse cum suis rebus, sed tamen colonos, ut non liceat terrulas, ubi nati sunt, relinquere, et alienas colere.* porro Theodorus de horum querelis accurate ad Augustum retulit, tantumque apud eum gratia valuit, ut propediem commodis possessorum prospiceretur.

II. Iam id temporis ex Africa in Lusitaniam Nunctus Abbas cum Monachis aliquot trajecisse putatur (5), quum illic Rex Leovigildus regnaret: et apud Emeritam singulari castimoniae fama aliquamdiu versatus, monasterium postea condidisse, Rege ipso Ariano probante atque adjuvante, qui viri sanctitatem suspiciebat, ac preces sibi plurimum profuturas arbitrabatur. sed Nuncti in eo monasterio brevis admodum vita fuit. nam coloni, quos ei Rex parere jusserat, hominem aspernati vestitu obsoletiore incultum atque horridum, fracta cervice crudeliter necaverunt.

(1) Cor. *de laud. Iust. lib. III. v.* 90.
(2) *Cod. lib. XI. tit.* 47. *L.* 24.
(3) v. Cang. *Glos. v. Adscriptitii*
(4) *Const. Justini de fil. liberar.*
(5) Mabill. *Ann. Ben. lib. VI. n.* 39.

ANNUS CHRISTIANUS DLXVIII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Quartus hic Iustini Augusti annus habetur, et a Consulatu ejus secundus dicitur. Rescriptum kalendis Martiis ad Theodorum Praefectum Africae datum est, in quo eum Princeps parentem carissimum atque amantissimum appellat, et quae Theodorus pro Afris postulaverat, large possessoribus indulget (1). *Sancimus*, inquit, *in Africana provincia filios ex libera matre et adscriptitio patre productos, liberos quidem esse, et res proprias habere, in ordine tamen colonorum esse, et non posse eos dimittere praedia, in quibus nati sunt, et excolere aliena, sed vicos ipsos, in quibus orti sunt, cum libertate colere: sic etenim nec fiscus nec possessor laeditur, neque praedicti imminuuntur, terras, ubi nati sunt, excolentes.* at vero illud incertum, a Theodoro ne, an ab alio Augusti Rescriptum Afris promulgatum sit. nam dum haec Iustinus rescribebat, Mauri in Africa contra rempublicam conspiraverant: adversus quos Theodorus cum exercitu profectus, quum proelium commisisset, vitam in pugna reliquit.

II. Sed tamen afflictis bello rebus et fractis calamitate animis, solatium Ecclesiae aliquod non defuit. nam ex Mauris ipsis (2), qui provinciis Africae jamdudum terrori erant, multi hoc anno Christiani facti sunt: ut in eorum institutione praeclara Cleri sese exerceret industria. atque is quidem utinam in eo labore felicior exstitisset! multa fortasse saecula Ecclesiae ac reipublicae prorogasset. sed agrestis illa barbarorum immanitas et effrenatio impotentium animorum disciplinam non tulit, nec ita Ecclesiae nomen dedit, ut doctrinam ejus et praecepta sequeretur. rapinarum enim et praedae cupidi saepe ad arma atque ad caedes redierunt: depopulati eorum incursionibus agri, vexatae urbes, opes denique ac vires Afrorum omnium attritae, ut si novis ab hostibus bellum inferretur, vim repellere, hostilemque impetum propulsare non possent.

III. At vero Iustinus de Theodori interitu edoctus, Theoctistum, qui succederet, Magisterioque militum in Africa fungeretur, designavit (3). tum res quoque Ecclesiae respexit, et provinciae Byzacenae Primati privilegia sibi vetera vindicanti auctoritatem suam deesse noluit. erat hic Spesindeum, qui proximus, opinor, Primasio Adrumetino successerat, cujus tamen Ecclesiam ignoramus. is Evasium Diaconum Constantinopolim miserat, tria ab Augusto postulatum, quorum illud erat primum, ne Clericus, si forte eum quis in judicium vocaret, apud judices civiles aut militares caussam dicere cogeretur, sed apud Primatem, cui jamdiu Iustinianus eorum judiciorum jus omne permiserat. tum ut nemo Responsalium profectionem impedire posset, si qui forte ad Augustum Primatis

(1) *post Novell. Cod. de fil. liberar.*
(2) Joan. Biclar. *in Chron.*
(3) Joan. Biclarien. *ibid.*

nomine mitterentur. demum si quis ex Episcopis provinciae Byzacenae vel legere aliquem vel ipse ad regiam urbem navigare vellet, ne id quisquam inscio Primate aut invito facere auderet. enimvero Iustinus ita Primatis postulata probavit omnia, ut de singulis rescribens nihil ei denegaret. *Sancimus*, inquit (4), *secundum regularum divinarum tenorem, atque dispositionem patris nostri, Episcopos sive omnes Clericos subjectos tuae beatitudini, si accusantur ab aliquo, sub tua audientia satisfacere in his, quae ad regularem ordinem pertinent: quia nostra pietas haec ipsa atque privilegia data sancto Concilio tuo praevidit confirmare.* de altero dein capite addebat: *Licentiam tuae beatitudini damus, ut quando opus fuerit aut Ecclesiae tuae aut communi provinciae ad serenitatem nostram aliquem transmittere docturum caussas necessarias, sine aliquo impedimento dirigere eum possis: ut veritatem audientes, quidquid oporteat fieri, statuamus.* denique ad caput tertium haec reponebat, *Episcopos vero illius provinciae, si necessariae caussae emerserint, ad nos dirigere, aut ad nostram venire pietatem, cum voluntate Primatis hoc faciant.* kalendis haec Maiis a Iustino rescripta, mandatumque Primati, ut singula retinenda ac praestanda curaret. quae ut in Africam perlata sunt, magnam apud omnes Ecclesias pietatis laudem Augusto pepererunt.

(4) apud Baron. *h. a. ex Iul. Antec.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXVIII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Quintus Iustini a suscepto Imperio annus hic numeratur, a gesto Consulatu tertius, Africae plane funestus ob Maurorum in omnium fortunas impetum, qui sero, nec sine multorum sanguine ac caedibus repressus est. quam acriter utrinque pugnatum sit, infelix Theoctisti Magistri militum exitus declarat: in ipsa enim pugna concidit, decessorem suum imitatus, qui anno superiore in acie occubuerat. porro Afrorum nunciata calamitas Augusti animum perculit, et novi ducis submittenti injecit curam. itaque paullo post qui formidolosissimum illud bellum administraret, dux est delectus Amabilis nomine, ac Magister militum factus (1): quem auxiliaribus copiis instructum Carthaginem advenisse credibile est.

II. Sed frequentes illae barbarorum incursiones cum Ecclesiis omnibus graves erant, tum vero monasteriis permolestae accidebant, in quibus Mauri hospitium sibi legentes saepe Monachos abigebant, aut in summas angustias coarctabant. quare jam nec pietatis apud eos studium vigere poterat, et discendi commentandique cura deserebatur. id vero effecit, ut quidam alias sibi tum sedes quaerendas arbitrarentur, quemadmodum

(1) Ioan. Biclar. *in Chron.*

biennio ante Nunctus Abbas in Lusitaniam secesserat. id exemplum in primis Donatus cum haud exigua Monachorum manu sequutus hoc anno creditur: de quo Hildefonsus haec memoriae tradidit (2): *Hic violentias barbararum gentium imminere conspiciens, atque ovilis dissipationem et gregis monachorum pericula pertimescens, fere cum septuaginta monachis, copiosisque librorum codicibus, navali vehiculo in Hispaniam commigravit: qui ab illustri femina Minicea subsidiis ac rerum opibus ministratis, Servitanum monasterium visus est construxisse.* atque hic apud Hispanos primus *professione et opere monachus monasticae observantiae usum et regulam* invexisse dicitur, idemque sanctitatis laude ac miraculorum potentia floruisse (3). hoc pacto Africana Ecclesia paullatim lumina sua rerumque gerendarum adjumenta admittebat.

(2) *de vir. illustr. c. 4. et lib. vI. n. 40. v.* Isid. Arev. *T. vII. p. 169.* (3) Mabill. *Ann. Ben. lib. III. n. 26.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXX.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Hoc anno Iustinus Imperii sui annum sextum incohavit, qui a Consulatu ejus quartus appellatur. in Africa rursum cum Mauris perpetuo hoste certandum fuit. nec duci novo animus defuit: nam tristes ceterorum casus, qui anno proximo et superiore exercitum duxerant, minime eum a pugna deterruere (1). plus tamen barbarorum et vis potuit et numerus. nam et Amabilis in proelio occisus est, tertius ducum, qui intra triennium pugnantes occubuerunt. quare Mauri tot victoriis elati non modo Afros metu abjectos, sed etiam quidquid copiarum, quas Augustus suppeditaverat, reliquum erat, pro nihilo putabant.

II. Ceterum subsidii aliquid submissum Afris Anastasii Quaestoris et Magistri instantia, Corippus indicare videtur, sic eundem in ejus laudatione compellens (2):

. . . . Generaliter orbi
Quamquam provideas, miseri specialiter Afri
In te oculos atque ora ferunt. agit Africa grates,
Et vestram jam sentit opem, gaudetque quod ampla
Semper Anastasii referunt solatia cives.

(1) Joan. Biclar. *in Chron.* (2) apud Fogg. *App. II. B. p. 402. v. 36.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXI.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Septimus Iustini Augusti annus hic dicitur, et a Consulatu ejus quintus, quo diuturnum illud viginti annorum bellum inter Romanos et

Persas incohatum est. novum hoc Fl. Cresconio Corippo argumentum esse poterat, quod versibus ornaret, qui jam post alia poëmata libris quatuor priores Iustini ipsius res gestas celebraverat (1). sed adulta aetate meliora id temporis cogitare coepit, aula demum regia Ecclesiae posthabita: reversusque in Africam, quum et Augusti gratia et litterarum laude floreret, facile ad Pontificatum evectus est. in eo honore scribendi curam non abjecit, et a Liberino Episcopo excitatus laborem multis profuturum suscepit, de quo in praefatione sic disserit, *Vt cuncta Canonica constituta, quae ab ipsis exordiis militiae Christianae tam sancti Apostoli, quam Apostolici viri per successiones temporum protulere, colligeret in unum, eorumque concordiam faciens, ac titulorum praenotationem interponens, ea dilucidius declararet.* cujus operis caussa, quia Liberinus eum hortabatur, ut majus aliquid, quam quod Ferrandus fecerat, aggrederetur, nec Breviarium merum, quod solos Canonum titulos exhiberet, sed ipsos Canones integros daret (2), *Necessarium*, inquit, *duxi, cuncta Ecclesiastica, ut dictum est, constituta, quae ad nostram notitiam pervenerunt, in hoc opere sub titulorum serie praenotare, et ea condiscere valentibus et volentibus dubitationis ambagem auferre, ut eorum plena instructio non ex difficultate scriptoris, sed ex desidia jam dependeat lectoris.* quare totus operis Cresconiani ordo hic fuit, titulus quidem hujusmodi, *Heic habetur Concordia Canonum Conciliorum infrascriptorum et Praesulum Romanorum, id est Canonum Apostolorum, Nicaenorum, Ancyranorum, Novaecaesariensium, Gangrensium, Antiochensium, Laodicensium, Chalcedonensium, Sardicensium, Carthaginiensium: item Praesulum Siricii, Innocentii, Zosimi, Caelestini, Leonis et Gelasii.* post haec Praefatio Cresconii de Concordia Canonum ad Liberinum: deinde tituli Canonum sive Capitula, quasi index sive conspectus operis sequentis: quae sola *Cresconii Breviarium* appellantur. ultimo loco Concordia Canonum, sive ipsi Canones descripti et in capitula fere trecenta distributi, ut ad singula argumenta subscriptum occurreret, quidquid de ea re eatenus decretum definitumque esse constaret.

(1) v. Fabr. *Bibl. med. et inf. aevi* et Foggin. *Appen. II. B. p.* 393.

(2) v. Ballerin. *de ant. collection. etc. c.* 3 *post* Pithoeum *p.* 314.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic Iustini Augusti octavus et a Consulatu ejus sextus habetur, quo ille corporis simul atque animi valetudine tentari coepit, ut fratrem quoque suum Badurium vix mentis compos omnibus contumeliis vexaret (1). Afri multis jam cladibus affecti exinde animum erexisse, atque a metu paullum respirasse videntur; sive quod post Amabilis in-

(1) Theophan. *an. Alex.* 565.

teritum majori consilio respublica administrata sit, sive quod Mauri, ut mos tum ferebat, muneribus placati arma posuerint. ceterum nullos Episcoporum conventus sub Publiano celebratos accepimus: ut nec otium diuturnum, et parum tuta itinera tum fuisse appareat.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXIII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Nonus hic Iustini annus ab Imperio suscepto, septimus a Consulatu gesto numeratur. ultimus idem fuit Ioanni III. Pontifici maximo, qui Iulio mense decessit: de cujus successore nihil hoc anno deliberatum est, Langobardis Italiam turbantibus, et urbe armorum metu suspensa. neque enim res tum Italiae meliore, quam Africae, loco erant. latius certe apud nos barbari, quam illic indigenae Mauri dominabantur. quae quum in mentem revoco, leviora mihi fiunt, quae nunc Deo ultore atque vindice per Italiam oculis nostris spectamus. nihil in his majus, nisi quod praesens malum est: sed ea aetas 'majora etiam vel avaritiae vel luxuriae vel crudelitatis exempla vidit. utinam qui Deum precibus placare nitimur, rectefactis exoremus!

ANNUS CHRISTIANUS DLXXIIII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic Iustini Augusti decimus et a Consulatu octavus fuit: quo Sophiae Augustae consilium sequutus Tiberium Constantinum Caesarem dixit. eodem anno III. nonas Iunias Benedictus Pontifex maximus renunciatus est. Mauri in Africa non jam latronum more provincias peragrabant, aut raptu solum vivebant, sed certas sibi legerant sedes, regnumque incohaverant, quod institutis ac legibus contineretur. ignotum adhuc, num Caesaream Mauretaniae, quae Romana urbs erat, jam occupassent: sed Regem certe hisce annis habebant, qui omnium fortissimus ferebatur, Gasmulem nomine (1), cujus ductu superiora cum Afris bella, victis interfectisque eorum ducibus, gesta fuerant.

(1) Joan. Biclar. *in Chron.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXV.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Hoc anno Iustinus Imperii sui annum undecimum exorsus est, qui a Consulatu ejus nonus erat, et victoria de Persis relata, ac manubiis in urbem regiam deportatis insignis fuit. Mauros in Africa inducias con-

servasse, ac rem publicam tumultu nullo turbatam esse, persuadet Maurorum ipsorum expeditio in Gallias. nam hoc anno bellum adversus Francos suscepisse dicuntur (1), a quibus tamen devicti sunt. itaque hoc quoque Ecclesiae profuisse credibile est, ut pace uteretur.

(1) Marius Aventic. *in Chron.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXVI.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Duodecimus hic Iustini Augusti annus fuit, a Consulatu decimus, quo Armenia a Persis occupata est. hujus belli acerbitas ac diuturnitas fecit, ut provinciae Africae, quae hostibus patebant, frustra auxilium ab Augusto implorarent. fractae enim jamdudum Imperii vires erant, et opes sub Iustiniano exhaustae, immensis praesertim aedificiorum omnis generis molibus, quas intra Romanos fines ubique locorum constituerat.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXVII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Fuit hic Iustini Augusti annus decimus tertius, quem a Consulatu undecimum numerabat. bellum in Persas ardebat etiamtum, copiisque in eos conversis, Italia Langobardorum armis premebatur. at Mauri in Africa usque ad annum proximum quievisse videntur, induciis, opinor, in aliquot annos pecunia redemptis, quas grave mox bellum est consequutum. quae autem id temporis tot Episcoporum in tanta Ecclesia curae fuerint, quae laus, quae res gestae, amissis veterum scriptorum libris, narrare quis possit! hae scilicet vel magnorum virorum sunt vices, eorum etiam, qui nec vate nec praecone caruerunt. sed de iis dolendum fortasse nobis, quibus erepta verae virtutis exempla sunt: levis vero eorum jactura est, qui religionis pietatisque studio magna praestiterunt. gloriam enim illam et felicitatem non amisere, quam spectarant unice, aeternum apud superos adepti proemium, quocum vitae hujus bona conferre qui velit, amens haberi debeat.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXVIII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Hoc anno Iustinus VI. kal. Octobres diem suum obiit, Tiberiusque Constantinus, quem quadriennio ante Caesarem appellatum vidimus, Imperium suscepit. eodem anno Benedictus Pontifex maximus tertio kal. Augustas Romae decesserat, in cujus locum pridie kal. Decembres factus est Pelagius secundus.

II. Pertinet ad hunc annum profectio Hierosolymitana sancti adolescentis Gregorii, qui deinde Pontifex fuit Agrigentinorum. eum Leontius (1) e Sicilia Carthaginem appulisse scribit, ibique aliquandiu versatum esse, et ab Episcopo ad se accersitum mensaeque adhibitum: paullo post, quum eodem Monachi tres, qui Hierosolyma petebant, forte advenissent, cum his hoc anno Carthagine solvisse, Palaestinam peragraturum. quo tempore Mauri ignaviae otiive pertaesi rursum arma sumpserunt. Afri autem, quum de Iustini morte nuncios accepissent, et Tiberium regnare scirent aetate ac virtute florentem, mature ab eo postularunt, ut in ipso Imperii exordio Africam respiceret, Gennadiumque (2) Magistrum militum creatum in Africam mitteret, cujus virtute respublica confirmata erigeret sese, ac novos irruentium hostium conatus vindicaret.

(1) *in vita Greg. n. 8. et 9.* (2) Ioan. Biclar. *in Chron.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXVIIII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Tiberius hoc anno, Iustinum imitatus, Consulatum cepit gessitque solus, congiario ipsis kalendis Ianuariis plebi dato, qui olim Consulum eo die procedentium mos fuerat. Gennadii in Africam adventus abjectos metu animos a desperatione ad spem revocavit. nec multo post instructus ab eo exercitus atque in Mauros eductus est. quamquam autem constabat, hoc Maurorum fortissimis propositum esse, ut ducem adversarium peterent, idque facinus praeclarissimum haberent; Gennadius tamen non modo insidias eorum aut impetum non vitavit, sed Regem ipsum Gasmulem, qui firmitate ac robore ceteris anteire putabatur, ultro in pugna quaesivit, inventum insequutus manu sua interfecit, ac superiorum ducum mortem ultus est (1). nihil hoc praelio illustrius: Mauri partim internecione deleti, partim in fugam conjecti, et a Romanis finibus abstinere jussi. quare victoriae hujus nunciis Carthaginem perlatis, templa omnia patefacta, ac gratiae Deo actae, cujus immortali beneficio Africa revixisset.

(1) Ioan. Biclar. *in Chron.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXX.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Tertius hic annus fuit Tiberii Augusti, et a Consulatu ejus secundus, quo bellum adversus Persas renovare coactus est. hujus fortasse caussa Gennadium in Africa, quae pacata videbatur, diutius versari non est passus. neque enim virorum fortium tanta tum copia erat, ut in summo rerum discrimine optimi ducis opera carere facile posset. missus

igitur ejus loco Theodorus, qui Praefecturam gessit quietam atque tranquillam. Afri enim hoc anno, qui paullo ante vi et armis decertabant, jure et legibus disceptare coeperunt. agrorum nempe possessores apud Publianum (1) Episcopum Carthaginiensem multis precibus egerunt, ut quae ipsorum gratia duodecim ante annos Iustinus sanciverat, ea a Tiberio Augusto confirmanda curaret. nam illud querebantur, agros suos deseri cultoribusque privari, quod liberi a matre ingenua et patre adscriptitio aut colono procreati dominorum imperium detrectarent, ac matris potius conditionem praetenderent, quam patris meminissent. nec vero Publianus eam curam rejecit, sed id quoque muneris sui esse putavit, ut ad Principem de ea re accurate perscriberet.

(1) *Pragmat. Tib. de fil. colon. et liberar.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXI.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Quartum Imperii sui annum incohavit Tiberius, isque a Consulatu ejus tertius habebatur, quo Persas per Mauricium ducem debellabat, Numidarum etiam barbarorum usus auxiliis (1), quorum dux Alamundarus consilia ejus hosti prodidit. erga Afros tamen benignus, quae Publianus possessorum caussa petierat, libenter indulsit. nam III. idus Augustas sic ad Theodorum Africae Praefectum scripsit (2): *Suggestionem viri beatissimi Publiani Antistitis Carthaginiensium civitatis et possessorum ejusdem Africanae Proconsularis provinciae libenter suscepimus, per quas pragmaticam sanctionem Iustini divae memoriae patris nostri pro conditione sobolis ab adscriptitio patre et ingenua matre ad Theodorum, tum praefecturam tuam agentem, ante tempus emissam firmam inlibatamque nostris etiam adfatibus constitui supplicaverunt, ut cultura terrarum permaneat nulla lege vel machinatione ab ea separari valitura. consulentes itaque conlatoribus Africani tractus sancimus eandem pragmaticam sanctionem et ejus dispositionem omnibus modis, ex quo data est, suas vires habere, et incertam ei auctoritatem universis domibus terrarum opitulari, ut liberi procreati a matre ingenua et patre adscriptitio vel colono rusticitatem paternam cognoscant, et operibus suis consuetos reditus his, quibus suppositi sunt, subministrent, deterioris quidem conditionis alieni, ipsius autem cespitis, ubi nati sunt, recedere, et in aliis quibuscumque locis degere non permissuri.* haec vero indicio sunt, Mauris a Gennadio repressis, agros cultoribus redditos esse, et Afros diuturna pace usos rei familiari procurandae vacasse.

(1) Theophyl. Simoc. *lib. III. c.* 17. (2) *Cod. Pragm. Tiber. de fil. colon. et liberar.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Tiberius, quum annum ageret Imperii sui quintum, qui a Consulatu ejus quartus erat, vitae suae adventare finem sensit; itaque rectorem reipublicae quem daret, Mauricium generum legit, et Augustum dixit, qui Flavius Tiberius Mauricius est appellatus, Imperiique sui exordium victoria de Persis relata nobilitavit. hujus erga litteras studium insigne fuit, ut litteratos doctosque viros non modo amaret, sed etiam beneficiis ac liberalitate prosequeretur. quamobrem, ut in Africam imagines perlatae sunt, quae eum regnare testabantur, laetari illic multos par erat, qui studia colerent, quum laborum suorum fautorem auctoremque sibi non defuturum intelligerent. hunc primum e Graecorum genere fuisse perhibent (1), qui Romano Imperio potitus sit, cui nec impar est visus.

(1) Iperius *in Chron.* apud Marten. *Thes. Nov. Anecd. T. III. p.* 451.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXIII.

Publiano Episcopo Carthaginiensi

I. Mauricius annum Imperii sui secundum incohavit, qui a Consulatu Tiberii quintus erat. Constantinopolis hoc anno terrae motu concussa ipso dedicatae urbis die anniversario, quem v. idus Majas celebrabant (1). in Africa post Gennadii victoriam nihil a Mauris tentatum perdiu esse, argumento est veterum scriptorum silentium, qui horum temporum vices attigerunt. sed de Ecclesia item, quod maxime dolendum est, historia silet, monumentis eorum deperditis, qui aevi sui res gestas litteris consignarint. nam in hoc otio atque hac reipublicae tranquillitate scriptores defuisse, ubi disciplinarum studia vigebant, immerito statuamus.

II. Quin et monasteria rursum apud Afros id temporis floruisse, facile credam, quae jamdiu optimis legibus constituta putabantur. inde enim quandoque arcessiti videntur, qui vel Romae Monachis praeessent. cujusmodi fuit, opinor, qui Romae sub Pelagio dicitur (2) *Quodvultdeus Abbas monasterii majoris Beati Petri Apostoli:* quem Pelagius anno insequenti cum Redempto Episcopo ad Istriae Episcopos misit, ut longo dissidio aberrantes ad Ecclesiam reducerent.

(1) v. *Kalend. CP. ad eum diem*

(2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 417.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXIIII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Consulatum hoc anno Mauricius ex recenti Augustorum more suscepit, populumque sibi magna largitione demeruit. is erat annus Imperii ejus tertius, quo Philippicum sororis suae virum bello Persico praefecit. ad hunc aut proximos annos Publiani Episcopi Carthaginiensis referenda mors est, ut locus detur suus Dominico successori, quem Gregorius magnus in Pontificatu antiquiorem agnoscit (1). atque hoc quidem anno Gregorius Diaconus etiamtum et Apocrisiarius Constantinopoli in urbem rediit (2): quo eum divino consilio revocatum apparet, ut sexto post anno in Pelagii locum maximo Ecclesiae bono sufficeretur. de Publiani autem virtutibus et rectefactis nihil in promptu est, quod Annalibus nostris inserendum videatur.

(1) *lib. II. epist.* 47.

(2) v. Pagium *in Crit. Ann. h. a. n.* 13.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXV.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Quartus hic Mauricii Augusti annus numeratur, qui a Consulatu ejus secundus est. hoc anno Hermenegildus Regis Leuvigildi filius, quum sibi a patre Ariano vim intentari videret, Ingundem uxorem cum filio parvulo in Africam misit, ne in Arianorum manus incideret: certus ipse pro religione Catholica mortem oppetere: quod illi hoc anno contigit, martyrio Tarracone facto, cujus laudes Gregorius magnus in astra sustulit (1). Ingundis autem vix Africam attigerat, quum eam moeror ac morbus oppressit. itaque Carthagine, opinor, diem suum obiit, ibique sepulta est (2): digna plane, quam omnes Catholici amplissimi funeris honore et insigni aliquo titulo honestarent, reveriti miram ejus in Catholica confessione constantiam, et singularem erga virum caritatem, cui Arianae sectae deserendae auctor fuerat (3).

(1) *Dial. lib. III. c.* 31.

(2) Greg. Turon. *H. Fr. lib. VIII. c.* 28. v. et Marian. *de reb. Hisp. lib. V. c.* 13. *Dissentit Joan. Archiep. Ups. in Hist. lib. XVI. c.* 9.

(3) Gregor. Turon. *ibidem. lib. V. c.* 39.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXVI.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Annum Imperii sui quintum Mauricius exorsus est, qui a Consulatu tertius habetur. Persae hoc anno ad Tigrim a Philippico caesi,

infusoque in eorum fines exercitu, ingens inde abacta praeda est. eodem tempore Pelagius Pontifex maximus Istriae Episcopos veteri dissidio ob trium Capitulorum damnationem, quae Afros quoque diu torserat, ab Ecclesia divisos omni studio ad concordiam revocare conabatur. cujus insignis est epistola ad eos tertia, qua ostendebat, in Concilio illo magno, quod Constantinopoli sub Iustiniano actum fuerat, synodo Chalcedonensi nihil esse detractum, et quae in illo damnata fuissent, optimo jure esse damnata.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXVII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Sextus hic Mauricii Augusti annus fuit, atque a Consulatu ejus quartus. grati ex Hispania nuncii Africam hoc anno exhilararunt, Regem Reccaredum Hermenegildi Martyris fratrem Ariana haeresi abjecta factum esse Catholicum; eodemque auctore Gothos et Suevos ad Ecclesiam rediisse (1). plurimi nimirum intererat, Catholicos esse, qui Africae oppositam Hispaniam incolerent, ut nec infesto navigantibus mari uterentur, et quos sibi religio sociaverat, amicos jam atque hospites habere possent.

II. Florebat id temporis in Africa Stephanus Presbyter litterarum gloria, et fama ejus in Galliam quoque pervaserat. nam Aunarius Episcopus Antisiodorensis ab eo postulavit, ut prosa quidem oratione vitam conscriberet decessoris sui sancti Amatoris, carmine vero sancti Germani res gestas complecteretur, quem item in decessorum suorum serie numerabat (2). rescripsit Aunario Stephanus (3), imparem se tanto oneri esse; si tamen voluntatem ille pro facultate haberet, daturum se operam, ut quod petebat, pro viribus perfecisse videretur. ceterum Stephani labores periere.

(1) v. Pag. *in Crit. ad an.* 585. *n.* 3. *et* 4.
(2) v. Voss. *de Hist. Lat. lib.* III. *c.* 3.
(3) *exstant epp. in Erici Antisiod. praef. ad* Kar. Calv. v. s. Germ.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXVIII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Septimum Imperii sui annum Mauricius incohavit, qui a Consulatu quintus erat, praepositoque rursum Philippico, ut bellum Persicum administraret, praeclara de hoste victoria relata insignem reddidit. pacatam interea Africam fuisse apparet. quare vix credibile est otiosos tamdiu Episcopos, quum et in Gallia et in Hispania frequentes synodi haberentur, numquam Concilii celebrandi caussa convenisse: praesertim quum saeculo insequente, postquam Constantinopoli ac per Orientem Monotheletarum haeresim serpere cognoverunt, quae in Africam minime manarat,

summo studio consensisse sciamus, ut funestam illam pestem a ceteris quoque Ecclesiis averterent. nec vero in Antistite Carthaginiensi ad praeclara quaeque animus deerat, cui deinde Gregorius magnus eximium virtutis testimonium est impartitus (1). sed quum Saracenorum denique armis ita occupata Africa fuerit, ut (2) omnia Ecclesiae monumenta, omnia religionis Christianae vestigia delerentur; injuria quis per hosce annos memorabile nihil proditum queratur, quum veterum scripta perierint, sine quibus verax historia pertexi nulla potest.

(1) Greg. *lib. II. epist. 47.* (2) *v. infra in annal. saec. VII.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXVIIII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Annum Mauricius octavum Imperii sui attigit, quem a Consulatu sextum numerabat. triumphatum hoc anno in Hispania est de Ariana haeresi, quae et Africam sub Vandalis infecerat: Regis enim Reccaredi opera Concilium Toletanum tertium coactum accepimus, in quo Arius et qui ab ejus schola prodiere haeretici omnes damnati, tum Gothorum Episcopi et Clerus ac primores ejus gentis sese Catholicos ex animi sententia professi sunt. rejectus item error, qui in Africa etiam obtinuerat, baptismi iterandi: *Quicumque,* inquiunt Patres, *rebaptizandi sacrilegum opus bonum esse credit aut crediderit, agit aut egerit, anathema sit* (1). quatuor demum Concilia magna, quae prima celebrata fuere, et quae his consona essent, rite recepta (2).

II. Conventum aliquem Episcoporum in Numidia fuisse, indicat epistola, quam Gregorius magnus anno Pontificatus sui primo ad universos Episcopos Numidiae misit. a Pelagio enim decessore petiisse dicuntur (3), ut in sua provincia *Omnes retro temporum consuetudines servarentur, quas a beati Petri Apostolorum Principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit.* de quibus nihil a Pelagio rescriptum est, quod eum mors intercepit. convenisse autem religionis quoque tuendae caussa videntur; nam haereticorum motus aliquis fuit sive a Donatistis, qui in Numidia etiamtum superstites erant (4), sive ab Arianis, quos ab Hispania post Regis Reccaredi Edicta in Africam furtim transfretasse credibile est.

(1) apud. Hard. *Conc. T. III. p.* 475. *n.* 15.
(2) *ibid. p.* 476. *n.* 21. *et* 22.
(3) *lib. I. epist.* 77.
(4) *ibid. et lib. I. epist.* 74.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXX.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic Mauricii Augusti nonus fuit et a Consulatu ejus septimus, quo ille Theodosium filium Augustum appellavit. mortuus hoc

anno est Pelagius Pontifex maximus vI. idus Februarias, ac iiI. nonas Septembres in ejus locum factus Gregorius, qui praeclaris rebus gestis Magni sibi nomen invenit. hic ad Dominicum Episcopum Carthaginiensem epistolam de more synodicam misisse videtur, qua se Catholicae Ecclesiae Pontificem maximum renunciatum esse significaret. nam et synodica ejus ad Patriarchas Orientis exstat (1), et ex ejusdem epistola ad Dominicum discimus, litteras ab hoc missas ad Gregorium, quibus (2) de honore ejus gratulabatur, serius quidem, quam opus erat, sed tamen perofficiose, ut his omnino Gregorii epistolae primae respondisse videatur. nam vetus ea Pontificum maximorum consuetudo fuit, ut Pontificatu suscepto epistolas eodem exemplo ad primores Episcoporum perscriberent, non honoris solum, sed etiam doctrinae testes ac fidei, quam quisque profiteri deberet, qui recte de religione sentiret.

iI. Gennadius hoc anno, quem Tiberius duodecim ante annos Magistrum militum in Africam miserat, ut Mauros in officio contineret, a Mauricio Praefectus Praetorio renunciatus est, ut Africam auctoritate regeret, quam armis pacaverat. hunc Gregorius (3) Patricium et Exarchum Africae appellat, urbis regiae consuetudinem sequutus, quae jam Latina nomina dediscebat. nec alio fortasse nomine ille idem a Simocatta dictus est, quamquam nunc in editis libris *Decar* vocatur, ignoto eruditis vocabulo, pro quo *Exarchus* legendum sit (4).

iiI. Mauricium Augustum per id tempus Carthagine fuisse, Gregorius Turonensis auctor est (5): quo et Legatos Regis Childeberti tres e Gallia adnavigasse narrat: e quibus duo, Evantius et Bodegisilus, interempti sunt, rixa forte oborta ob furtum unius e familiaribus eorum, quem rei ignari defendere nitebantur. tertius, Grippo nomine, caedi se subduxit, et apud Imperatorem graviter questus, facile impetravit, ut Regis sui ratio haberetur, poenasque sontes violatae fidei penderent (6).

(1) *lib. I. epist.* 25.
(2) *lib. iI. epist.* 47.
(3) *lib. I. epist.* 74.
(4) *Hist. lib. viI. cap.* 6.
(5) *Hist. Franc. lib. x. c.* 2.
(6) *ibid. cap.* 4.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXXI.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Annum Mauricius Imperii sui decimum incohavit, qui a Consulatu ejus octavus fuit. jam ad Gregorium, quem summo religionis studio ad Pontificatum accessisse constabat, litterae ex Africa perlatae fuerant, haereticos homines illic non deesse, qui Ecclesiam turbarent. ob eam rem ad Gennadium Praefectum, quem militari gloria clarum, et in republica administranda navum ac diligentem norat, epistolam misit gravissimam officiique plenam, qua opem ejus adversus haereticorum conatus implorabat (1). quia vero eodem tempore inaudierat, Primatem Numidiae

(1) *lib. I. epist.* 74. v. Can. *vI. Conc. Sardic.*

obiisse, cui, ut mos Africae ferebat, is esset successurus, qui Episcoporum antiquissimus haberetur; hoc etiam a Gennadio petiit, ut ejus provinciae Episcopos admonendos curaret, ne jam Primatem, postpositis vitae meritis, ex ordine loci renunciarent, utique caverent, ne is, ut saepe antea contingebat, in vico aliquo aut villa, sed in civitate honoris sui sedem haberet: quo facilius ex ipsa loci dignitate ad Donatistarum motus coërcendos juvaretur. addebat postremo, si quos forte e Numidia Episcopos Romam ad se venire velle accepisset, ne iter eorum intercluderet, aut alios iis adversari pateretur. atque haec Gennadius, tanti Pontificis auctoritatem veritus, aequi bonique fecit. at Numidis Episcopis parum ea grata fuere, quae de Primate designando praecipiebat: quod apud eos vetustissimus ille mos erat, ut qui Episcoporum senior esset, is Primatum in provincia obtineret. itaque litteris ad eum datis caussam ipsi suam consuetudinemque defendere conati sunt.

II. Interea quum haud exigua in Africa praedia patrimonii nomine Ecclesia Romana haberet, eorumque caussa illuc Gregorius Hilarum rectorem mitteret, novas huic litteras ad Gennadium perferendas dedit, non modo ut ei hominem commendaret, sed etiam gratias ut ageret, quod legem, opinor, Iustini Tiberiique Augustorum sequutus, quam superius commemoravimus, desertis Ecclesiae Romanae praediis cultores reddidisset (2). haec autem apud Germaniciam erant in provincia Byzacena: nam Ioannes Diaconus in Gregorii vita Hilarum Notarium rectorem fuisse scribit Patrimonii Germaniciani (3). porro Hilarum suum Gregorius Gaudioso etiam commendavit, quem virum inter Afros primarium, et Graecis etiam, qui Constantinopoli reipublicae caussa mittebantur, familiarem acceptumque declarat.

III. At non multo post a Numidis Episcopis litteras Gregorius accepit, quibus veterem provinciae suae morem in Primate renunciando servari postulabant. quum autem eas quoque legisset, quas ad decessorem Pelagium miserant, sic demum indulgentior factus rescribendum censuit (4): *Nos quidem juxta seriem relationis vestrae consuetudinem, quae tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, sive de Primatibus constituendis ceterisque capitulis: exceptis his, qui ex Donatistis ad Episcopatum perveniunt, quos provehi ad Primatus dignitatem, etiam quum ordo Clericorum eos ad locum eundem deferat, modis omnibus prohibemus. sufficiat autem illis commissae sibi plebis tantummodo curam gerere: non autem etiam illos Antistites, quos Catholica fides in Ecclesiae sinu et edocuit et genuit, ad obtinendi culmen Primatus anteire.* illud vero mirum, citius Arianorum in Africa, quam Donatistarum exstinctam esse sectam: quum hanc infimi fere homines, illam viri principes sequuti essent. sed ea fortasse caussa fuit, quod Donatistae in Numidiae finibus atque in vicis

(2) *lib. I. epist.* 75.
(3) *lib. II. c.* 53.
(4) *lib. I. epist.* 77. v. Morin. *lib. II. Exerc.* 9. *p.* 120.

oppidulisve facilius laterent, ac sectae potius retinendae, quam propagandae cupidi essent.

IIII. Ceterum, quod multo exitiosius erat, nonnulli e Donatistis, Catholicos se esse simulantes, ad Catholicorum honores obrepserant: itaque eos in Clerum legebant, quos eadem labe infectos cognovissent. detectum id vitii hoc anno est in Lamigensi Episcopo Argentio, quem Diaconi duo ejusdem Ecclesiae Felicissimus et Vincentius apud Gregorium accusaverunt. caput autem accusationis erat, quod is, pretio accepto, Donatistas non modo haberet in Clero, sed etiam vicorum Ecclesiis, quae juris sui essent, praeposuisset. addebant praeterea, alio se crimine obligasse, quod, ut ait Gregorius (5), dici nefas erat. haec vero edoctus Gregorius gravem epistolam ad Hilarum, quem Patrimonii Germaniciani rectorem in Africam miserat, statim perscripsit, ut Episcopos ad Concilium vocandos curaret, qui de tota ea caussa cognoscerent, idemque operam daret, ut quae illi statuissent, omnino perficerentur. *Propterea*, inquit, *experientiae tuae praesentis praecepti pagina duximus injungendum, quatenus praefatum Episcopum idoneae satisfactioni committere non omittas, tuaque instantia in locis illis fiat ex more Concilium, et omnia secundum oblatae petitionis textum canonice coram positis partibus subtili indagatione perquirantur. et quaecumque eorum judicio fuerint terminata, te exsequente modis omnibus compleantur.*

V. Sub anni finem quum Langobardus quidam transfuga, Droculfus nomine, suos deseruisset, et sub Gennadio, qui celebritate famae etiam absentibus notus erat, militare percuperet, litteras a Gregorio commendatitias impetravit, quas ipse perfugium sibi in Africa quaerens ad Gennadium perferret (6).

(5) *lib. I. epist.* 84. (6) *ibid. epist.* 85.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXXII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUS hic Mauricii Augusti undecimus, et ab ejusdem Consulatu nonus numeratur, quo Rex Persarum Chosroes, Hormisdae filius, Christianus fieri visus, bellumque Persicum finem habuit. litteris hoc anno rescripsit Gregorius, quas Episcopus Carthaginiensis Dominicus miserat, ut ei de honore gratularetur, lectis quoque viris eo nomine ad urbem legatis, qui Ecclesiae Africanae studium erga eum voluntatemque testarentur. multa autem Gregorius de caritate praefatus, quam matrem custodemque virtutum appellat (1), ejus retinendae auctorem se hortatoremque profitetur. quia vero Dominicus Ecclesiae suae privilegia commemoraverat, quae ejus auctoritate comprobari cupiebat; quid ipse de

(1) *lib. II. epist.* 47.

ea re sentiret, his verbis exposuit: *De Ecclesiasticis vero privilegiis, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat: quia, sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus: nec cuilibet, favente gratia, ultra quam meretur impertior, nec ulli hoc, quod sui juris est, ambitu stimulante derogo; sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, dummodo non sit, quod alteri jure ab altero possit opponi.* addit demum de Legatis, quos Dominicus miserat, se in egregiis viris agnovisse, quantus ejus in se amor esset, qui optimos et probatissimos adlegisset. erant hi Donatus et Quodvultdeus Episcopi, Victor Diaconus et Agilcius Notarius, quos serius advenisse ita queritur, ut in ipsa tamen dilatione compendii aliquid se fecisse fateatur.

II. Haec inter in Numidia rursum a Donatistis curae non parum molestiaeque Catholicae Ecclesiae exhibitum est. nam Maximianus Pudentianensium Episcopus pecunia corruptus Donatistam apud se Episcopum fieri passus fuerat: quod quidem superioribus temporibus, quum ea factio plurimum poterat, factitatum constabat: sed a Iustiniani Aug. aevo, Catholica una Ecclesia per Africam constituta, omnino jam ferendum non videbatur. quamobrem Clerus Pudentianensis Diaconos duos Constantium et Mustellum Romam ad Gregorium legandos censuit, qui Maximiani nomen deferrent. nec vero segnior Gregorius ad consulendum fuit. statim quippe ad Columbum Numidicum Episcopum et ad Hilarum suum in Africa vice ejus fungentem litteras misit, ut Concilium Episcoporum quamprimum cogeretur, qui de Maximiani crimine accurate cognoscerent: ac si eum sontem deprehendissent, loco moverent. cavendum enim ajebat, ne pessimum in alios exemplum proderetur, neve essent in posterum, qui talia tentare auderent (2). norat scilicet, Donatistas animos sumpsisse, eamque haeresim latius serpere caepisse, quam multi suspicabantur. de qua ad Columbum, quem magni faciebat, sic scribit: *Praesentium latorum insinuatione didicimus, Donatistarum haeresim pro peccatis quotidie dilatari, et valde plures data per venalitatem licentia, post Catholicum Baptisma a Donatistis denuo baptizari.* simul tamen Columbum prudenter admonet, ne delatores, si quid forte peccarint, inultos relinquat. *Hoc quoque,* inquit, *vos necesse est solerter attendere, ut si qua contra latores praesentium ejusdem Episcopi recta fuerit petitio, subtili debeat indagatione perquiri: et si fortasse ipsi quoque pro sua culpa jure feriendi sunt, eis pro eo, quod ad nos fatigati sunt, nequaquam censemus esse parcendum.*

III. Nec vero in Africa tantum ab ejusmodi Haereticis cavere tum sibi Ecclesia Catholica debebat, sed in ipsa etiam Italia diligenter prospicere, ne qui indidem dilapsi essent, paullatim apud nos se incautis per dolum commendarent, atque ad honores magno multorum periculo obreperent. de his certe improba quaedam perferebantur, quae Gregorius

(2) *lib. II. epist. 48.*

quoque inaudierat, et severius coërcenda putabat. nam muneris sui esse duxit, ut mature Ioannem Episcopum Scyllaceensium admoneret, ne eorum fraudibus se decipi pateretur: *Afros*, inquit (3), *passim vel incognitos peregrinos ad Ecclesiasticos ordines tendentes nulla ratione suscipias: quia Afri quidem Manichaei, aliqui rebaptizati, peregrini vero plurimi etiam in minoribus ordinibus constituti ad fortiorem de se praetendisse honorem saepe probati sunt.*

(3) *lib. II. epist. 37. v. et Libr. Diurn. Tit. VIII. n. 3.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXXIII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Mauricius Imperii sui annum duodecimum incohavit, qui ab ejus Consulatu decimus erat, primusque belli contra Avares suscepti fuit. Concilium in Numidia ab Adeodato Primate indictum, Gregorii magni epistolae ostendunt. nam ad Columbum scribens, eum sic rogat (1): *De unitate ac pace Concilii, quod Deo auctore congregare disponitis, caritas tua animos nostros subtiliter omnia indicando laetificet.* eundem etiam admonet, quae potissimum in eo consessu cordi esse deberent. *Erga Primatem*, inquit, *synodi tuae esto sollicitus, ut pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur: ne tanto periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant. nulla sit in ordinatione venalitas, potentia vel supplicatio personarum nihil adversus haec, quae prohibemus obtineat.* litteras autem Victorino Diacono ejus perferendas tradidit, munusculo addito, quod Columbo redderet, *Clavibus beati Petri*, in quibus scobis aliquid de catenis ejus inclusum erat.

II. Iam et Adeodatus, qui nuper Primatum provinciae adeptus fuerat, ad Gregorium de honore suo perscripserat, aetatemque excusaverat, quod non ipse, ut optabat, Romam ad eum profectus esset. cui Gregorius, quum multa officiose reposuisset, rogare deinde instituit, ut muneris sui partes quam diligenter impleret (2). *Hortamur*, inquit, *ut officium Primatus, quod Deo habetis auctore, tota intentione sic studeatis sagaciter exhibere, quatenus ad hunc vos ordinem pervenisse et animae vestrae proficiat, et aliis in futuro exemplum bonae imitationis exsistat.* tum eidem, quae ad Columbum de pueris ad sacros ordines non promovendis scribebat, pari studio commendat, cavendumque monet, ne quid in Ecclesia venale sit. postremo auctor est, ut in rebus gerendis Columbi consilio utatur: *Credimus enim*, inquit, *quia si illa, quae agenda sunt, cum ejus consilio feceritis, nullus in vobis, quod quibusque modis redarguere possit, inveniet: nobisque ita gratum esse, tamquam si cum nostro consilio agatur*, cognoscite; *quoniam vita moresque illius ita nobis sunt in omnibus approbati, ut cunctis liquido*

(1) *lib. III. epist. 48.* (2) *lib. III. epist. 49.*

constet, quia quod cum ejus consensu agitur, nullius culpae macula fuscatur. hae porro litterae Victorino item traditae in Africam ad Columbum revertenti, ut Adeodato Primati redderentur.

III. Concilium interea in Numidia habebatur, in quo Columbi Episcopi studium auctoritasque eminebat. haud deerant tamen qui severitatem ejus non probarent, ac veterum Patrum consuetudines mitigari, leges infringi vellent. haec ad Gregorium omnia sedulo explorantem facile perlata sunt. quare operae pretium putavit se esse facturum, si ad Gennadium Praefectum de his scriberet, eumque hortaretur, ut auctoritate sua opem iis afferret, quos virtuti deditos, et Ecclesiae studiosos legumque sanctarum vindices esse cognovisset. cujus epistolae illa extrema sunt verba (3): *Scito autem, excellentissime fili, si victorias quaeritis, si de commissae vobis provinciae securitate tractatis, nihil vobis magis aliud ad hoc proficere, quam zelari sacerdotum vitas, et intestina Ecclesiarum, quantum possibile est, bella compescere.*

IIII. Nec vero ambigendum est, curae fuisse Gennadio, ut motus in Numidia subortos compesceret, et Episcopis praesto esset, quos cum Gregorio sentire, et de Ecclesiae bono laborare sciret. ceterum Pantaleontis opera tum usum crediderim, qui Numidiam id temporis administrabat. nam ipse quidem Gennadius in Maurorum incursionibus coërcendis (4) occupatus, in Numidiam excurrere non poterat. accidit autem, ut Carthaginem ipsam peterent, Gennadiumque iis conditionibus adstringere auderent, quas nemo ferre posset. numero scilicet copiarum suarum freti, quaecumque postulassent, in summa illa Carthaginiensium trepidatione se impetraturos arbitrabantur. enimvero Gennadius, quum se multitudine opprimi videret, astu utendum ratus, misit ad barbaros, qui pactiones conficerent, metumque simulantes, omnia, quae belli avertendi caussa spondebant, propediem se adlaturos pollicerentur. ubi abiere Legati, ingens per Maurorum exercitum laetitia exorta est, quod sine ulla caede, quidquid auri Carthagine esset, armorum suorum terrore expressissent. nulla exinde Mauris vigiliarum cura fuit: epulis omnes vinoque indulgere, saltare ebrii, aut dormire. haec porro Gennadius, qui mores norat barbarorum, vigilans opperiebatur. hora autem, quae omnium opportunissima visa est, cohortes, quotquot habuit, ex omnibus urbis portis in Mauros nihil tale opinantes emisit: quae tantam hostium caedem fecerunt, ut bellum eo die sublatum, et pax Africae parta sit.

(3) *lib.* IIII. *epist.* 7. (4) Simocat. *lib.* VII. *c.* 6.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXXIIII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic Mauricii Augusti decimus tertius fuit, et a Consulatu ejus undecimus. Primatum id temporis in provincia Byzacena obtinebat

Crementius. Presbyter ibidem Adeodatus, quum otii aliquid sibi necessarium putaret non modo ad negotia quaedam expedienda, sed etiam ad valetudinem recuperandam, a Quintiano Episcopo suo commeatum impetraverat, ac binos menses ab Ecclesia sua abfuerat. sed Quintianus, quum ei Adeodatus moram aequo longiorem interponere videretur, Presbyterum alium in ejus locum suffecit. ea re offensus Adeodatus Romam ad Gregorium profectus est, ut auctoritate ejus honorem reciperet, quem sibi injuria ereptum arbitrabatur. ceterum Gregorius eam caussam ad Crementium Primatem deferendam judicavit. sic enim ad eum perscripsit. *Hortamur*, inquit (1), *fraternitatem tuam, ut caussam ejus sollicite districteque perquiras: et si manifestae aegritudinis, sicut dicitur, caussa Ecclesiae suae eum defuisse repereris, nullum ei ex ordinatione alterius Presbyteri permittas praejudicium generari; sed in locum suum sine aliqua eum fac dubietate restitui. sin autem aliter se res habere dicitur, quam porrecta ab eo continere videtur suggestio, caussam ejusdem canonice legitimeque perquire, et quidquid tibi secundum Deum visum fuerit, juvante Domino ita stude decernere, ut nulla de hac re quaestio ad nos ulterius revertatur.* haec Gregorius Crementio, quem etiam de Presbyteri quoque caussa cognoscere jussit, quem Quintianus Adeodato supposuerat· ut si fraude ad honorem subrepsisset, gradu moveret: sin virtute illum adeptus videretur, Ecclesiae praeficeret, quae primum vacuam alteri sedem esset praebitura.

II. Sed Donatistarum in Numidia motus, quos Pantaleon, qui provinciam regebat, segnius compescere videbatur, graviorem a Gregorio epistolam expressere, qua Praefectus ille acrius incitaretur, ne audaciam eorum atque licentiam, de qua jam questus fuerat, diutius ferret (2). Catholicos enim Sacerdotes ab Ecclesiis suis ejectos constabat, et Catholicorum Baptismum contemptui habitum. ob eas res jussus praeterea Pantaleon Paullum Episcopum Romam mittere, nulla mora interposita, ut ex iis, quae ille retulisset, citius deliberari fas esset, qua potissimum ratione calamitas illa depelli posset. eodem tempore Numidae Episcopi duo Victor et Columbus litteras a Gregorio accepere, quibus monebantur e re Catholica esse, ut coacto rursus Concilio Ecclesiae saluti consulerent (3), Paulloque Episcopo ipsi etiam auctores essent, ut Romam quamprimum navigaret.

III. Atque haec quidem ad multos spectabant. vir autem quidam *magnificus*, cui Bonifacio nomen, e Donatistarum, opinor, aut Arianorum secta, qui ad Catholicos cogitabat accedere, litteras ipse etiam a Gregorio jamdiu acceperat, quibus a veteri errore in veri rectique cognitionem traducebatur. ceterum disputandi magis, quam resipiscendi cupidus, monitis ejus praeceptisque minus parebat. hunc igitur Gregorius tandem hortatus est (4), ut Romam peteret, nec jam a se litteras sed

(1) *lib. III. epist.* 13.
(2) *lib. III. ep.* 34.
(3) *lib. III. ep.* 35.
(4) *lib. III. ep.* 43.

colloquium praeoptaret: addebatque, ut quos haberet dubitationis suae participes, in urbem secum adduceret, antea admonitos, ne ullam in se quasi ex potestate prodeuntem violentiam pertimescerent. *Nam nos*, inquit, *licet in omnibus caussis, in his tamen praecipue, quae Dei sunt, ratione magis stringere homines quam potestate festinamus.*

IIII. Eundem annum synodus adversus Donatistas a Dominico Episcopo Carthagine acta nobilitavit, quam Augusti quoque judicio comprobatam accepimus (5). de ea porro Dominicus per Prosperum Legatum accurate Pontificem maximum certiorem fecit, a quo subinde multis est laudibus commendatus, quod Africae servandae studium cum haereticorum insectatione conjunxisset. duo tamen Gregorius minus sibi probari rescripsit: alterum quod substantia omni et dignitate privandos statuissent, quicumque haereticos negligentius investigarent; alterum quod eam poenam in omnes Episcopos sanxisse viderentur. nam et illud severius acriusque factum putabat, quam aequitas ferret; et in hoc periculum inesse ducebat, ne aliorum Conciliorum Primates injuriam sibi illatam existimarent. quare admonebat, in iis emendandis, quae ad alienos pertinerent, eorum etiam rationem haberi oportere, qui dignitate minores essent: ne caritati officeretur, quae maxime omnibus servanda erat.

(5) *lib. v. ep.* 5.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXXV.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Est hic annus Mauricii Augusti decimus quartus, ac post ejus Consulatum duodecimus. utilem in Africa operam anno superiore ab Episcopis Gregorii magni hortatu positam adversus haereticos, pacemque Ecclesiae ac rei publicae tranquillitatem consequutam, ea satis indicant, quae Gregorius ad Dominicum rescripsit (1). neque enim ipse molesti quidquam aut tristis ex Africa nunciatum attingit; sed epistolam officii et pietatis plenam ab eo se accepisse testatur. quin et munuscula ab eodem ad se missa commemorat, quae xenia appellat veteri nomine, quo dona hospitalia significabant. ut autem spondet, se ad Petri Principis Apostolorum sepulcrum multis precibus acturum, ut caelestis ei beatitas obtingeret; ita ab eo petit, ut ad sancti Martyris Cypriani tumulum tantum sibi bonum pari studio a Deo precaretur.

II. Interea e Numidia Columbus Episcopus Rogatianum Diaconum Romam ad Gregorium miserat, ut litteris ab eo commendatitiis impetratis, in Siciliam negotii conficiendi caussa pergeret. morem ultro gessit Gregorius; at Columbo rescribens, caussam ad eum detulit Petri Episcopi, qui dudum in Africa accusatus Romam confugerat, ut se apud Pontificem maximum purgaret, nec tamen effecerat, inque ipsa

(1) *lib. vI. ep.* 19.

confessione ac defensione sua minus sibi constare visus fuerat. itaque rem integram Columbo se committere ait (2), qui diligentius inquirere praesens posset, auditisque accusatoribus cam ferre sententiam, quae maxime aequitati consentanea videretur. post haec altera Columbo cura data, ut eos severe coërceret, qui filios et mancipia sua aut alios, quos in potestate haberent, Donatistarum baptismo infici passi fuerant; hosque omnino, parentibus dominisve auctoribus, ad Catholicam professionem revocandos curaret: si tales deinde suorum proditores invenirentur, operam daret, ne quis eorum in Clerum legeretur.

(2) *lib. vI. ep. 37.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXXVI.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Decimus quintus Mauricii Augusti annus hic est, et a Consulatu ejus decimus tertius. Paullum Episcopum, quem ad se mitti ex Africa Gregorius saepe postulaverat, Romam hoc tandem anno pervenisse, compertum est (1): qui apud Pontificem maximum questus, non tam illic Donatistis se, quam Catholicis adversariis usum esse, Gennadium quoque Praefectum Africae perstrinxisse videtur. quare Gregorius valetudinem suam excusans, quae saepe illi erat adversa, Gennadio, qui minime Paullo favebat, paucis respondit, hujusque caussam, quum otium foret, diligentius sibi examinandam affirmavit. quia vero Gennadius hoc in litteris suis de Paullo addiderat, Catholica communione illi esse interdictum, mirari se ait, id sibi Gennadii litteris, nulla Primatis epistola esse nunciatum.

II. At Dominico Episcopo Carthaginiensi magna jam cum Gregorio familiaritas erat, nec ulla offensione interrupta. litteras sane hoc item anno et xenia ad Gregorium ab eo missa, hujus epistola declarat gratias agentis, et multa egregie de Pontificis officio disputantis (2). ceterum Gregorius non uni Dominico, sed toti Ecclesiae Africanae apprime studebat. quamobrem Paulli Episcopi caussam edoctus, quum Gennadium Donatistarum fautorem esse ex ipsis ejus litteris suspicaretur, et Augustorum leges in eam sectam latas, veteres recentesque contemni intelligeret, Episcopos aliquot Africanos Romae tum hospites Constantinopolim mittendos duxit, qui apud Mauricium ipsum Ecclesiae caussam agerent, et de illatis injuriis violatisque legibus quererentur. litteras idem gravissimas ad eum dedit (3), quibus ad Ecclesiae Catholicae, quae in ejus tutela esset, defensionem quam maxime hortabatur.

(1) *lib. vI. ep. 63.*
(2) *lib. vI. ep. 64.*
(3) *lib. vI. ep. 65.*

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXXVII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic est decimus sextus Mauricii Augusti, et a gesto Consulatu decimus quartus. Roma jam Africani Episcopi, quos inter Paullus erat, regiam urbem petituri discesserant: quum e Numidia Columbi Diaconus advenit, Gregorium edocturus de Paulli caussa. redditis Columbi litteris respondit Gregorius, multo id serius factum, quam oporteret: maturius advenisse, quos Gennadius Paefectus submiserat, ut Paullum accusarent: in quibus tamen quia non ea dignitas erat, ut contra Episcopum audiri eos admittique par esset, Paullo concedendum fuisse, ut ad Augustum proficisceretur. jam quod Columbus significaverat, multorum se inimicitiis objectum esse, litterarum potissimum caussa, quas a Gregorio crebrius acciperet, haec ille subjecit (1): *Dubium non est, reverendissime frater, bonos pravorum odia sustinere, divinisque intentos operibus perversorum adversitatibus lacerari.* tum adhortatus, ut tanto alacrius munus expleret suum, quo acriores adversarios experiretur, Episcopo enitendum ait, ut laboribus suis lucri aliquid Pastori summo offerre possit.

II. Haec inter quum pacatae in Africa res essent, delatum ad Gennadium nomen est Ruferii Comitis, qui numeris in Corsica tendentibus praeerat. nam insulae omnes Tyrrheni maris, quas Iustinianus de Vandalis receperat, ad Praefecti Africae administrationem pertinebant. cum Ruferio autem Anastasius quoque Tribunus et insulani non pauci in periculum adducti fuerant. hi omnes ab urbe praesidium sibi petendum rati, Gregorii Pontificis maximi litteras impetraverunt, quas Gennadio exhiberent: qui eos tamen sic commendabat, nihil ut amplius postularet, quam ne in sententia ferenda iracundia potius, quam justitia ductus videretur (2).

III. Contra vero ex Africa Romam se conferre coactus est Cumquodeus Abbas, rectae Monachorum institutionis studiosissimus, quos tamen aegre in officio continebat. nam si quos forte ad patrum praescripta revocare conabatur, imperium illi detrectare ausi monasterium descrebant, et magna bonorum offensione qua vellent vagabantur. fiebat etiam interdum, ut in tanto illo Episcoporum numero non deesset, qui licentiam eorum non modo impunitam relinqueret, sed etiam fovere atque alere videretur. haec vero omnia Cumquodeus Abbas accurate Gregorio exposuit, animumque ejus, qui Monachos impense amabat, facile ad curam eorum tutelamque excitavit. exstant litterae ejus Julio mense perscriptae, quibus Dominicum Episcopum Carthaginiensem etiam atque etiam rogat, ut qui omnium monasteriorum curam gerere deberet, summopere prospiceret,

(1) *lib. VII. ep. 2.* (2) *lib. VII. ep. 3.*

ne Monachi, quos Abbas Cumquodeus amiserat, impune a monasterio abessent: qui si ad bonam frugem revocanti parere nollent, severitatem minime posthaberet, ac licentiam eorum poena vindicaret. cavendum enim esse, ne pessimum posteritati exemplum proderetur, et aditum audaciae improbitatique esse intercludendum. tum et de Episcopis inquireret, si quis fautor eorum aut defensor esset: ac singulos minis etiam deterreret, ne in posterum ejusmodi hominum adjutores sese aut patronos profiterentur (3). haec Gregorius: nec ambigendum est, sedulam a Dominico navatam operam, ut Monachi illi in ordinem redigerentur: quippe qui Gregorium summo amore prosequeretur, et virtutem ejus ac monita plurimi faceret.

(3) *lib. vII. ep.* 35.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXXVIII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Fuit hic annus Mauricii Augusti decimus septimus, decimusque quintus ab ejus Consulatu: quo ille tempore, quum valetudinem suam gravi morbo tentatam videret, testamento condito, maturius de successore deliberasse putatur. Paullus hoc anno Episcopus e Numidia, quem Gregorius Roma, biennio ante, Constantinopolim dimiserat, in urbem reversus litteras a Gregorio commendatitias ad Episcopos Africanos Adeodatum et Maurentium impetravit (1). addidit Gregorius et alteras ad Columbum, quibus rogabat, ut innocentiam ejus tueretur, hominique diu a multis vexato solatium praeberet. haec Martio mense perscripta. interea aliae e Numidia querelae ad Gregorium perlatae Crisconii Episcopi Romam profecti, ut paroecias recuperaret, quas a Valentione finitimo Episcopo, nullo jure sibi praereptas, jam annos prope quindecim retineri ostendebat: tum etiam ut res decessoris sui, quas ille idem abstulerat, repeteret sibique vindicaret, cui deberentur (2). enimvero Gregorii haec animum gravissime commoverunt, qui in Episcopis potissimum abstinentiam summam paremque integritatem requirebat. ceterum Crisconio plane fauturus, si quae retulisset, ita se habere constaret, de tota caussa Numidas Episcopos Victorem et Columbum cognoscere jussit: hortatusque est, ut judicio de ea controversia instituto, quae injuria ablata reperissent, ea sine mora Crisconio restituenda curarent.

II. Carthagine contra quietae res erant, Dominico pro virili parte incumbente, ne quid Ecclesia caperet detrimenti. certe in ejus litteris, quas hoc item anno ad Gregorium misit, molestum nihil aut grave nunciabatur. rescribens enim ad eum Gregorius in ejus laudibus totus est; nec de re ulla emendanda mentionem injicit, quod illi, quum opus esset, in more erat: illud tantum commendat, quod Petri Apostoli thro-

(1) *lib. vIII. epist.* 12. *et* 13. (2) *lib. vIII. ep.* 28.

num suspiceret, atque inde auctoritatem suam dignitatemque manasse profiteretur. *Scientes*, inquit (3), *praeterea, unde in Africanis partibus sumpserit ordinatio sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis, quod Sedem Apostolicam diligendo ad officii vestri originem prudenti recordatione recurritis, et probabili in ejus affectu constantia permanetis.*

(3) *lib. VIII. epist.* 33.

ANNUS CHRISTIANUS DLXXXXVIII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUM Mauricius Imperii sui incohavit decimum octavum, qui a Consulatu ejus decimus sextus numerabatur. fuit hic annus multis mortalibus morborum vi crebrisque funeribus calamitosus: nec vero Africa felicior, quam item infesta lues peragravit. Gregorium magnum audire est, qui quum tristes e Sicilia nuncios accepisset, illuc ad Venantium Patricium scribens, commemoratis Romae atque Italiae aerumnis, haec adjecit (1), *Africa autem qualiter mortalitate et languoribus vastetur, quanto viciniores estis, tanto credo quod subtilius cognovistis.* quo tempore Episcoporum sollertia in calamitatis illius solatium cessasse non videtur: quum ne otium quidem illis ad scribendum fuerit. nullum certe hoc anno epistolarum vestigium ab Episcopis Africae, nec ad eos Gregorii responsum invenias.

II. Sed tamen e provincia Byzacena Martinus Scholasticus Syracusas navigavit, a Crementio Primate missus, ut ejus opera judicium Pontificis maximi declinaret, quod Augustus apud eum fieri jusserat (2). de ea re cum Ioanne Episcopo Syracusano sic egerat, ut nec is, nec Gregorius, ad quem Martinus scripserat, plane tenerent, quae totius criminationis ratio esset. illud constabat, Theodorum Magistrum militum, auri libris decem acceptis, obstitisse, ne judicium Romae institueretur. quod tamen Gregorius Mauricio auctore peregisset, nisi partium studiis deterritus, hoc secum statuisset, in silentio plus fore compendii. exinde Crementius prae se ferre coepit ac palam profiteri, se in Pontificis maximi potestate esse: de quo Gregorius Ioanni: *Nam quod se dicit Sedi Apostolicae subjici; si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis ei Episcopus subjectus non sit. quum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis aequales sunt.*

(1) *lib. VIII. ep* 123. (2) *lib. VIII. ep.* 58. *et* 59.

ANNUS CHRISTIANUS DC.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUS hic Mauricii Augusti decimus nonus est, quem a Consulatu ejus decimum septimum numerant. Gennadio in Africa successor datus

in Praefectura Innocentius Gregorii magni amicus, ejusdemque laudibus clarus. classem hic parare jussus ab Augusto fuerat, quae Italiae auxilio esset adversus Langobardos: itaque diligentiam Innocentii in ea instruenda commendat Gregorius; opus tamen ea non futurum nunciat, quod induciae cum Rege Langobardorum in mensem Martium anni sequentis pactae essent (1). quia vero cupidum is se esse significaverat legendi, quae Gregorius commentaria in Iobum perscripserat; gaudere se quidem ait Gregorius, quod ille tot inter curas studio rerum divinarum teneretur; verum alios ei fontes, quos adeat, non deesse dicit: Augustinumque, quem legat in promptu fore. eo demum nomine gratias agit, quod Hilarum apud Afros patrimonii Ecclesiae Romanae Curatorem patrocinio suo atque auctoritate juvisset.

II Eodem tempore non modo Innocentius, sed Dominicus quoque Episcopus Carthaginiensis, quorum uterque Gregorium ob insignes virtutes ejus magni faciebant, edocti, in Sardinia, quae Praefecto Africae parebat, miseros quosque ac inopes potentium saepe divitumque vi oppressos in aerumnis vivere, ac patroni alicujus opem implorare: unum esse Gregorium putaverunt, qui afflictae plebi succurrere vel auctoritate posset vel gratia. itaque litteras uterque ad eum misit, etiam atque etiam rogantes, ut vicem eorum miseratus auxilio juvaret suo. ille vero epistolam quamprimum ad Januarium Episcopum Caralitanum de ea re perscripsit gravissimam (2): ac simul exemplaria misit litterarum, quas a Dominico Innocentioque acceperat, ne incertis auctoribus ea scribere videretur. monebat praeterea, ne templorum miseris perfugium intercluderet, at curaret tamen, ut qui aliquid deberent, justitiam sibi aequitatemque servandam esse intelligerent.

III. At vero in Africa lues, quae anno superiore compressa videbatur, sub aestatem recruduit. quo pertinent Gregorii litterae ad Dominicum mense Augusto scriptae, quibus eum hortatur, ut tantam calamitatem, quae Italiae etiam prope communis esset, forti animo ferret, et solatium miseris, doctrina usus, qua pollebat, ultro praeberet. *Vestra*, inquit (3), *eos lingua, sicut et credimus, magis ac magis a pravi operis perpetratione coërceat, bonorum praemia, malorum poenas edisserat: ut qui bona minus diligunt, saltem mala pertimescant, et ab eis sese, quae sunt plectenda, contineant.*

(1) *lib. x. ep.* 37.
(2) *lib. x. ep.* 38.
(3) *lib x. ep.* 64.

ANNUS CHRISTIANUS DCI.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Vicesimus hic annus fuit Mauricii Augusti, et a Consulatu ejus decimus octavus. miserat Innocentius Praefectus in Sardiniam certos ex

Africa viros, qui judicia in ea insula exercerent: sed tanta in illis erat immanitas, ut non ad tuendam, sed ad compilandam provinciam missi viderentur. quum animum plerique abjecissent, inventus est Victor Episcopus Phausianensis, qui de his Gregorium edoceret, et provincialium querelas per eum ad Innocentium perferendas curaret (1). cujus quidem litteris admonitus Innocentius judicum illorum avaritiam quamprimum cohibuisse putandus est.

II. Curis interea laboribusque superioris anni fractus Dominicus Episcopus Carthaginiensis gravem in morbum inciderat: qui quum et aetate jam senex esset, in ultimum vitae discrimen venisse putabatur. eum tamen divino beneficio Carthaginiensibus redditum indicant Gregorii ad eum litterae gratulantis, induciarum ei tempus ad utilitatem animae datum, hortantisque, ut quod ei reliquum vitae foret, id Deo totum Ecclesiaeque suae saluti tribueret. quia vero Dominicus particulam illi aliquam de exsuviis sancti Martyris Agilei dono miserat, munusculum ejusmodi carissimum sibi fuisse testatus est (2). haec Septembri mense scripta: propterea ante aestatis finem Dominicus convaluisse videtur.

III. Eodem anno Donadeus Diaconus e Numidia Romam petierat, Victorem Episcopum suum accusaturus, quod ab eo per summam injuriam honore spoliatus esset. ceterum Gregorius jam inaudierat, gradu illum esse motum, quod turpi se crimine commaculasset. quamobrem caussa ejus ad Columbum delata est, ut coram Primate aliisve Episcopis inquireret, uter in culpa esset, Diaconus ne, an Episcopus? nec crimen, cujuscumque esset, impunitum atque inultum esse pateretur. neque enim in Episcopo ferendum, ut Diaconum honore immerentem spoliasse dicatur (3).

(1) *lib. xI. ep.* 5.
(2) *lib. xII. ep.* 1.
(3) *lib. xII. ep.* 8.

ANNUS CHRISTIANUS DCII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Vltimus hic Mauricii Augusti annus fuit, idemque Phocae primus, Imperium a Principis sui caede auspicati. alia hoc anno eaque multo gravior exorta in Numidia judicii instituendi caussa est. delatum enim Romam fuerat nomen Paullini Episcopi Tigisitani, quem multi, in provincia primum de eo questi, demum apud Pontificem maximum accusaverant, quod et in Clerum suum saeviisset, et honores Ecclesiae pacto pretio vendidisset. quanto haec dolore Gregorius audierit, haud facile dictu est. binas statim epistolas (1) alteram ad Columbum, alteram ad Victorem Primatem scripsit, utrumque vehementer hortatus, ut conjuncto studio advocatisque, si opus esset, aliis Episcopis, Paullini criminationes

(1) *lib. xII. ep.* 28. *et* 29.

omnes excuterent, sumptis in eas testimoniis, ne quid temere statueretur: tum si crimina tenerentur, ex Ecclesiae praescripto animadverterent. addebat, si qua Simoniacae pestis vestigia deprehensa essent, Concilium praeterea cogendum totius provinciae, ut tantum vitium protinus in ipsis cunabulis exstingueretur. ad haec Hilarus etiam Curator patrimonii Germaniciani, si advocaretur, adesse jussus, ut in re tanta ipse etiam operam quam posset, diligentissime collocaret.

II. Dum haec in Numidia geruntur, grave aliud in provincia Byzacena dissidium exstitit Crementii Primatis caussa, qui triennio ante judicium Pontificis maximi haud belle declinaverat. veteres nempe criminationes revixerant, quas deinde Gregorius accuratius cognoverat. litterae igitur ab eo ad omnes illius provinciae Episcopos missae, ut ad ea dijudicanda, quae suspicionem et crimen afferrent, frequentes convenirent (2). *Unde, inquit, ut non quis desidiae torpor in requisitione sit, admonemus, ut non cujusquam personae gratia, non favor, non blandimenta, vel quodlibet aliud quemquam vestrum vel ad discutiendum, quae nobis nunciata sunt, molliat, vel a tramite veritatis excutiat: sed sacerdotaliter ad investigandam vos propter Deum veritatem accingite.*

(2) *lib. xII. ep.* 32.

ANNUS CHRISTIANUS DCIII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic Phocae Augusti secundus habetur, quo vertente Consul in annum proximum designatus est. quum bellum huic Persae repente intulissent, et multis calamitatibus Orbis Romanus premeretur; maxima tamen reipublicae pernicies habita, quod Phocas regnaret homo teterrimus et omnium scelerum libidinumque maculis notatissimus. id autem in primis apud Afros ferre non poterat, quem nuper Mauricius Aug. Innocentio successorem dederat, Heraclius Heraclii Aug. pater, qui Phocam excepit: cum eoque sentiebat Gregoras frater et Legatus ejus cum Niceta filio, quem secum in Africam adduxerat (1): quorum denique opera Romanum Imperium non multos post annos revixit.

(1) Niceph. *in Brev. init.* Zonar. *Ann. lib. xIII. n.* 14.

ANNUS CHRISTIANUS DCIIII.

Dominico Episcopo Carthaginiensi

I. Phocas hoc anno Consul processit, quo et tertium Imperii sui annum incohavit. ad ceteras tristissimorum temporum aerumnas mors quoque accessit Gregorii Pontificis maximi, quem virum nemo satis

laudaverit. nam ipsa Ecclesia Africana testari potest, parentis se amore ab eo defensam, ornatam, auctam: ut eo auctore et haereticorum conatus represserit, et veteris sanctimoniae splendorem dignitatemque retinuerit. porro in Gregorii locum factus est Sabinianus.

II. Quo anno consignandus sit Dominici Episcopi Carthaginiensis exitus, plane ignoro. vix tamen credibile est, eum in annos sequentes rejici posse. nam et provectus aetate erat, et triennio ante gravi periculosoque morbo affectus fuerat. nullae praeterea ad eum Gregorii litterae exstant, ex quo receptam ei valetudinem gratulatus est: qui tamen quotannis ad eum scribere solebat. itaque Gregorius caelo potitus amicum optimum imitatoremque virtutum ejus aut priorem beatissimis insertum sedibus reperit, aut prior ipse in communem illam patriam aevumque sempiternum evocavit.

ANNUS CHRISTIANUS DCV.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I QUARTUM Phocas Imperii sui annum numerabat, qui primus post Consulatum ejus dictus est. Heraclio Praefecto Africae actum esse de Dominici successore creando, ambigendum non est. verum adeo obscuram horum temporum et mancam historiam accepimus, ut nomen ipsum ejus, qui tum Pontificatum Carthaginiensem susceperit, ignoremus. pro quo initium commemorare liceat gemini Patriarchae apud Aquilejenses. hoc enim anno Ravennae designatus est Candianus Catholicus, qui Gradensem recessum sibi legit: Schismatici Ioannem renunciarunt, qui Aquilejae Patriarcham ageret (1).

II. Gravia iterum et crudelia de Phoca in Africam fama pertulit, quae Praefecti animum magis exasperarent. nam Constantinam Augustam Mauricii uxorem tresque eorum filias ab eo sublatas, ac multos e regiae urbis primoribus necatos esse, nunciatum est. simul et de Oriente rumor percrebuit, quem Persae impune vastabant (2).

(1) Baron. *hoc anno*, *et Monum. Eccl. Aquil. Rub.*
(2) Theoph. *in Chron. etc.*

ANNUS CHRISTIANUS DCVI.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. ANNUM Phocas Imperii sui attigit quintum, qui alter a Consulatu ejus fuit. idem Sabiniano Pontifici maximo ultimus recte adscribitur. vixisse enim eum constat ad diem octavum kalendas Martias: post quem illa amplissimi honoris sedes, annum prope integrum vacua, Bonifacium tertium accepit. litterarum id temporis sive Pontificis maximi, sive

Episcoporum Africanorum, quas ultro citroque de more missas fatendum est, nullum ad nos exemplum pervenit.

II. At vero hoc anno, aut certe Niceta Gregorae filio etiamtum apud Carthaginem commorante, contigisse manifestum est, quod Graecus auctor (1), id temporis designans, de apparitore quodam Praetoriano memoriae mandavit: hunc nempe, quum lues ea in urbe grassaretur, una cum uxsore in suburbanum secessisse, multorum jamdiu scelerum reum, quae quidem metu mortis aversatus videretur, et rursum tamen in adulterium ibidem esse prolapsum, pauloque post ex pestilentia obiisse: ejus autem corpus, uxsore postulante, a Monachis elatum, inque monasterii proximi templo sepultum: subinde Monachos, dum psallerent, vocem ejus audisse e sepulcro clamantis, quo aperto vivum hominem inventum eductumque, sed diutius prope elinguem mansisse: quum autem Thallassio Monacho, qui vir summae virtutis habebatur, ipso petente oblatus esset, mira demum planeque horrenda de judicio, quod ipse subierat, deque Infernis, quas adierat, poenis narrasse: post haec datum ei divinitus, ut per quadraginta dies ageret poenitentiam, et die mortis suae cognito, intra triduum sancte defunctum. Thalassii vero, quem Praetorianus ille apparitor adloquutus dicitur, haud obscurum est nomen. exstant enim ejus Hecatontades sententiarum ad Paullum Presbyterum (2), nec alius ab eo videtur, cui deinde Maximus Abbas opera quaedam sua, Graecus Graeco scriptori, dedicavit (3): Afris quoque plaudentibus, qui jam Graeca adamabant.

(1) Combefisius *in Biblioth. Gr. PP. Auctario p. 324.*

(2) v. Auctarium Duccan. *T. II. p.* 1179. item Isidorum *Prius etc.*

(3) v. Cavem *in Maximo Confess.*

ANNUS CHRISTIANUS DCVII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Phocas annum Imperii sui sextum incohavit, qui tertius a Consulatu ejus numeratur. Romae Bonifacius tertius in Sabiniani locum undecimo kalendas Martias creatus, quarto idus Novembres decessit. Africam sub haec tempora propagandae religionis studio peragratam fuisse ab Anastasio Episcopo Brixiano vitae sanctitate claro, qui post Paterium anno DCX. aut proximo renunciatus putatur, scriptores Ecclesiae nostrae tradidere (1). ceterum quo illuc auctore profectus sit, quas gentes adierit, quid laboribus suis profecerit, nemo oratione pertexuit: nec in veterum scriptis de ea re testimonium exstare arbitror.

(1) Gradon. *in Pontif. Brix. n.* 25.

ANNUS CHRISTIANUS DCVIII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Septimus Phocae annus et a Consulatu ejus quartus hic est, quo Persae Euphratem transgressi Syriam universam populati sunt. Romae octavo kalendas Septembres Pontificatum maximum suscepit Bonifacius quartus, is qui Pantheon dedicavit. nam, ut in Libro Pontificali legimus (1), *Hic petiit a Phocate Principe templum, quod Pantheon vocabatur: quod fecit Ecclesiam beatae et gloriosissimae et Dei Genitricis semperque Virginis Mariae et omnium Martyrum Christi, et reliquias in ea collocavit. in qua Ecclesia Phocas Princeps dona multa obtulit*

(1) *in Bonif. n.* 2.

ANNUS CHRISTIANUS DCVIIII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Annum Imperii sui octavum incohavit Phocas, post Consulatum ejus quintum, quem utique vitae ejus postremum esse Constantinopolitani in primis vehementer cupiebant. atqui Senatus, qui haec jamdiu nosset, ac reipublicae, quae opem ejus implorabat, succurrere vellet, Crispo Praefecto urbis auctore, qui Phocae gener erat, clam Legatos in Africam ad Heraclium miserat rogatum (1), ut patriae tandem Imperioque labenti subveniret: esse ei filium Heraclium, esse et Legati Gregorae filium Nicetam, qui rem tantam aggredi ac conficere possent. ii vero, qui jam facinus hujusmodi secum moliri coeperant, multo majores animos sumpserunt, ex quo iter sibi publica auctoritate muniri, fautoresque paratos jam esse intellexerunt. itaque classem illico instruendam, milites cogendos curarunt, id pacti inter sese, ut Heraclius quidem mari rem gereret, Nicetas equitatum ad regiam urbem terra duceret: quique eorum victoria potitus tyrannum sustulisset, is uti et Imperium sibi vindicaret.

II. Nondum hi Carthagine solverant, quum Phocae nunciatum est, quantum ei periculum ab Africa impenderet. ille tamen neque praesidiis urbem firmavit, neque exercitum in expeditionem eduxit. at quum Constantinopoli tum esset Heraclii mater, esset et sponsa ejus Eudocia Africani principis filia; eas comprehendi, atque in monasterium includi jussit. angore nempe conscientiae et scelerum suorum poena vexatus, nihil de interitu suo aut de urbis exitio cogitavit, et armato hosti prope inermem se objecit.

(1) Niceph. *in Brev. init.* Zonar. *Ann. lib.* XIII. *n.* 14.

ANNUS CHRISTIANUS DCX.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. PHOCAS octavum Imperii annum, cujus initium erat nono kalendas Decembres superioris anni, minime explevit. qui enim ei successit, Heraclius Imperium auspicatus hoc anno est tertio nonas Octobres. ceterum ante Phocae exitum, cujus denique morte recreata respublica caput elatura videretur, novorum malorum initium aliud Constantinopoli factum est XIIII. kal. Majas a Sergii Patriarchae designatione, qui Monotheletarum dux fuit; unde in Africam quoque labes illa atque pernicies illata est. interea quum Heraclius ipse et Nicetas eodem tempore solvissent ex Africa, ut Dei consilium ferebat, secunda navigatione usa Heraclii classis antevertit, et Constantinopolim prius appulit, quam equitatum Nicetas exponeret. Crispus autem Praefectus urbis, qui jamdiu adventum ejus opperiebatur, fidem plane praestitit, milite ejus intra moenia recepto. inventus simul et Photius vir primarius, dudum tyranno ob violatam uxorem infensus, qui Regiam armatis hominibus occuparet, et protectoribus disjectis, Phocam ipsum aggrederetur: quem vinctum et ad Heraclii pedes raptatum infanda caede periisse accepimus (1). exinde quum intermortua factione urbs repente pacata esset, Sergius Patriarcha Heraclii capiti coronam sollemni ritu imposuit: eundemque honorem protinus Eudociae sponsae ejus habuit Africanae puellae, quae Augustarum inserta numero patriae auxit gloriam (2).

(1) Niceph. *in Brev. init.* (2) Zonar. *Ann. lib. XIIII. n.* 15.

ANNUS CHRISTIANUS DCXI.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. ANNUS hic Heraclii Augusti secundus dictus est, quo et Consulatum gessit. imaginibus Augustorum in Africam perlatis, maxima laetitia omnes affecti sunt, quod Principem sibi datum agnoscerent, cujus pater apud eos Praefectura fungebatur; et conterraneam suam ejus conjugem salutarent, cujus imperio regebantur. quare et Heraclio Praefecto et Augustae parenti gratulationes omnium ordinum consensu factae: Deo item in templis supplicationes et gratiarum actiones fuerunt, quod Orbem Romanum et Africam in primis respexisset, unde tum reipublicae salus parta videbatur.

ANNUS CHRISTIANUS DCXII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Annum Heraclius Imperii sui tertium inchoavit, qui et a Consulatu ejus primus numeratur. laetitiae, quae anno superiore Africam exhilaraverat, molestiae plurimum ac moeroris adspersit Eudociae Augustae mors inopina. quum enim quinto nonas Majas Heraclium Constantinum enixa virum suum sobole auctum magno gaudio perfudisset, idibus Augustis ipsa e vivis excessit, regiamque domum improviso luctu funestatam reliquit. Heraclium autem Praefectum id temporis ad filium Augustum trajecisse, credibile est. nam patri, praesertim seni, atque ex longinquo loco, optabilius nil esse poterat, quam ut ante diem supremum filii in solio sedentis ornatu regali amplexum peteret, et sanguini suo praesens fausta omnia precaretur. de Ecclesiae demum statu, dignitate, tranquillitate certi nihil traditum est. quieta tamen sub Heraclio tempora alendae paci idonea fuerant ut putare jure possis, designatum jamdiu Carthagine, qui tantam Ecclesiam, quae ceterarum veluti parens habebatur, legitima auctoritate moderaretur. utinam epistolarum in primis, quas Pontifices maximi ad Episcopos crebras mittebant, nulla periisset! quam multa ex illis fontibus hauriremus, quae in reliquam historiam derivare fas esset!

ANNUS CHRISTIANUS DCXIII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Annus Heraclii quartus cietur, qui post Consulatum ejus secundus dicitur: quo anno puer Heraclius Constantinus a Senatu Imperator est appellatus, atque in publicis monumentis cum Flavio Heraclio patre Augusto nominari coepit. gratum id Afris accidisse quis ambigat! erat enim is Eudociae filius, quam Africa in familiam Augustam intulerat. quem autem Praefectum pro Principis patre tum acceperint, ignotum est: Gregoras fortasse, qui Heraclii Legatus fuerat, Praefectura illa temporaria functus: nam Nicetas filius Constantinopoli erat, ubi ab Augusto quasi frater magno in honore habebatur (1).

(1) Niceph. *in Brev. p.* 5.

ANNUS CHRISTIANUS DCXIIII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Quintum Imperii sui annum inchoavit Heraclius, qui post Consulatum ejus tertius habetur. tristes hoc anno ex Oriente nuncii adlati

sunt, qui Orbem Christianum plangore et lamentatione compleverunt, Hierosolyma a Persis capta esse: templa religiosissima compilata atque incensa, quidquid erat sacrorum monumentorum, per summum dedecus et ignominiam violatum atque eversum: denique, quot illic erant, devotorum Deo virorum ac feminarum caedem incredibilem esse factam. nihil autem gravius videbatur, quam quod ipsa Crux veneranda omnibus, humanique generis divinitus servati testis atque index in barbarorum potestatem pervenisset. haec dum passim nec sine multis querelis jactabantur, Afris credo et vasa illa Judaeorum aurea subiere, quae Gensericus olim urbe direpta in Africam asportarat: quaeque Iustinianus, quia primitus Hierosolymis in Salomonis templo dicata fuerant, ac deinde a Tito Romam translata; simulatque Constantinopolim a Belisario relata fuere, Hierosolyma remisit, et Christianis in templis dedicavit (1).

(1) vid. *an.* 535. *n.* 1.

ANNUS CHRISTIANUS DCXV.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Sextus hic numeratur Heraclii Augusti annus, idemque a Consulatu quartus. at Bonifacii Pontificis maximi ultimus fuit; nonis enim Majis decessit. in ejus autem locum factus est Deusdedit, quem a novitate nominis Afrum putare possis: Romanum tamen fuisse compertum est. Persae hoc anno quaquaversus per Asiam effusi terrorem atque arma Chalcedonem usque intulerunt: exiguoque freto divisus hostis in regiae urbis conspectu fuit. ducem Persarum munera placaverunt, et promissa ad Chosroen legatio, quae viris primariis data est. hi, quum in Persidem venissent, hoc Regi fassi esse dicuntur, Heraclium aliquando fractis Imperii viribus et belli Persici metu ingruente in eam mentem impulsum, ut caros suos in Africam ad parentem remitteret, ac se Imperio abdicaret (1). id vero plane indicat, tutam eo tempore tranquillamque Africam fuisse, ac Praefecti sedem Carthaginem praesidiis firmatam, ut solatium miseris, perfugiumque calamitosis praebere posset. quare in eo otio Ecclesiam quoque dignitate florentem cogitare licet, iisque ornatam virtutibus, quae pacis sociae esse solent.

(1) *Chron. Alex. hoc an. Indict. tertia*

ANNUS CHRISTIANUS DCXVI.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Septimum Heraclius Imperii sui annum incohavit, qui a Consulatu ejus quintus erat, eodemque anno filius ejus Constantinus Consul est designatus. at vero Sergii Patriarchae Constantinopolitani, quae diu

quieverat latueratque, nequitia exstitit, jamque Augusti ad Monotheletas declinantis freta praesidio, vagari coepit. nam et litteras ab eo id temporis in Aegyptum usque missas constat ad Georgium Arsam (1) Paullinianistam, ut veterum auctoritates, si quas in promptu haberet, ad unam in Christo operationem adserendam idoneas, ad se mitteret: pollicitus fore, ut societatem exinde inirent, unamque simul Ecclesiam conflarent. ipsam Sergii epistolam Ioannes Patriarcha Alexandrinus ab Arsae manibus abstulisse ferebatur: qui et Arsam loco movisset, nisi Persae in Aegyptum irruentes animum ejus et curam alio avocassent. num vero hi, Aegypto subacta, Africam quoque compilare aggressi, Carthaginem usque pervenerint (2), nemo facile admittat, qui Heraclii consilium, de quo dicemus anno insequente, recognoscat.

(1) Maxim. Abb. *in Disp.* apud Bar. *an.* 633. *n.* 53.
(2) Baron. *sub fin. an.* 616.

ANNUS CHRISTIANUS DCXVII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Signat hunc annum Consulatus Heraclii junioris, quo pater ejus Augustus Imperii sui annum octavum inivit. in ipso autem Consulatu Constantinum ille fratrem, quem biennio ante pater ejus ex Martina susceperat, Caesarem dixit. nec tamen hic annus Augusto faustus illuxerat. nam Aegypto a Persis occupata, quod frumenti nihil ex ea exportari posset, fames passim in provinciis esse coepit. regiam vero urbem et lues invasit, quae non exiguum civium numerum quotidie absumebat (1). pacis interea a Persis nulla spes erat: Legatis a Chosroe in custodiam conjectis, eorumque caede destinata, ne foederi ulli locus esse putaretur. quae quum omnia Heraclius animo volveret, moerore confectus, consilium, quod ante susceperat, ut in Africam migraret, rursum complexus est. itaque magnam opum vim atque auri, argenti, gemmarum copiam eo praemisit: quae tamen non exigua ex parte, quum jam navis appelleret, ob coortam tempestatem naufragio periere. ceterum Constantinopolitani quid Princeps moliretur suspicando inquirendoque adsequuti, operam dederunt, ut Augustum ab ea mente revocarent. Sergius vero Patriarcha illud quoque adjecit, ut Heraclium in templum perduceret, ibique juris jurandi religione obstringeret, se ab urbe regia non discessurum. haec porro indicio sunt, patrem Augusti, jam tum in Africam ad Praefecturam suam maturius reversum, Carthagine id temporis fuisse; quum eo potissimum commigrare filius cogitavit.

(1) Niceph. *in Brev. hist. ad h. an.*

ANNUS CHRISTIANUS DCXVIII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Nonus Heraclii Augusti annus hic fuit, qui a Consulatu ejus septimus est. eodem anno Deusdedit Pontifex maximus excessit e vita: nec ei quisquam ante annum sequentem suffectus est. funesta enim ad plures menses urbs fuit primum ob ingentem terrae motum, deinde ob luem, quae, quos sustulit, ita deformavit, ut mortuum superstes non agnosceret fratrem filiumve (1).

(1) *Lib. Pont. in Deusd. n.* 3.

ANNUS CHRISTIANUS DCXVIIII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Annum Imperii sui decimum incohavit Heraclius, a Consulatu octavum, quo Ancyra Galatiae metropolis a Persis capta est. Romae Pontificatum suscepit Bonifacius V. quum tanti in Oriente hostium motus essent, tot barbarorum in Graeciam Thraciamque impetus fierent; maritimis tamen expeditionibus abstinuere, in Africam ne aspirare quidem ansi. quare apud Afros quum otii plurimum esset, nec ingeniorum, quibus semper abundarunt, deesse copia posset; vix credibile est, desideratos tum esse, qui historiam rerum suarum perscriberent. sed Saracenis provincias occupantibus ea ex monumentis Afrorum domi absumpta, quae ipsi servarant: nec alia mansere, quam quae antea in Italiam forte aut in alias regiones perlata fuerant. id jam a Joanne Leone adnotatum reperio, qui trecentis ante annis Descriptionem Africae novem libris complexus est (1); de Saracenis enim, qui ex Arabia egressi Africam occuparunt, haec ille habet: *Omnes Afrorum libros igni committi jusserunt. sic enim persuasum habebant, quamdiu penes Africae incolas esset aliqua naturalis scientiae aut bonarum disciplinarum cognitio, fore, ut superbia eos in dies ad tumultum atque ad Mahumeticae legis comtemptum magis ac magis provocaret.* atque haec ex Mahometis consilio praescriptisque fiebant, qui sectam suam stare non posse viderat, nisi litterarum studia amovisset, et ingenia ali industria vetasset. scripserat Leo Arabica lingua: sed libros ejus Florianus Latinos fecit (2).

(1) *lib. I. p.* 63. *edit. Elzivir.*

(2) *Edit. Antuerp. an.* 1556.

ANNUS CHRISTIANUS DCXX.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Annus hic undecimus ciebatur Imperii Heraclii, et a Consulatu ejus nonus. nec tamen belli Persici conficiendi spes ulla erat. nam in hoste furor crescebat, viresque confirmabantur: Heraclius contra animum abjecerat, et aeris egens numeros milite supplere non poterat. sed a Rege Avarum Chagano, quem dudum infestum senserat, Legati fausta retulerant, nihil ab eo metuendum fore: nam hoc ille receperat, se pacem, quam inierat, servaturum. itaque Heraclius, inquit Theophanes (1), exercitus suos ab Europa in Asiam transtulit: quod Afris, ubi nunciatum est, laetum, opinor, ac jucundum accidit, belli mole in longinquos conversa, a quibus nihil sibi formidandum videretur.

(1) *in Chronogr. ad an. Heracl.* 11.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXI.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Duodecimus hic annus fuit Heraclii Augusti, qui a Consulatu ejus decimus dicitur. hoc autem anno, pace jam cum barbaris firmata, bellum denique in Persas omnibus Imperii viribus gerendum duxit, quodque in sumptus aerario deerat, sumpsit a templis, initio ab aede Sophiana facto, cujus candelabra conflari jussit.

II. Auxilia id temporis ex Africa filio Augusto a patre summissa esse, conjectura ductus existimo, quod Suinthila hoc anno apud Hispanos regnum adeptus urbes aliquot ad fretum Gaditanum sitas, quae etiamtum Imperio Romano parebant (1), in potestatem suam ditionemque redegerit. id enim ille ausus videtur, quod Afrorum praesidia imminuta nosset, nec copias Heraclio Praefecto Africae suppetere, quibus erepta recuperaret.

(1) Isidor. *Hist. Gothor. in fin.*

ANNUS CHRISTIANUS DCXXII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Annus erat decimus tertius Imperii Heraclii, et a Consulatu ejus undecimus, quum expeditionem in Persas suscepit, exercitumque in Armeniam ipsamque Persidem magno impetu infudit. quum multa in hostem prospere successissent, illud Heraclio in perniciem accidit, quod in Armenia Monotheletarum fautores invenit, cumque his colloquutus, haeresim, quam domi a Sergio didicerat, profiteri palam tuerique coepit (1).

(1) Serg. *in epist. ad Honor. P. M.*

II. Jam et alterum hoc anno emersit Orbis incommodum planus ille improbissimus Mahometes ex Arabia profugus: a cujus fuga sectatores ejus annorum numerandorum initium fecerunt, fugam ipsam Hegiram appellantes, quo nomine insontem hominem et prophetam per summam injuriam ab urbe Mecca ejectum significare volebant. enimvero ex hujus nebulonis schola Saraceni fuerunt, qui hoc saeculo Africam oppressere, et vi atque armis Ecclesiae ipsi interitum attulerunt.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXIII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Decimus quartus Heraclii Augusti annus hic est, et ab ejusdem Consulatu duodecimus, qui secundus instaurati adversus Persas belli habetur, tribusque de hoste victoriis nobilitatus est. Sclavi id temporis, qui Illyricum jamdiu incolebant, Avarum, quibus tributum penderent, incursionibus exasperati, de Rege creando deliberarunt: Samonemque natione Francum, qui dudum negotiandi caussa apud eos versabatur, Regem dixerunt. nec eos facti poenituit: nam Samone belli duce Avares hostes magnis proeliis saepe fudere, et provincias suas a caede et rapinis liberarunt (1). ea scilicet populorum per Europam Asiamque conditio tum erat, nihil ut proprium et stabile foret, nisi quod armis tueri possent. nam barbarorum omnium nulla lex erat, nulla foederis vis, nulla societas: quod et Afri nostri primum aliorum periculo, mox suo didicerunt.

(1) Fredegar. *in Chron. c.* 48.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXIIII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Annus Heraclii Augusti decimus quintus hic est, post Consulatum ejus decimus tertius, qui belli Persici tertius. atque ille quidem trajecto Euphrate Persas fatigabat: verum urbs regia magno in discrimine versabatur, quod Chaganus violato foedere Avares suos reduceret, invitatus a Persis, quibus jam nimium Heraclii arma infesta erant. at Carthago illa nostra tam potens quibus tum auspiciis stabat, aut quorum se auxiliis tutabatur? fides quidem illi recta praelucebat, praesidio autem erant veteres Martyres et sanctissimi Pontifices, quamdiu eorum et memoriam coleret, et exempla sequeretur. horum utique patrocinio prorogata Afris dignitas est et vita defensa.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXV.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. ANNUM Imperii sui decimum sextum Heraclius incohavit, qui a Consulatu decimus quartus erat, bellique Persici quartus. Romae Bonifacius V. diem obiit supremum, in ejusque locum factus est Honorius, designationem ejus comprobante Exarcho, qui Ravennatibus praeerat: quum Augustus in Oriente versaretur. atque ea consuetudo subinde obtinuit, quamdiu Roma Graecos tulit Augustos.

II. Turcae hoc anno ab Heraclio in subsidium belli Persici infausto plane omine advocati: quorum aliquando armis Graecorum Imperium delendum esset. hi olim Tanais oram coluisse feruntur in eo amnis flexu, qua maxime ad Volgam fluvium et Caspium mare curvatur.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXVI.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. ANNUS hic erat Heraclii Augusti decimus septimus, a Consulatu decimus quintus, idemque belli Persici quintus, quo Sarbaras dux Persarum Chalcedonem obsidione cinxit, Avares Constantinopolim prope ceperunt. Heraclius vero in Oriente Turcarum auxiliis usus Persicos fines depopulatus est.

II. Auxit hoc anno Monotheletarum sectam Cyrus Episcopus Phasidis in Colchide, is, qui deinde Patriarcha Alexandrinus fuit. nam eum haesitantem veramque sententiam requirentem in partes suas Sergius Patriarcha regiae urbis pertraxit. synodo enim suorum coacta, quo rescripti major esset auctoritas, Heraclio simul et Cyro, qui Phaside tum erant, imposuit, mentitus, in Actis Menae Patriarchae perscriptum, *Vnam voluntatem in Christo Deo et servatore nostro esse.* iisdem dolis Cyprii quoque Episcopi tentati sunt: irrito tamen incepto, Arcadio ejus insulae Archiepiscopo obnitente, ne recta insulanorum doctrina malis artibus perverteretur. Ecclesiis porro haereticorum astu per Orientem ad interitum prope ruentibus, laetandum Afris omnino erat, quod, periclitante Imperio, Ecclesia apud eos majorum doctrinam caste servaret, atque haeresim pessimum omnium malorum integra ubique fide concordique animo aversaretur.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXVII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. FUIT hic Heraclii Augusti annus decimus octavus, qui a Consulatu ejus decimus sextus dicitur et belli Persici sextus: quo in bello aliquandiu

Turcarum ei copiae inutiles non fuere; sub anni finem sive levitate sive ingruentis hyemis impatientia ab imperio ejus et societate defecerunt. ceterum rebus Persarum conversis, ac Rege Chosroe sublato, quum Siroës regnare coepisset, isque pacem ultro peteret, bello finis impositus, foedusque firmatum est (1).

II. Interea Mahometes in Arabia Iudaeos et barbaros debellabat: viamque sibi ad regnum, novis sibi honoris insignibus vindicatis, muniebat. ita secta illa in dies augebatur, rudesque homines in errorem passim ac vitia pertrahebantur.

(1) v. Georg. Pisid. Heracliad. apud Foggin. *App. II. B. p.* 97.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXVIII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Numeratur hic Heraclii Augusti annus decimus nonus et a Consulatu ejus decimus septimus, quo ille triumphum de Persis egit, quatuor elephantis in regiam urbem invectus. ob eam rem Afros quoque vehementer laetatos esse, ambigendum non est: quippe qui et Augusti patrem Praefectum haberent, et ipsum Augustum ex Praefectura Africae in magnum Imperium misissent. nec vero ab ea aetate alienum duxeris, quod nostra factitamus, ut ob Principis victoriam aut ob susceptos liberos in templis quoque laetitia esset, et gratiae Deo sollemnibus caeremoniis agerentur. quo pertinent quae superius de Iustiniano commemoravimus (1), postquam Africam a Belisario receptam comperit. nihil item in regia urbe usitatius, quam hujusmodi supplicationes invenire est: quem deinde morem omnes Imperii Romani provinciae imitatae studium quaeque suum avitamque religionem profitebantur.

(1) *ad an.* 533. *n. VI.*

ANNUS CHRISTIANUS DCXXVIIII.

post Dominicum Episc. Carthagin.

I. Annum Imperii sui vicesimum Heraclius incohavit, qui decimus octavus est ab ejus Consulatu. hoc ille anno receptam de Persis Crucem Hierosolyma retulit, atque in veteri sede collocavit. exinde ne tantae victoriae memoriam aetas deleret, hic Kalendario Constantinopolitano insertus est titulus (1): *Festum anniversarium Victoriae, quae piissimo Imperatori bello Persico de Chosro Dei hoste divinitus data est:* idque pridie idus Decembres celebratum accepimus, quo die victoria parta (2). saeculo insequente sollemnia instaurata in urbe regia quotannis, aetas ipsa Kalendarii demonstrat. illud affirmare haud possum, festum idem

(1) v. *edit. nostr. T. I. p.* 58. (2) Theoph. *in Chronogr. p.* 265.

provinciis Imperii Romani omnibus fuisse praescriptum. in Africa tamen, quae Heraclium Augustum impensius coleret, receptum esse, facile crediderim: praesertim quum in Africana Ecclesia nondum exaltatae Crucis sollemnia obire mos esset. nam Romae et in Italia, ubi Festum illud perantiquum erat Heraclianae Victoriae conjuncta memoria est, quae postridie idus Septembres adhuc recolitur (3): quum contra Graeci a saeculo decimo negligere videntur (4). ceterum apud Afros quoque in ipsis Ecclesiae primordiis Cruci exhibitum honorem, quae Servatoris nostri vexillum referret, satis indicat Tertullianus (5), ubi Christianos ab Ethnicis *Religiosos Crucis* appellatos testatur. neque enim ille falso id ab eis affirmatum usquam contendit (6).

(3) v. *Martyr. Adon. et Usuardi.*
(4) v. *Kal. CP. T. I. p.* 267.
(5) *in Apologet. c.* 16.
(6) v. Trombell. *de Cruce sect.* 3. *c.* 4.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXX.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic fuit Heraclii Augusti vicesimus primus et a Consulatu ejus decimus nonus. hinc incipimus nomen inserere Fortunii Episcopi Carthaginiensis: quod is aliquot post annis Constantinopolim profectus dicatur, eo jam honore potitus (1): quamquam nihil ad nos de ceteris actis ejus vitaque pervenit. eodem anno natus est Heraclio Constantino Augusti filio Heraclius Constans, qui post patris mortem Imperium annos viginti septem administravit, magna utique totius Africae et Ecclesiae in primis pernicie: nam eo Principe turbata pax, et res publica a tyranno oppressa: mox Saraceni supervenere, qui omnia humana ac divina violarunt, multosque mortales in servitutem abduxerunt.

(1) *Act.* 14. *Conc. CP. III.* apud Hard. *T. III. p.* 1363.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXI.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Fuit hic Imperii Heraclii annus vicesimus secundus, et post Consulatum ejus vicesimus, quo filium alterum ex Martina susceptum, Heracleonam nomine, Caesarem dixit. Heraclium autem Augusti patrem, qui diu Praefectura Africae functus est, his temporibus superstitem vix crediderim: nam filius ejus Augustus annum agebat quinquagesimum octavum. nec vero liquet, quis ei successor sit datus. Gregoram tamen, qui ei Legatus perdiu fuerat, siquidem apud eum etiamtum degebat, suffectum esse, credibile est: nam et Gregorae filium Nicetam Constantinopoli multum apud Principem gratia valuisse, superius adnotavimus.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXI.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Vicesimus tertius Heraclii Augusti annus coepit, qui a Consulatu ejus vicesimus primus est. hoc anno Mahometes, secta jam per decennium aucta, et bello atque armis firmata, decessit: cui statim affinis ejus Abubacharus successit, Arabum consensu creatus. eodem tempore apud Persas Rex dictus Hormisdas, qui et Isdegerdes, Imperio eorum ad interitum ruente, cui Saraceni imminebant, nefaria illa secta et Deo invisa, quam tamen Deus ultricem scelerum nostrorum fecerat, ut ipsa dominorum immanitate inveterata improbitas retunderetur. alias enim divini consilii investigare caussas nostrum non est: et satis illud compertum omnibus, summam in Deo esse justitiam, qua res humanas judex aequissimus moderatur.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXII.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Heraclius annum Imperii sui vicesimum quartum numerabat, qui post Consulatum ejus vicesimus secundus fuit. Cyrus hoc anno, quem infulis Alexandrinis exornatum diximus, synodum vocavit, tu haustos a Sergio errores comprobaret, totamque Monotheletarum haeresim jam radices agentem multorum patrocinio tueretur. ea in synodo Sophronius Monachus adfuit, is, qui ante anni exitum Hierosolymorum Episcopus factus est: et qua erat doctrina et sanctitate, haeresim pro viribus refutavit: ipsumque Sergium Patriarcham Constantinopolitanum admonuit, ne synodi illius capita doli plena admitteret probaretve.

II. Ex litteris autem Sophronii, quas anno insequenti ad Honorium Pontificem maximum misit, plane compertum est, Saracenos hoc anno in Palaestinam ingressos, Syris nihil tale opinantibus, multa avare crudeliterque gessisse: idque initium ejus esse belli, quod deinde contra Imperium Romanum prope perpetuum fuit, magnamque provinciis omnibus cladem attulit.

III. Quartum hoc anno Concilium Toletanum Hispani Episcopi egerunt sub Rege Sisenando. in eo, cui Isidorus Hispalensis praeerat, egregii canones conditi numero septuaginta quinque: quadragesimus autem primus erat hujusmodi: *Omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitae et Sacerdotes detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant: non sicut hucusque in Galliciae partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. ritus enim iste in Hispania hucusque haereticorum fuit. unde oportet, ut pro amputando Ecclesiae scandalo hoc signum*

dedecoris auferatur, et una sit tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniae est usus. qui autem hoc non custodierit, fidei Catholicae reus erit (1). hujus canonis semel meminisse intererat, ut eum morem apud Ecclesiam Africanam sollemnem antiquumque fuisse admoneremus. nam coronam illam capitis, quam glabro vertice circumtonsi capilli efficiunt, ipse Augustinus commemorat in epistola ad Proculejanum (2): *Honorant*, inquit, *nos vestri, honorant vos nostri: per coronam nostram nos adjurant vestri, per coronam vestram vos adjurant nostri.* Episcopum enim adloquebatur Donatistam, quem ad Ecclesiam Catholicam adducere volebat. simili formula Episcopi Galliae novem subscripsere Synodicae, quam Leoni magno miserunt, *Iustus Episcopus Coronam vestram venerans saluto*, et qui deinceps (3).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 583.
(2) *epist.* 33. *n.* 5.
(3) *epist.* 99. *inter Leonian. ed. Baller.*

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXIII.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Heraclius annum Imperii vicesimum quintum incohavit, qui a Consulatu vicesimus tertius erat, fuitque multis Syriae urbibus gravis valde atque aerumnosus. nam Abubacharo Saracenorum Chalifa extincto, in ejus locum factus est Omarus, isque renovato bello complures Syriae urbes cepit, et Augustum, qui Hierosolymis versabatur, terrore incusso fugam arripere coëgit.

II. Pertinent ad hunc annum Sergii litterae de synodo a Cyro Alexandriae celebrata, quibus Honorium nihil ejusmodi suspicantem in errorem prope suum sententiamque deduxit. illud certe Sergius dolo perfecit, ut Honorius minime jam *unius vel geminae operationis* vocabulum usurpandum decerneret, silentiumque probaret, quo Monothcletae factum iri jactabant, ut multae per Orientem haereses tollerentur, unaque idem sentientium Ecclesia ubique esset. quamobrem illa Honorio macula adhaesit, quasi *flammam haeretici dogmatis*, ut Leo II. P. M. ait in epistola ad Episcopos Hispanos, *non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxerit, sed negligendo confoverit.* quem tamen *Catholicum Patrem* diserte appellarat, qui alter ab eo Pontificatum maximum gessit, Ioannes IIII (1). verborum Honorii sententia scite explicata, quae contrarias in Christo, quales in nobis sunt, voluntates non agnosceret, *mentis* utique et *carnis:* de quibus scribebat Paullus Apostolus, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (2).

(1) *epist. ad Heracl. jun. Conc.* Hard. *T. III. p.* 610. v. Gamer. *in Append. ad Libr. Diurn* §. *VI. c. II.*
(2) *in epist. ad Rom. c.* 7. *n.* 25.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXV.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. VICESIMUS sextus Heraclii Augusti annus hic fuit, et a Consulatu ejus vicesimus quartus: quo Damascus a Saracénis capta est, Phoenicia subacta, Heraclii exercitus caesus, Aegypti occupandae consilium susceptum. tot vero Saracenorum motibus tantoque proeliorum successu provinciae finitimae horrebant, quae veteres barbarorum incursiones cladesque meminerant: Africae minus timebatur, quod mari divisa esset, longiusque distaret. idcirco Heraclius copias etiam ex Africa sibi deducendas putavit, quae Aegyptum tuerentur, et Saracenorum impetum retardarent. certe ille hoc anno ad Petrum Praetorem Numidiae scripsisse dicitur (1), ut in Aegyptum contra Saracenos exercitum duceret. quod quum ille non praestitisset, quidam Maximi Confessoris consilio factum commenti sunt, et Maximum ipsum deinde, quum in eum Constans Aug. saeviret, de ea re mentiti accusarunt, nec litteras, quibus id probarent, proferre potuerunt.

(1) *ex Collat. S. Maximi* apud Sirmond. *T. III. p.* 335.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXVI.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. FUIT hic Heraclii Augusti annus vicesimus septimus, et ab ejus Consulatu vicesimus quintus. hoc anno Hierosolyma ab Omaro obsidione cincta, et Iudaea omnis insidentibus Saracenis vexata. similia tum pleraeque nationes a barbaris tolerabant: ut malis Afri minoribus urgeri viderentur. Ecclesia certe apud eos magnis ceterarum carebat incommodis, quum haeresis nulla in Africa dominaretur, et quos alicubi latitare sciret, haereticos non metueret. nam in Italia, quae Langobardorum imperio suberat, multae etiamtum urbes geminos habebant Episcopos, quorum alter Arianus, alter Catholicus esset: unde saepe dissidia oriebantur, et periculum bonis creabatur (1). itaque Deum Afri propitium sensere: qui nempe virtutem eorum in illa tranquillitate confirmari augerique voluit, quo postea alacriores rectam doctrinam tuerentur, et impendentes calamitates animo majore contemnerent.

(1) Murat. *Ann. Ital. ad hunc. an.*

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXVII.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUM Heraclius Imperii sui vicesimum octavum attigit, qui a Consulatu ejus vicesimus sextus erat. Omarus hoc anno Hierosolymis per

deditionem potitus est, fide data, passurum se, ut Hierosolymis Christiani essent. ad tantam calamitatem Sophronii quoque mors accessit sanctissimi Patriarchae, in quo maxime Catholici omnes adversus Monotheletarum conatus firmum praesidium invenerant. aucta interea in immensum Saracenorum potentia est, Perside quoque subacta, occupatisque Regum thesauris, unde Omarus, quascumque optaret, alendis exercitibus opes in promptu habuit. itaque brevi tempore reliquam Syriam, deinde Aegyptum in ditionem suam potestatemque redegit. nam quae tum vires hosti tam valido non impares esse poterant? jamdiu autem eorum, qui Romanos fines incolebant, metu etiam conciderant animi, ut finem Imperio adventare existimarent. quare non exercitibus, non ducibus suis fidebant. qui vero pietate et religione praestabant, hostem praeterea ultorem divinitus immissum arbitrabantur, qui plecteret impios, et haereticorum audaciam perfidiamque poena coërceret.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXVIII.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic fuit Heraclii Augusti vicesimus nonus, et post Consulatum ejus vicesimus septimus: quo anno nuncii Constantinopolim e Syria adlati, exercitum a Saracenis fusum, Antiochiam captam esse. post haec manifestum jam videbatur, Saraceni tot victoriis elati quid molirentur. nam quum exercitus bipartito distributus esset, ut alii Persidem, alii Syriam servitute oppressam tenerent; partim Mesopotamiae, partim Aegypto imminebant.

II. Romae hoc anno mortuus est Honorius quarto idus Octobres, de urbe ac templis optime meritus: multas enim aedes vetustate collapsas restituisse, multas donariis locupletasse dicitur. interea Sergius Constantinopoli Ecthesin illam Heraclianam veneni plenam scribebat, in qua illud a Catholicis hominibus exigeret, ne jam in Christo vel unam vel duplicem operationem commemorarent: simul autem diserte affirmabat, unam tantum in Christo voluntatem fuisse, idque omnium veterum Patrum doctrina comprobari. hunc ille libellum quum absolvisset, Heraclium Augustum dolo aggressus in eam sententiam facile adduxit, ut Ecthesin nomine suo promulgaret, atque in omnes provincias mitteret: ipse vero et synodum Constantinopolim vocavit, ut eam Episcopi frequentes subscriptione nominis sui confirmarent: tum ad Cyrum Patriarcham Alexandrinum litteras dedit, ut studium ejus requireret, ac currentem incitaret.

III. Ad haec Sergio nunciatum est, Honorium Romae decessisse. itaque Heraclio auctor fuit, ut Ecthesi in Italiam missa, Isacio Exarcho mandata daret, ne Romae Pontificem maximum renunciari pateretur, nisi qui antea Ecthesin amplexus esset. eodemque tempore effecit, ut in

Africam quoque exemplar ejus perferretur. atque hoc ultimum Sergii facinus fuit. mense enim Decembri, quum jam haeresim a se constitutam praesidioque Principis firmatam impie laetaretur, Deo scelerum vindice e vivis sublatus est.

·ANNUS CHRISTIANUS DCXXXVIIII.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Tricesimus hic numeratur Imperii Heraclii annus, et a Consulatu ejus vicesimus octavus fuit, quo Memphis a Saracenis capta, et Alexandria obsessa est. Constantinopoli in Sergii locum alter ex eadem faece suffectus, qui sectam fovere tuerique posset, Pyrrhus Sergii familiaris: hicque honore suscepto synodum ad decessoris sui normam indixit, et Ecthesin judicio quoque suo et sententia comprobavit. erat id temporis apud regiam urbem Maximus Abbas, qui postea ob praeclara certamina Confessor est appellatus, monasterioque praeerat, quod Chrysopoli trans fretum et prope Chalcedonem fuit. huc ille ex aula concesserat colendae virtutis studio, quam honoribus praeferebat. verum in tanta rerum conversione quum jam a Saracenis mala omnia metuenda essent, Constantinopoli autem Pyrrho Patriarcha haeresim latius triumphaturam videret, divino quodam consilio in eam mentem venit, ut sese in Occidentis oras conferret. et quia Graecos Monacos a Justiniani aevo Africa habebat, atque Ecthesin ad Africanos quoque Episcopos missam norat; in Africam primum navigare instituit, ut quos Catholicae professionis studiosissimos sciebat esse, eos potissimum ab illa labe immunes conservaret.

II. Enimvero Gregorius, Nicetae, opinor, filius, Graegorae nepos, qui tum Praefectura Africae suscepta rem publicam administrabat, Ecthesin ab urbe regia missam nuper Fortunio ceterisque Episcopis exhibuerat, quum Carthaginem Maximus appulit, qui eos de tota illa caussa edoceret, et omnes haereticorum dolos insidiasque patefaceret. atque hi quidem, postquam eos Maximus adloquutus est, ac Sergii Pyrrhique fraudes aperuit; horrere omnes, Ecthesin detestari, miro consensu synodum poscere, in qua nefariam haeresim publica sententia damnarent. sed quia nondum rescierant, quid Romae actum esset, quisve Honorii loco Pontificatum suscepisset; dilata res in annum proximum est, et doctissimus quisque Episcoporum commentari aliquid et scribere de eo argumento coepit.

III. Romae interea Pontifex maximus, qui Ecthesin repudiare auderet, Severinus designatur: et Legati Ravennam mittuntur, qui Exarchum, ut mos obtinebat, de ea re certiorem facerent. ille aperte negavit, passurum se unquam, ut Severinus Pontificatum iniret, nisi antea Ecthesin subscriptione nominis sui comprobaret. quae ubi in urbe nunciata sunt, nemo fuit, qui Exarcho morem gerendum putarit: primusque Severinus

Ecthesin se rejicere ac detestari professus est. at vero Exarchus sive ut metum injiceret, sive ut repulsam ulcisceretur, primum per Mauritium Chartularium Pontificalem domum milite obsedit: mox Romam ipse profectus, opes, quae in ea domo servabantur, omnes sustulit, ex eaque gaza partem Constantinopolim ad Augustum misit. exinde primores e Clero in exsilium ejecit, adsignata singulis civitate, in qua quisque exsularet (1). ceterum Romani animos non abjecerunt, lectosque viros ad Heraclium legarunt (2), qui eum Severino conciliarent, atque ad pietatem officiumque traducerent. quamquam autem controversias hujusmodi Pyrrhus arbitrio suo moderabatur, idque a Legatis omnino postulabat, ut Severinus per subscriptionem se idem sentire fateretur, quod et ipse cum Clero suo et Cyrus Alexandrinus cum ceteris factionis suae Episcopis sentiebant; Legati tamen astu hominem aggressi, daturos se operam spoponderunt, ne Severinus postulata ignoraret, et Ecthesin ei se oblaturos, ut sententiam ipse suam nomenque subscriberet: tum coram Augusto eadem professi, litteras tandem publicas impetrarunt, quibus vel invito Exarcho Severini jamdiu designati staret auctoritas, et Pontificatus ejus legitimus haberetur. sed haec Constantinopoli dum aguntur, pars anni reliqua absumpta est, nec ante hyemis exitum Romam redeundi potestas Legatis fuit.

(1) Anastas. *in Severin. n.* 2. *etc.* (2) *ex Max. epist. in Collect.* Anast. Sirmon.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXX.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic Heraclii Augusti tricesimus primus fuit, et post Consulatum ejus vicesimus nonus, quo Mesopotamia a Saracenis subacta est. talia scilicet ei praemia haeresis detulit, ex quo eam insano studio fovere coepit. Romae Severinus quinto kal. Junias consecratus, honorem suum ab Ecthesis damnatione auspicari voluit: dignum hoc Pontifice maximo ratus esse, ut pro religione majorum et recta Ecclesiae doctrina minas hominum ac vitae ipsius jacturam forti animo contemneret. nec vero id solus peregit, sed vocata synodo perrogatisque Episcoporum sententiis: quo plures judicii sui testes ac fautores haberet. itaque tanti viri mansit auctoritas, et qui eum consequuti sunt Pontifices maximi, quum professionis suae formulam in ipso suscepti honoris initio exhibebant, his diu verbis usi reperiuntur (1): *Profitemur etiam cuncta Decreta Pontificum Apostolicae Sedis, id est sanctae recordationis* SEVERINI, *Ioannis, Theodori atque Martini custodire; qui adversus novas quaestiones in urbe regia exortas, et pro propria doctrina cuncta zizaniorum scandala amputasse noscuntur, profitentes juxta duarum Naturarum motum ita et duas naturales Operationes: et quaecumque*

(1) *Lib. Dium. c.* 3. *tit.* 6.

damnaverunt, sub anathemate damnamus; quaeque susceperunt, suscipimus, et tota fidei integritate veneramur.

II. Jamvero in Africa Maximi Abbatis studio et labore tota novae haeresis ratio tenebatur: nec ignota erant, quae Constantinopoli tentata, quaeque Romae perfecta essent. quamobrem vocata passim Concilia sunt, nec Carthagine tantum ex finitimis urbibus Episcopi adfuere, ut cum Fortunio haeresim damnarent, sed in Numidia etiam et in Mauretania ac demum in provincia Byzacena synodos celebratas constat (2), in quibus una omnes sententia Monotheletarum deliramenta rejecerunt. litteris deinde Episcoporum nunciata Romae quae in Africa gesta fuerant, quum jam Severinus diem supremum obiisset. Duos enim menses tantum Pontificatu functus est. sed quae Severinus morte praereptus probare non potuit, Ioannes probavit hujus nominis quartus, extremo anni mense in ejus locum suffectus.

III. Maximi interea apud Afros curae, Conciliis dimissis, imminutae fuerant: nec tamen ille otio abusus est. nam hoc ille anno brevem illam suam Christiani Paschatis enarrationem edidit (3), quae Petro Patricio dicata est. id operis ne Afris quidem ingratum fuisse crediderim, quod apud eos haud semel de die Paschali controversiae exstitissent; et Graeca exemplaria a Justiniani temporibus Graece multi scientes versare solerent.

(2) Theophan. *Chronogr. p.* 275.

(3) *in Uranolog.* Petav. *ord.* 12.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXXI.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Tristis plane funestusque familiae Augustae hic annus exstitit. nam et Heraclius e vita decessit, et Constantinus post paucos menses veneno necatus est, et Heracleonas cum parente Martina a Senatu se Imperio abdicare jussus: quod demum Constans solus administrare coepit. sed antequam haec Constantinopoli fierent, Romae Ioannes Pontifex maximus, Severini decessoris sequutus exemplum, et Patrum Africanorum studium imitatus, Concilium vocaverat Episcoporum, atque Ecthesin rursus instituto judicio damnarat. subinde Pyrrhum admonuerat, Occidentem totum adversus eum et Sergium Cyrumque sentire: nec jam se laturum ostenderet, ut nefaria haeresis in tutela ejus praesidioque impune lateret. haec vero ad aures quoque Augusti pervenere: quem quidem tantus Occidentis motus perculit invidia aliena flagrantem, quod ipse erroris auctor et Ecclesiae turbator haberetur. justis igitur bonorum querelis ita satisfaciendum censuit, ut se ipse purgaret, et Ecthesin facem intestini dissidii auctori suo redderet. Acta, quae exstant (1), sancti Abbatis Maximi, quum in urbe regia ad quaestionem vocatus

(1) apud Sirm. *Op. Var. T. III. p.* 334.

est, epistolam ab Heraclio scriptam hujusmodi, atque in Occidentem missam exhibent (2): *Ecthesis non est mea; neque enim ego vel dictavi, vel jussi, ut fieret. sed quum hanc Sergius Patriarcha composuisset ante quinque annos, prius quam ab Oriente repedassem, deprecatus est me, quum ad hanc felicem pervenissem urbem, ut nomine meo proponeretur cum subscriptione, et suscepi deprecationem illius. nunc vero cognoscens, quod quidam super ea altercarentur, cunctis facio manifestum, quia non est mea.* post quae addit Maximus: *Hanc fecit jussionem ad beatum Joannem Papam condemnantem Ecthesin* in his, *quae scripserat tunc ad Pyrrhum.*

1I. Verum paullo post Heraclius diem obiit supremum, nunciatumque est, Constantinum filium cum Heracleona fratre regnare. itaque Ioannes Pontifex maximus nihil se in Pyrrho profecisse edoctus, graves ad utrumque Augustum litteras misit, multa questus de epistolis ejus, quas passim per Occidentem veneni plenas disseminarat, et Honorii defensionem amplexus, quem Pyrrhus secum sensisse jactabat. iis tamen Ioannis litteris nihil Augusti rescripsere, quod alter mox e vita sublatus esset, alteri, ut diximus, ex Senatus auctoritate Imperium ademptum foret. rescripsit Constans, quum regnare solus coepisset, visusque est primum Ioannis rationem habere, quum Ecthesin, quae in templi maximi valvis prostabat, avelli jusserit, eamque igni tradiderit. ceterum in illis rei publicae turbis hoc boni nacta est Ecclesia, quod Pyrrhus studio partium in vitae discrimen adductus, solum sibi vertendum putarit: quamquam ille invitus quum discederet, *Non Sacerdotio*, inquit, *me abdico, sed contumaci populo cedo:* quumque aliquandiu in urbe latuisset, Chalcedonem transmisit, ultro rediturus, si adjutores unquam fautoresque inveniret.

11I. Quid deinde? malae segetis quanta Constantinopoli copia esset, facile apparuit. tertius enim de Monotheletarum faece Patriarcha repertus est, qui et superiores astu ac nequitia superaret. hic fuit Paullus Sophiae Oeconomus, qui quum gratia etiam apud Constantem valeret plurimum, sectam latius multorum pernice propagavit. haec paucos ante dies contigere, quam Ioannes Romae e vita migraret: cujus loco creatus est Theodorus.

111I. Omen Afris infaustum fecit capta hoc anno Alexandria urbs maxima atque clarissima: quae jamtum Africae Imperium Saracenis portendere visa est. multo quidem sanguine ea victoria hosti stetit; sed ingentes illae barbarorum phalanges nullis cladibus imminui posse videbantur.

(2) *ibidem p.* 343. *E.*

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXXII.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. SECUNDUS hic Constantis Augusti annus habetur, qui Imperium mense Octobri anni superioris acceperat. Pyrrhus, qui Chalcedonem secesserat, quum suspicio esset, consilio ejus Constantinum veneno esse sublatum, timuit sibi, et aliud sibi perfugium quaerendum ratus, in Africam navigavit. illic nimirum in Gregorii Praefecti tutela securi se animi fore sperabat, quod jam fama esset, Gregorium rebus novis studere: nec vero a Constante periculum impenderet, quem Saracenorum arma nimium distinebant.

II. At Paullus, quem Monotheletae Pyrrho sufficiendum curaverant, caute, ut haeretici solent, gerebat sese, ut suis jam notus Catholicos deciperet. quare epistolam synodicam more majorum ad Pontificem maximum scribere minime distulit, ne alienus scilicet ab Ecclesia Romana proderetur, cui tum conjunctissimus haberi pervolebat. sed qui haeresim mordicus teneret, nec a perversa doctrina sibi unquam recedendum statuisset; tanta fraude eoque verborum delectu litteras professionis suae testes perscripsit, ut dolum Theodorus aliquandiu non sensisse, ac de recta Paulli doctrina laetatus esse videatur. Constantinopoli tamen, quum Augustus ipse Monotheletam se fateretur, nec jam fortes viri adessent, qui olim haeresi obstiterant, impune Paullus quae vellet disseminabat. quin et illud audaciam ac licentiam aucturum accesserat, ut calamitatibus, quibus Imperium petebatur, multorum jamdiu perculsi jacerent animi, nec de posteritate sua sibi laborandum ducerent, quod perniciem omnium exitiumque instare arbitrarentur.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXXIII.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. TERTIUM hoc annum Imperii sui Constans incohavit, quo et Consul processit. redditae id temporis Paullo sunt litterae Theodori Pontificis maximi, quarum initio Paullus a recta doctrina commendabatur. *Quoniam*, ajebat, *fide hominum corda purgantur, lecti apices dilectionis vestrae limpida fidei fluenta vos de fontibus Salvatoris hausisse, et sicut praedicamus praedicare, et quemadmodum credimus credere, et sicut docemus indiminute docere manifestarunt* (1). vidit tamen Theodorus in Paulli litteris vestigia sceleris quaedam haud levia, quae notanda essent, eaque minime dissimulavit. primum enim questus est, postquam Pyrrhi acta a Severino et Ioanne improbata essent, Ecthesisque Augusti jussu de templi postibus abrepta et flammis com-

(1) *in Collect. Anast.* apud Sirm. *T. III.*

busta fuisset, cur ipse exemplar ejus in publico etiamtum prostare pateretur? deinde, si forte Ecthesin ipse probaret ac retinendam duceret, cur non id ipsum in epistola sua significasset? cur Episcopi, a quibus Paullus consecratus fuerat, iidem Pyrrhum sanctissimum appellarent, eumque propter tumultum et intestina odia honore abiisse dicerent? quum haec otium quidem turbare possint, dignitatem eripere non possint. quare synodum cogi jubebat, in qua Pyrrhi caussa cognosceretur; quumque crimina manifesto tenerentur, de eo vel absente sententiam ferrent.

II. Post haec Theodorus Episcopos etiam, qui Paullum consecraverant, admonendos censuit, ut Pyrrhum gradu motum ab Ecclesia rejicerent: ita demum legitimam Paulli consecrationem futuram: neque enim Episcopo alteri in sede illa locum esse posse, nisi ante publica auctoritate deturbatum constaret, qui thronum prior obtinuerat (2). cura praeterea Apocrisiariis, qui Constantinopoli versabantur, data est, ut Paullum praesentes quid animo sentiret, scripto explicare cogerent. ita paullatim effecit, ut ille, qualis erat, haereticum denique se proderet, ipse in homine coërcendo auctoritate sua libere uteretur.

(2) *ibidem apud eundem.*

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXXIII.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Quartus coepit annus Constantis Augusti, qui primus post Consulatum ejus appellatur. alterum jam annum Pyrrhus in Africa exsulabat, hospes bonis invisus, quod haeresis suae studium minime abjecisset, in sectamque Monotheletarum incautos homines clam adducere putaretur. e quorum numero Fortunius fuisse creditur Episcopus Carthaginiensis (1), de quo nobis alio loco dicendum est. ceterum aderat apud Afros Maximus Abbas, qui unus potissimum Pyrrhi conatus coërcere, et Catholicam doctrinam tueri posset. hic Pyrrhum saepe convenit, hortarique non destitit, ut ad bonam, ut ajunt, frugem aliquando rediret. neque enim in ambiguo rem esse, aut jam in utramque partem agitari flectique posse, quae ipse sentiebat: haeresim gravissimis dudum judiciis constrictam teneri: in urbe pronunciatum a Pontifice maximo, quae in ea controversia Catholicae Ecclesiae sententia esset: secundum eam sentire Africae Episcopos, quorum mens in Conciliis eorum litterisque publicis elucebat.

II. Haec multis ac saepe Maximus: verum quum se operam perdere intelligeret, aliam inivit viam. agere enim cum Episcopis coepit, ut Pyrrhum auctoritate sua ad disputandum pertraherent, paratus ipse in magno hominum consessu cominus cum illo congredi, et quae ille objiceret, plena oratione refutare. nam hoc plurimi intererat, ut quae ille

(1) Baron. *ad an.* 646.

clam disseminarat, palam prolata excuterentur: sic fore sperabat Maximus, ut si quid in animis haesisset fraudis, Pyrrho ad incitas redacto, facile evelleretur. porro consilium arrisit Episcopis, neque aliud desiderabatur, nisi ut Gregorio quoque probaretur, qui summam Africae Praefecturam gerebat. extremo haec anno tentata videntur, atque in proximum rejecta esse, quo Gregorius locum ac tempus definivit, quibus ea disputatio haberetur.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXXV.

Fortunio Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic Constantis Augusti quintus numeratur, qui alter a Consulatu ejus fuit, Omari Califae Saracenorum interitu insignis, cui Osmanus successit. quod erat in votis, oblatam disputandi occasionem Pyrrhus ab Episcopis rogatus minime recusavit: Gregorius vero Iulium mensem, quo certamen illud iniretur, designandum duxit: ut et Episcopi undique convenire possent, et iis, qui disputaturi essent, longius commentandi otium concederetur. adfuisse autem dicuntur non modo Episcopi magno numero, sed Praefectus ipse Africae ac multi cum eo viri nobiles, quos et controversiae magnitudo et ipsa eorum, qui committebantur, dignitas et fama vocaverat. exstant Disputationis illius, quae Carthagine habita fertur, acta omnia (1): in quibus quid Pyrrhus, ut novum illud commentum de una Christi voluntate adsereret, quid Maximus, ut veterem Catholicae Ecclesiae auctoritatem vindicaret, alternis protulerint, ac subtiliter copioseque exornarint, a Notariis in ipsa actione exceptum, accurate perscriptum est, Graeca utique lingua: nam Graece uterque disputavit apud Afros, qui Latino quidem sermone etiamtum utebantur, sed Graecum tamen plerique a Justiniani, ut diximus, aevo didicerant. ipsa autem disputatio plena dignitatis fuit, ac rationibus potius atque auctoritatibus, quam conviciis et clamoribus certatum est. exitus denum is fuit, qualem ab haeretico expectare vix posses. nam Pyrrhus affirmare non dubitavit, demonstratum denique a Maximo, errare omnes, qui unam tantum in Christo operationem agnoscerent. tum veniam ait se petere et sibi et iis, quos ipse sequutus fuerat: id jam unum se optare, ut ratio ostenderetur, qua et error deleri, et decessorum suorum dignitas servari posset. at quum Maximus reposuisset, hanc unam restare viam, ut nominibus ipsis haereticorum silentio praetermissis, doctrinam eorum conceptis verbis detestaretur; nihil repugnavit, quaeque jussus esset, praestiturum se dixit in ipsa urbe Roma: in qua hoc maxime volebat, ut templum Apostolorum adire permitteretur, ac deinde Pontificem maximum coram adloqui: cui se libellum oblaturum spondebat, quo ea damnaret, quae contra fas acta fuisse arguebatur.

(1) prior edidit Baron. post. *T. VIII. Annal.* cum interpretatione Turriani.

II. Haec vero omnes magno plausu accepere, et Abbas in primis atque ipse Gregorius Praefectus probaverunt. quumque idoneum navigationi tempus esset, Maximus ipse cum Pyrrho Romam profectus est, ingentis laetitiae auctor, quod multi post tale exemplum fore sperarent, ut nefaria haeresis penitus aboleretur. promissi fidem egregie praestitit Pyrrhus, libellumque Theodoro Pontifici maximo ultro obtulit, coram amplissimo Ecclesiae Senatu frequentique populo testatus, se ex animo haeresim cum auctoribus ejus rejicere atque damnare: nec sibi quidquam Catholica professione antiquius esse aut fore. quod ille quidem sponte ac nullius vi metuve coactus fecit: sed Monotheletae minis tormentisque confessionem ejusmodi expressam esse vulgarunt (2): tanto illis pudori ruborique fuerat mutatus repente Pyrrhi animus, et inexpectata sani consilii susceptio. Theodorus contra, quum de disputatione etiam cognovisset, quae in Africa dudum habita fuerat, gravissimumque Maximi testimonium plurimi faceret; celerem viri poenitentiam ita probavit, ut dignum haberet, cui Constantinopolitanae infulae redderentur. itaque majorum exempla sequutus, qui mitissimo fere animo poenitentes amplexi fuerant, Pyrrhum non modo mystica communione dignatus est, sed etiam inter Episcopos sedere jussit (3). tum quamdiu Romae fuit, sumptibus eum suis ali voluit, familiaeque ejus omnia suppeditari, quae opus essent. nam id Romae obtinebat, ut Catholicis Episcopis domus Pontificis maximi pateret: advenis reliquis aliae paratae erant (4).

(2) ex Martini *P.M. epist.* 16. *T. II. epp. P. R.*
(3) *Lib. Pont. in Theodor. n.* 3.
(4) Martin. *P.M. ep. eadem* apud Hard. *T. III. Conc. p.* 684.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXXVI.

Victore Episcopo Carthaginiensi

I. ANNUM Constans Imperii sui sextum incohavit, qui a Consulatu ejus tertius dicitur. quid Romae transactum nuper esset, Africani Episcopi jam rescierant, vehementerque gavisi sunt, partam Pyrrho ex Africa salutem: tum et sperare coeperunt, Paullum quoque Patriarcham Constantinopolitanum in eandem sententiam venturum, si eum de Pyrrhi poenitentia certiorem facerent, et de Ecclesiae Africanae judiciis decretisque edocerent. tantae igitur rei caussa Concilia iterum indicta sunt, in Numidia scilicet a Columbo, in provincia Byzacena a Stephano, in Mauretania a Reparato; nam hi earum provinciarum Primates erant. serius de Concilio in Proconsulari actum, quod primum cogi debebat: idque Fortunii Episcopi Carthaginiensis fuga accidit, quem hoc anno ab Ecclesia Catholica aperte defecisse, non levi suspicione ac conjectura coarguitur. Constantinopolim enim profectus Paullum Monotheletarum antesignanum non modo non vitavit, sed etiam ultro adiit coluitque, et in Sophiae templo coram eo sacrum fecit. quumque orta quaestio esset,

quo ille loco inter summos Episcopos sedere deberet; codices magnae synodi, quae Vigilio Pontifice maximo coacta fuerat, pervolutos constat, ut quo tum ordine apud eos Reparatus Episcopus Carthaginiensis sedisset, inveniretur: atque eandem subinde, quae illi obtigerat, honoris sedem Fortunio esse tributam (1). quae hujus postea vices fuerint, diu ne in regia urbe versatus sit, an defectionis suae poenam cita morte subierit, incertum est. illud exploratum habemus, ex eo tempore Ecclesiam Carthaginiensem tamquam Episcopo viduatam, sedemque honoris vacuam omnibus visam esse.

II. Interea Episcopos quosque in provinciis suis ea maxime cura exercebat, ut ad Paullum accuratissime scriberent, quid ipsi in Conciliis suis adversus Monotheletas statuissent, eumque propositis veterum Patrum auctoritatibus ab errore revocare conarentur. atque id demum et in Proconsulari post Fortunii fugam susceptum est: in cujus Concilio primas egit partes, qui senior erat, Gulosus Episcopus Pupitanus, convenientibus cum eo Episcopis numero sexaginta septem. porro ceterorum quidem Conciliorum litterae periere: at quae in Concilio Proconsularis provinciae scriptae sunt, ad nos pervenerunt; in quibus nonnulla scite proefati de Catholica Ecclesia, quae Sanctae Trinitatis instar, dissidio omni sublato, unum esse debeat, professique de D. N. Jesu Christo Deo et homine quid sentirent, ipsum scilicet *et divinam naturam, voluntatem et operationem ut Deum habere perfectam; et quod est hominis, eundem ipsum, sine quolibet dumtaxat peccati vel concupiscentiae modo, similiter naturam, voluntatem et operationem habere plenissimam:* selecta dein loca ex Ambrosii et Augustini scriptis subjecerunt, secum utique et cum Catholica Ecclesia sentientium (2).

III. Ceterum epistolis ab unoquoque Concilio perscriptis, decreta etiam legatione ad Augustum, delectisque viris, qui communes litteras in regiam urbem perferrent (3), turbatum repente in Africa est, Gregorio Praefecto regnum affectante: cui Afri non inviti adhaeserunt. ergo iter Legatis interclusum, et apud Augustum Episcopi proditionis accusati, eo ne aspirare quidem potuerunt. quare mutato consilio Legatos Romam miserunt ad Theodorum: ut Apocrisiariis, quos Constantinopoli habebat, eam daret curam, ut litteras a se perscriptas Augusto Paulloque redderent. hanc enim unam sibi reliquam esse viam, ut officio suo apud illos fungerentur (4).

IIII. Dimissis Legatis, in illa rerum conversione non adeo animos Episcopi abjecerant, nihil ut de Carthaginiensi Episcopo designando cogitarent. Iulio eos mense hanc ob caussam convenisse (5), et Victorem creasse, declarant hujus ad Theodorum Pontificem maximum synodicae litterae. *Significamus*, inquit, *Deo placitae fraternitati vestrae, die*

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 1363.
(2) apud Hard. *ibid. p.* 742.
(3) *ibid. p.* 734.
(4) *ibid. p.* 735.
(5) *ibid. p.* 755.

decimo septimo kalendarum Augustarum indictionis quartae nostram humilitatem, divina gratia suo, ut praecepit, munere praeveniente, et vestris sanctis ac Deo dignis precibus, in sancta Carthaginiensis civitatis Ecclesia pontificalis honoris accepisse consecrationem et stolam. eas autem litteras Romam pertulit Legatus eo nomine Mellosus Episcopus Gisipensis cum Redempto Diacono et Cresciturо Notario, quos Victor ante hyemem, Theodoro annuente, redire cupiebat. apparet ex iisdem quanto viro Ecclesia Carthaginiensis commissa esset: nam et contra haeresim praeclare disserit, et Theodorum, ut forti animo contra improbos pugnat, egregie hortatur, et ab eodem, de Paulli Patriarchae salute laborans, enixe petit, ut Conciliorum Africanorum epistolas ad eum perferendas curet.

v. Iam vero Theodorus, qui graves jamdiu nuncios de Paulli defectione acceperat, tot Africanorum Patrum judiciis excitatus, acerrimis rursum litteris Paullum perculit, nihil ut denique dissimularet, seque aliquando in apertum latrocinium conjiceret. Paulli hoc epistola ad Theodorum declarat: nam quae a Theodoro missa fuerat, amissa putatur. in ea Paullus Sergii Ecthesin aliis verbis reddidisse visus est: quippe qui et unam in Christo voluntatem diserte assereret, nec ullam de una aut duplici in eo operatione mentionem inferret: Sergium vero sequi se atque Honorium ceterosque Ecclesiae doctores plane profiteretur: qui fere haereticorum mos est sanctissimorum virorum auctoritatibus abutentium, ne a Catholica Ecclesia in adversariorum castra transfugisse videantur. quamquam autem in his quoque litteris quamdam Paullus pietatis speciem praeseferebat, et pacis concordiaeque studium simulabat; haud tamen his artibus Theodorus deceptus est. quin satis sibi argumentorum jam esse putavit, ut Paullum toto animo aversaretur, et in haereticorum numero haberet.

vI. Quod reliquum est, ad Gregorii tyrannidem, quae Africam Romano Imperio subduxit, Saracenorum hoc anno motus accessere; qui sub Osmani principatu ex Aegypto, quam vectigalem fecerant, in Cyrenaicam Abdalla duce irruperunt, Barcenque expugnarunt (6). inde illis in Africanas provincias patere aditus latissime coepit ad rapinas, ut libuit, et caedes: quas Augustus quidem aequo animo ferebat, amissis provinciis, quae tyranno se dederant; Gregorius vero, qui maxime vellet, tanto hosti impar prohibere non poterat.

(1) Theoph. *Chron. p.* 285.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXXVII.

Victore Episcopo Carthaginiensi

I. Annus hic Constantis Augusti septimus et a Consulatu quartus fuit, Ecclesiae in primis et omni Africae luctuosus. nam Saraceni

Abdalla Saidi filio exercitus duce, quum Cyrenaicam in ditionem suam redegissent, Tripolitanos fines occuparunt, inque Byzacenam provinciam ingressi occurrentem Gregorium cum omnibus copiis fuderunt, ipsumque captum interfecere (1). gaza omnis in eorum potestatem venit, nec quidquam intactum relictum est. id unum Afris solatii fuit, quod barbari legibus datis tributisque impositis recesserunt. verum post tumultum ejusmodi, quum jam sine metu domos illi suas et agros et urbes soli recognoscerent; facile tum intellexerunt, quanta passim a Saracenis clades illata esset, quamque multis ubique bonis uno hostium impetu spoliati jacerent. Episcoporum autem in ea calamitate industriam virtutemque desideratam esse quis putet, quos annis superioribus tanto religionis studio incensos viderimus? nam Catholicae professionis quaedam veluti tessera esto cura miserorum.

II. Pyrrhus vero id temporis, quum jam Romae aliquandiu cum laude esset versatus, ad Graecos denique suos Ravennam concessit, Platone illic Exarcho, quo antea, opinor, familiariter usus fuerat. at eo quidem Pyrrhus tantam profecto virtutem constantiamque non attulit, quae partam sibi nuper praeclarissimi facti gloriam tueri posset (2). nam quum Platoni incautus adhaesisset, et in colloquium ejus congressumque saepe veniret; paullatim factum est, ut mali hospitis et Graeci fraude ac lenociniis a proposito dimoveretur, atque ad poenitentiam transiret poenitentiae suae: quo nihil ei ad memoriam turpius accidere poterat.

(1) Elmacin. *Heg.* 27. Theoph. *ibid.* Fredegar. *in Chron. n.* 81.
(2) Theoph. *Chron. p.* 275.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXXVIII.

Victore Episcopo Carthaginiensi

I. Octavus hic annus cietur Constantis Augusti, idemque a Consulatu ejus quintus. nuncii Ravenna ad Theodorum pervenerant, Pyrrhum rursus in haeresim declinasse. ea re indignatus Pontifex maximus Concilium Episcoporum vocavit; cognitaque caussa, Pyrrhum, et qui cum eo facerent, honore omni spoliatos edixit: scripturus autem sententiam, qua eos ab Ecclesia rejiceret, ad sepulcrum Petri Apostoli accessit, ac de divino calice sanguinem Christi in atramentum stillavit, imbutoque ad omnium terrorem calamo, ultionis suae vim divinam expressit.

II. Haec dum Romae geruntur, Paullus Constantinopoli parem sibi poenam parabat. nam Theodori monitis atque Apocrisiariorum ejus cohortationibus contemptis, Typum illum suum, quem Martinus Pontifex maximus *plenum perfidiae dicit* (1), promulgare ausus est, mitissimis contextum verbis, sed errores complectentem omnes, quos Sergius Pyrrhusque ac ceteri ejus sectae principes disseminarant. quamquam autem

(1) *in epist. ad Amand. Ep. Traject.*

Typus Constantis Augusti nomine editus fuerat, poenam auctor tulit, quam meruerat. Theodori enim auctoritate damnatus ac loco motus est (2). at quae Romae, quaeque in urbe regia contigissent, ea in Africam, perpaucis ad eos hostium metu commeantibus, sera vix fama perferebat.

(2) *Lib. Pontif. in* Theod. *n.* 6.

ANNUS CHRISTIANUS DCXXXXVIII.

Victore Episcopo Carthaginiensi

I. Nonum Imperii sui annum Constans incohavit, qui sextus a Consulatu dicitur. hoc Theodorus, hostibus ab Ecclesia depulsis, victor decessit: cui par virtute constantiaque Martinus suffectus est. hic nimirum, quum eum Constans Aug. urgeret, instaretque, ut Typum reciperet atque auctoritate sua confirmaret; non moda studiis ejus obsequendum non duxit, sed etiam officii sui putavit esse, ut Episcopos quamprimum cogeret, et magno in Concilio Typum omnium sententiis configeret. actum id sane hoc anno in synodo illa insigni Lateranensi, quae incohata est III. nonas Octobres, quum plures quam centum Episcopi Romam ea de caussa convenissent.

II. Quod mirum est, huic synodo unus etiam ex Africa Episcopus adfuit, inter Saracenorum arma elapsus, Victorianus Uzalensis e provincia Proconsulari, quem cum Victoris Carthaginiensis mandatis Romam venisse, veri plane simile est. ceterum absentibus reliquis Africae Episcopis, omnes tamen in suis ipsi litteris, quae prolatae fuere, quodammodo adesse visi sunt: quibus etiam laus impartita, quod et Augustum omnibus officiis delinire, et Paullum Patriarcham ab errore revocare conati essent. maximum autem praeconium Victori a Martino tributum ob synodicam epistolam, in qua et studium ejus erga religionem emineret, et summa modestiae singulari conjuncta doctrina (1). ad ipsum autem Augustum scribens Martinus, et una voce in synodo damnata narrans, quae piis sanctorum Patrum definitionibus contraria et inimica essent, ipsosque haeresis auctores eorumque formulas et acta et scripta omnia, eo quoque consilio id factum adjecit, ut ipsius Principis dignitatem, quae adversariorum scriptis gravabatur, amota macula tuerentur: *In quam*, inquit, *ausi sunt religiosis Africae Episcopis dicere, scribentes, quod mente consilioque regio vere excitati memoratam piam formulam exposuistis praecipientem de nimia observatione paullum sine damno remittere* (2).

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 758. (2) *T. II. Epist. Decr. p.* 582.

ANNUS CHRISTIANUS DCL.

Victore Episcopo Carthaginiensi

I. Decimus hic annus habetur Constantis Augusti, et a Consulatu septimus. Saracenos id temporis ad Siciliam quoque appulisse, et exscensione facta urbibus multis potitos esse, Olympii Exarchi expeditio declarat, qui dudum Platoni successerat. nam eum hoc anno Constans Aug. in Siciliam contra Saracenos proficisci jussit (1). quo in bello Romanus exercitus caesus est: eamque post cladem ipse Olympius morbo interiit.

II. Saracenis interea bello occupatis, reditus in Africam Victoriano patuisse putandus est: quo utique reduce Africani Episcopi, quae Romae adversus Monotheletas peracta essent, denique cognoverunt. his vero Victorem ante omnes laetatum crediderim, Martini litteris edoctus, quo ille animo bellum haereticis indixisset. cujus quidem viri, quum omnibus virtutibus abundaret, haec praecipua deinceps fuit laus, quod parem semper adversis animum et maximam in proposito constantiam habuerit.

(1) *Lib. Pon. in Martin. n.* 7.

ANNUS CHRISTIANUS DCLI.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Constantis Augusti annus hic undecimus est, post Consulatum ejus octavus. supremum hoc anno diem obiisse Victor Episcopus Carthaginiensis dicendus est. nam Martini Pontificis maximi litterae, quas Monachi duo Sabaïtae Theodorus (1) et Leontius in Africam pertulerunt, titulum habent hujusmodi: *Electo spirituali consensu Catholicae Carthaginiensium Ecclesiae, et omnibus, qui ei subsunt, Episcopis, Clericis populisque Christi amantibus* (2). porro Victorem Episcopum Martinus profecto non ignorabat, qui et virtutem ejus summis laudibus extulerat. omissum igitur in titulo nomen est, quod Victorem quidem decesisse nosset, at nondum, qui in ejus locum factus esset, Afrorum litteris edoctus esset. nec vero nomen hujus efferre nos possumus: numve quispiam designatus tum fuerit, an Saracenorum id minis imperiove vetitum sit, affirmare licet. temporum enim istorum perobscura historia est.

II. Sed Martini ad Africanos Episcopos litterae plenae erant officii et dignitatis. *Vos merito*, ajebat, *de sincero corde amplectimur, quum maxime tamquam perennes lucernas confessionis vestrae characteres nobis expresseritis sive huic Apostolicae Sedi per Synodales litteras vestras.* commemoratis autem, quae adversus haereticos in synodo Lateranensi decreta fuerant, fidem doctrinamque eorum disertissime exponit:

(1) v. *super. an.* 541. *n.* 1. (2) apud Hard. *Conc. T.* III. *p.* 634.

Qua, inquit, *pie praedicastis, ipsum solum potentem Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum duas habere naturas in hypostasi inconfuse et indivise unitas, duasque naturales voluntates ac duas naturales operationes, increatam et creatam, divinam et humanam cohaerenter unitas; ad demonstrandum eundem et unum Dominum nostrum ac Deum, perfectum in divinitate, et perfectum eundem in humanitate absque solo peccato esse: ut Deo et Patri consubstantialem secundum ejus divinitatem, et perpetuae Virgini consubstantialem secundum ejus humanitatem: et totum eundem in propriis sempiternae ac sine principio, eundemque totum in nostris, in ultimis temporibus, sine diminutione ac sine phantasia. nam in hac praedicatione divina firmiter fundamentum Ecclesiae integrum stat, inconcussum signaculum habens verae Patrum confessionis.*

ANNUS CHRISTIANUS DCLII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Erat hic Constantis Augusti annus duodecimus et a Consulatu ejus nonus. Saracenis provincias impune diripientibus, Romanum Imperium adsumebatur: nec usquam pares contra hostium impetum vires erant. in tantis reipublicae malis id boni Afris fuit, quod deinceps a Monotheletarum labe intacti immunem sceleris religionem servaverunt. neque enim Constans nefariae haeresis fautor auctoritate quidquam aut armis in Africa valebat. furor praeterea quidam in Martinum maxime agebat, a quo suos magnifice victos perculsosque angebatur. idcirco etiam hoc anno, quum Olympium apud Siculos mortuum comperisset, Theodorum Calliopam Exarchum in Italiam destinavit, quem nempe paratum ad scelus norat, et paricidarum cohorte stipatum nihil non ausurum sperabat.

ANNUS CHRISTIANUS DCLIII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Decimus tertius Imperii Constantis numeratur hic annus, qui post Consulatum ejus decimus fuit. Calliopas ineunte Junio digressus Ravenna, Romam cum exercitu venit, ac Basilicam Constantinianam, apud quam Martinus Pontifex maximus deversabatur, armato milite implevit. mox virum sanctissimum captivorum more abduxit, et navi impositum Constantinopolim deportari jussit. navis vero quum a portu Romano solvisset, Messanam tenuit, deinde post varios errores Naxum pervenit, in eaque insula in annum proximum hyemavit (1). eodem tempore captus quoque est Maximus Abbas, et in regiam urbem missus:

(1) Martin. *P.M. in epist.* 15.

praeclaro videlicet consilio, ut vinctus uterque triumphum illum ornaret, quem Constans de Catholica Ecclesia demens se acturum speraverat (2).

(2) Theoph. *in Chron. ad an.* 20. *Heracl.*

ANNUS CHRISTIANUS DCLIII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Annum Constans Imperii sui decimum quartum inivit, qui a Consulatu ejus undecimus erat. magna omnibus per Occidentem Ecclesiis calamitas visa, quod parens populi Christiani de honoris sui sede deturbatus Italia abesset, atque inter impios versaretur. Romae autem, quamquam vix ulla reditus ejus aut vitae spes erat, nihil de successore designando actum est: sed ejus loco Archidiaconus, Archipresbyter et Primicerius Notariorum Ecclesiam administrarunt: id enim moris jamdiu obtinebat, si forte Pontifex maximus ab urbe abfuisset. at Martinus interea Naxo avectus tandem Constantinopolim appulit: atque e navi in carcerem conjectus, dies tres et nonaginta in vinculis fuit. eum demum de custodia eductum delecti accusatores ante judicem constituerunt, ut Pontificalibus insignibus nudarent, reumque peragerent. haec ille omnia quum ob constantiam suam adversus haereses toleraret, nullam ei de damnatis haereticis mentionem inferre licuit: totaque accusatio in perduellionis crimine versata est, a quo nemo magis alienus fuerat. habebat autem interpretem Thomae viri clarissimi ex Africa filium Innocentium (1): hic quum ejus verba Graece redderet accuratius, tacere jussus est. nec multo post, catena collo injecta, Martinus in carcerem rursus tamquam ad mortem ductus est, quum jam morbo confectus nec stare nec vestigium facere posset.

II. Jamvero, qui tantae crudelitatis auctor fuerat, Constans Aug. sequenti die Paullum Patriarcham, a Martino damnatum, periculose tum aegrotantem invisere ausus est, ut quae in sanctissimum atque innocentissimum virum egisset, familiariter enarraret. ille vero morti proximus, quamquam malorum tantorum ipse potissimum caussa fuerat, *Hei mihi*, exclamasse dicitur (2), *et hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum est.* quumque Imperator percontaretur, quorsum ea spectarent, respondisse fertur: *Numquidnam, Domine, non est miserabile, talia pati Pontifices?* idemque Augustum exorasse, ne saeviret diutius, iraeve impensius indulgeret. ceterum Paullus brevi defunctus est, et Pyrrho locum reliquit, cui ipse successerat. nam postquam ad veterem redierat sectam, dignus illic habitus est, qui regiae urbis Pontificatum rursus administraret.

III. At Romae haec inter metus haud levis Ecclesiae incussus fuerat, ne forte per vim, Martini loco, quem in vinculis esse audierant, Pon-

(1) *ex epist.* 15. apud Hard. *ibid. p.* 681. (2) apud eundem *p.* 683.

tifex sibi de secta aliquis imponeretur, qui Principi velificatus humana omnia ac divina perverteret. quamquam autem de Martini consensu nihil constabat, e re Christiana tamen fore putarunt, ut de successore quamprimum deliberarent. itaque egregium ei virum et optime de Ecclesia sentientem suffecerunt, Eugenium nomine: quem et Martino postea acceptum fuisse, in litteris ejus (3) significatum reperies.

(3) *epist.* 17. apud eundem *p.* 688.

ANNUS CHRISTIANUS DCLV.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Annus hic Constantis Augusti decimus quintus, et a Consulatu duodecimus numeratur, quo et Constantinus filius in Imperii societatem adscitus regnare coepit. Martinus hoc anno, quum rursus quinque et octoginta dies carceri addictus in squalore et aerumna excgisset, in exsilium denique ejectus, Chersonem deportatus est, ubi Martyr invictus obiit XVI. kal. Octobres (1). pertinet ad eundem annum Pyrrhi quoque mors, quem Deus quinto novi Pontificatus mense perculit. post hunc quartus etiam ex eadem secta inventus, qui Constantinopolitanam Ecclesiam contaminaret, Petrus nomine, vafri ingenii haereticus, cujus dolos Catholici aegre declinarunt (2).

II. Afros hoc anno, Osmani Califae interitu audito, spes aluit. Principem nempe Saraceni aliquando designaturi videbantur, qui pacis studio se ad mitiora consilia referret, latissimumque Imperium certis denique finibus circumscriberet. sed quum diu inter eos certatum esset, qui Siriam Aegyptumque incolebant (3), pervicerunt, ut Mavias renunciaretur: quo Principe Afri libertatem penitus amisere.

(1) apud Hard. *ibid. p.* 685.
(2) *in Collect.* Anast. Sirm. *p.* 146.
(3) Theoph. *an. Alex.* 647. *p.* 288. *et* Elmacin. *Hegir.* 35.

ANNUS CHRISTIANUS DCLVI.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Fuit hic annus Constantis Augusti decimus sextus, et a Consulatu ejus decimus tertius, quo Maximus Abbas, Catholici nominis assertor egregius, post magna certamina Bizyam in exsilium actus est. epistolam eodem tempore Afri acceperunt, quam Catholicus vir ex Oriente, ut in titulo ejus legitur (1), scripserat *His qui sunt in Occidente seu Romae et in Africa orthodoxis Patribus:* qua scilicet complexus fuerat Martini Pontificis maximi, ab eo die, quo Romae captus est, perpetuos labores, quasque Constantinopoli ignominias et aerumnas pro religione tulerat, tum con-

(1) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 678.

fessionem ipsius praeclaram, exsiliumque et mortem sepulturamque ejus, quam in templo sanctae Dei Genetricis prope Chersonem conditam tradit. atque ea omnia visa sibi aut audita, et diligentissime declarata vir pientissimus testabatur: precatus seniores quosque Ecclesiarum, ut eadem populis explicarent, eosque hortarentur, ne post tale exemplum remitterent animos, neve Patrum sanctorum doctrinam obliti, ad haereticorum societatem et prava commenta deflecterent.

ANNUS CHRISTIANUS DCLVII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Annum Imperii sui decimum septimum Constans incohavit, qui a Consulatu ejus decimus quartus fuit. Eugenius Pontifex maximus hoc anno decessit, cui altero post mense Vitalianus suffectus est. revocatum id temporis Bizya Maximum constat (1), atque in regia urbe caussam iterum dicere jussum: qui quum Monotheletas eadem constantia detestatus esset, synodi haereticae sententia manum ei dexteram praecisam, et linguam avulsam accepimus: tum rursus exsilii poenam additam, ut in Colchide exsularet (2).

(1) *ex Disp. II. Max.* apud Combef. (2) *ibid. et* apud Theoph. *p.* 288.

ANNUS CHRISTIANUS DCLVIII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Annus hic Constantis Augusti decimus octavus numeratur, et a Consulatu ejus decimus quintus. Saraceni quartum jam annum contrariis acti studiis bellum intestinum fovebant, duoque duces de Principatu certabant. enimvero Mavias, cui Syria potissimum atque Aegyptus parebant, ut Alim in Perside regnantem facilius coërceret, ultro pacem cum Romanis fecit, ipse legatione functus, conditionesque ab Augusto accepit, ut tributi nomine mille nummos et equum ac servum quotidie Romanis daret (1). quid autem de Imperii utriusque finibus constitutum tunc fuerit, num Augusto rursum Africa cesserit, an eam Mavias tributariam aequc habuerit, historia silet. veri tamen simile arbitror, Saracenos, quae superioribus annis adepti fuerant, ea sibi omnia retinuisse. certe Afros deinceps a Constante (2) hostium loco habitos esse, exploratum est, quos utique Imperio iterum adjectos delinire ac fovere conatus esset.

(1) Theoph. *Chron. p.* 288. (2) v. *infra an.* 664.

ANNUS CHRISTIANUS DCLVIIII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Annum Imperii decimum nonum attigit Constans, qui post Consulatum ejus decimus sextus habetur, et novis familiae Augustae honoribus nobilitatus est. nam ille hoc anno Heraclium atque Tiberium filios suos Caesares appellavit.

II. Mahometanorum hoc anno dissidium ortum est, Alim sequentibus Persis, Omarum Arabibus, quem et Turcae jamdiu sectantur: utraque autem factio oppositam haeresis damnabat, et defectionis arguebat: utraque se a Mahometis lege et doctrina ne transversum quidem unguem discessisse gloriabatur. Omari autem partes Mavias in primis tutatus, Saracenos sibi conciliavit, adversarios coërcuit (1). pace mox cum Romanis firmata, repressit audacius: Alis ipse interemptus est: nec filius ejus Hasenus, qui Persicum regnum tamquam hereditarium susceperat, ultra sextum mensem Imperium obtinuit, sese abdicare coactus (2). itaque solus jam Mavias arbitrio suo regnare coepit, ac regiam sibi Damasci constituit.

(1) Theoph. *Chron. p.* 289.

(2) *idem ibid.*

ANNUS CHRISTIANUS DCLX.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Vicesimus hic Constantis Augusti annus fuit, et a Consulatu ejus decimus septimus: quo Afri certiores facti, Damascum a Mavia delectam, ubi regiam haberet, se quodammodo sibi relictos putaverunt: nec jam, Principe tam longe agente, formidandum esse, ne is Africae opibus inhiaret. quamquam non ita eos de periculo suo securos fuisse arbitror, ut in tanta illa barbarorum dominatione ac licentia Caelestium sibi opem adsiduis precibus non implorarent.

II. Renunciatus nuper in Hispania fuerat (1) Episcopus Toletanus vir sanctus et Monachus religiosissimus Hildefonsus. quum autem hic, Pontificatu vix suscepto, perpetuam Matris Dei virginitatem edito libro contra Iovinianum, Helvidium et Judaeos luculenter adseruisset; opus Hildefonsi in Africam quoque quamprimum ad Catholicos populos perlatum credere est, idque plerisque omnibus incitamento fuisse, ut caelestis Reginae patrocinium impensius requirerent: ejus, inquam, quae, ut ait Augustinus (2), *plane mater membrorum* Christi, *quod nos sumus; quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius capitis membra sunt.* antiqua certe apud Afros, atque ab ipsis

(1) Mabill. *Ann. Ben. T. I. p.* 422. v. Marian. *lib. VI. c.* 10.

(2) *lib. de S. Virginit. c.* 6. v. Nat. Alex. *Saec. V. Quaest. II. Prop.* 2.

Christianis temporibus incohata pietas erga Mariam Dominam nostram, cujus vel in Tertulliano vestigia manent (3). serius vero et Iustiniani Principis cohortatio accesserat, qui templa magnificentissima honori ejus Carthagine atque ad Septa et Lepti magna dicarat.

(3) v. *lib. de virg. vel. c. 6. et lib. de carne Christi c. 5. et 17. etc.* v. et Canisium *de verbi Dei corruptelis T. II. lib. v. c. 31. p. 842. edit. sec.*

ANNUS CHRISTIANUS DCLXI.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Annus Imperii Constantis vicesimus primus hic cietur et post Consulatum ejus decimus octavus. quae apud Afros Ecclesiae vices essent, quae tot Episcoporum, quos superstites vidimus, curae; frustra quaeramus. nam et historiam Africanam externi fere neglexerunt, et incolae, si quid forte per haec tempora scripsissent, cum Italis, quorum jacebant litterae, minime communicarunt. quamobrem barbarorum infuso exercitu, quum vitae quisque suae fortunisque consuleret, cetera incuria aut incendiis periere. illud sane compertum est omnibus, quum in Museis Christianis non pauca veteris aevi monumenta apud alias nationes vetustatem tulisse videamus; instrumentum nusquam antiqui ritus, aut vestigium reperiri ullum, unde Africam Christianis aliquando sacris addictam fuisse cognoscas.

ANNUS CHRISTIANUS DCLXII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Annum Constans Imperii sui vicesimum secundum incohavit, quem a Consulatu ejus decimum nonum numeramus. hoc demum anno vir sanctissimus et praeclaris confessionibus nobilissimus, Maximus Abbas, qui in Colchide exsulabat, caelestem beatamque vitam morte mutavit. hujus certaminum prima veluti palaestra Carthago fuerat, ubi cum Pyrrho congressus proluserat: eoque tyrocinio posito major in dies visus, ac plurimarum palmarum victor coronam Martyrum tulit.

ANNUS CHRISTIANUS DCLXIII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Annus hic Constantis Augusti vicesimus tertius, et post Consulatum ejus vicesimus fuit: quo ille multis jam invisus regiam urbem deseruit, eo consilio, ut sedem sibi stabilem domiciliumque Romae collocaret. Athenas autem primum accessisse dicitur: inde Tarentum usque

navigasse. subinde quum Beneventum atque Neapolim adiisset, Iulio mense Romam ingressus est, occurrente ad milliarium sextum Vitaliano Pontifice maximo, nec plane invito, quod fama esset, Constantem Catholicorum se more gerere, nec jam de haeresi laborare. Romae certe ita versatus est, ut offenderet neminem. qui quum urbem lustrasset, templaque invisisset, die ab adventu ejus duodecimo Neapolim rediit, atque inde in Siciliam transmisit. illic locorum amoenitate delectatus Constantinopolim prae Syracusis contempsit, eoque uxorem et liberos adduci voluisse fertur, ne jam de reditu deliberare cogeretur. sed Constantinopolitani, quos consilium illud non latuit, Augustae animum precibus molliverunt, eamque et liberos in patria retinuere.

ANNUS CHRISTIANUS DCLXIIII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Vicesimum quartum Imperii sui annum Syracusis incohavit Constans, quem a Consulatu vicesimum primum agebat. gravis omnino ea Augusti apud Siculos commoratio finitimis populis fuit. classem enim Syracusis habuisse videtur, quae ad nutum ejus piratarum more praedabatur. porro et Africam ab eo id temporis saepe vexatum constat (1): totque illatas civitatibus clades, ut uxores suas mariti desererent, ac parentes filiorum obsequio subsidioque carerent. nec vero in tanta illa temporum conversione spes jam ulla affulgebat, adfuturos aliunde, qui rem publicam restituerent: quum fractae omnium vires essent, nemo Saracenorum vim atque impetum non metueret. itaque eos unos tum felices fuisse jure dixeris, qui tot inter aerumnas, omni rerum cura abjecta, caelum spectare unice, atque in aeterni aevi patriam sibi iter virtute munire instituerint.

(1) *Lib. Pontif. in Vitaliano n. 4.*

ANNUS CHRISTIANUS DCLXV.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Vicesimus quintus Constantis Augusti annus hic fuit, idemque a Consulatu ejus vicesimus secundus: quo pestis per Italiam in primis pervagata mortales multos absumpsit. ceterarum provinciarum non impar conditio visa est. nam Saraceni foedere contempto Romanos fines passim vastarunt; ipsamque Siciliam prope in Augusti conspectu compilantes, praeda acta, Siculos etiam magno numero captivos abduxerunt (1). qui quidem Constantis exemplo tueri se poterant, qui nuper provincias eas diripuerat, quas jam ipsi armis sibi vindicaverant. neque illud rarum,

(1) Theoph. *Chronogr. p.* 289.

ut quae in barbaris nefarie suscepta damnamus, eorum Christiani Principes exempla primi prodidisse reperiantur. quod sane in nobis longe gravissimum est, qui optimis instituti praeceptis virtutum omnium studium et religionis sanctitatem profitemur.

ANNUS CHRISTIANUS DCLXVI.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Annus coepit Constantis Augusti vicesimus sextus, qui post Consulatum ejus vicesimus tertius fuit. ecce jam Mavias ipse, Imperii sui rebus compositis, Africam aggreditur, neque ea solum mente, ut exercitum suum Afrorum opibus ditet, sed etiam ut tutam sibi sedem, munitum ad praedam servandam locum inveniat ac paret. ipse enim Cairoanum oppidum aedificasse fertur, milliariis a mari triginta sex dissitum, et centum fere milliariis ultra Tuneta Numidiam versus (1) eductum, quo Africae spolia congereret: eique praesidium imposuisse, moenia addidisse, arcem Saracenorum fecisse perhibetur. inde Afris initium ejus servitutis fuit, quam deinde numquam a cervicibus suis depulerunt (2). ausi quidem feruntur armis aliquoties rem gerere, et pro patria proque religione pugnare. sed barbarorum numero opprimebantur: qui abacta praeda, et in oppidum suum recepta, prodibant rursus copiis eo commeantium aucti, et quidquid antea intactum reliquissent, quaquaversus diffusi rapiebant asportabantque.

II. Catholicae Ecclesiae hoc anno, quae Constantinopoli reliqua erat, non parum profuit Siciliensis illa Constantis Aug. commoratio. nam quum Petrus Monotheletarum ille fautor Patriarcha Dei beneficio e vivis ereptus esset; Thomas in ejus locum vir Catholicus ac pietatis cultor eximius factus est.

(1) Leo Afric. *Descr. Afr. lib. v. p.* 575. v. (2) Elmac. *Hegir.* 46. *aliique* Marian. *lib. vI. c.* 11.

ANNUS CHRISTIANUS DCLXVII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Annus coepit Imperii Constantis vicesimus septimus, a Consulatu ejus vicesimus quartus, quem Saborii Armenorum ducis rebellio memorabilem fecit. nam is Maviam Califam Saracenorum, legatione missa, in suas partes perduxerat (1), militemque ab eo impetraverat, quo contra Augustos uteretur. sed tantos illos motus ipse Augusti filius Constantinus per Nicephorum Patricium brevi repressit, et Arabas etiam, qui Amorii in Phrygia praesidii caussa relicti fuerant, internecione delevit.

(1) Theoph. *Chron. p.* 291.

II. At in Africa multi jamdiu de salute sua desperaverant, nec quidquam sibi a Saracenis tutum spondebant. itaque oblatam quisque fugae occasionem libens volensque arripiebat, probus aeque et improbus, Catholicus et Haereticus. nam et malorum civium copia erat, qui per Europam in aliquot Ecclesias perniciem intulerunt, filiosque ibi sua labe infectos reliquere. in ipsa Germania, quam magnus Bonifacius multis laboribus excoluit, sectam Afrorum fuisse, qui Manichaeorum et Donatistarum errores disseminarant, ex ejus epistola accepimus (2). quin et Gregorius P. M. hoc nomine secundus Episcopis ejus regionis praescripsit, ne Afros passim ad Ecclesiasticos Ordines praetendentes ulla ratione susciperent (3).

(2) *ep.* 124. v. *Germ. sacr. Hansiz. T. II. p.* 40. (3) v. Hard. *Conc. T. III. p.* 1862.

ANNUS CHRISTIANUS DCLXVIII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Vltimus hic Constanti Augusto Regni vitaeque annus fuit, cui filius Constantinus cognomento Pogonatus successit: isque Imperii sui cum patre annum decimum quintum numerabat, Consulatum vero hoc ipso anno primum gessit, ut Consulatus ejus pari deinceps numero cum annis Imperii post patrem administrati recenserentur: quem subinde morem alii Principes retinuerunt. porro Constantis violenta mors fuit: nam eum Syracusis sextum jam annum agentem conjurati in balneo ex insidiis occiderunt (1). qui mox Armenum hominem Mizizium ob formam ejus praestantemque speciem Imperatorem salutavere. haec scilicet praemia Constantem manebant, qui nefarium propagatae haeresis scelus crudelitate atque avaritia cumulaverat.

II. At Constantinus, quum de patris exitu certior factus, tyrannum repente contra se exstitisse, Imperiumque nutare comperisset, instructa classe in Siciliam illico navigavit, Deoque auspice, quem Catholica religione venerabatur, captum Mizizium cum reliquo conjuratorum grege sustulit, patris caedem egregie ultus; et Constantinopolim brevi reversus provincias in officio continuit, remque publicam tyranni metu liberavit.

III. Huic anno adscribit Beda Theodori Archiepiscopi Cantuariensis Consecrationem, quae Romae Vitaliano Pontifice maximo peracta est: cujus sane mentio praetermittenda non erat. nam Beda eodem auctore (2) discimus, eum honorem a Vitaliano oblatum antea fuisse Hadriano Abbati, viro natione Afro, de quo haec ille mandavit litteris: *Erat*, inquit, *in Monasterio Niridano, quod est non longe a Neapoli Campaniae, Abbas Hadrianus, vir natione Afer, sacris litteris diligenter imbutus, monasterialibus simul et Ecclesiasticis disciplinis institutus, Graecae pariter et Latinae linguae peritissimus. hunc ad se accitum Papa jussit, Episcopatu accepto, in Britanniam venire: qui indignum*

(1) Theoph. *Chron. p.* 292. (2) *Eccles. Hist. lib. III. c.* 1.

se tanto gradu respondens, ostendere posse se dixit alium, cujus magis ad suscipiendum Episcopatum et eruditio conveniret et aetas. haec Beda, qui Monachum primo de vicino Virginum Monasterio demonstratum Vitaliano scribit, deinde Theodorum, qui et designatus est, his tamen conditionibus, ut eum Hadrianus perduceret in Britanniam, quod et Gallias non semel adiisset, illudque iter plane nosset: quodque unus maxime idoneus videretur, qui Graeco homini bonorum consiliorum auctor adesset, ne morem ullum ex Graecorum consuetudine inter Britannos induceret. hunc vero tantae virtutis ac sollertiae virum, aliosque hujusmodi non paucos Africae calamitates vertere solum coëgisse dicendae sunt, et quae Afros vexabant, et quae impendebant.

ANNUS CHRISTIANUS DCLXVIIII.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. Consulatus alter Constantini Augusti coepit, quo Imperii cum patre suscepti annus decimus sextus numerabatur. vix ille e Sicilia classem reduxerat, quum Saraceni (1), temporis opportunitatem nacti, insulam universam procellae more inundaverunt. inde gradus in Africam factus, quo eos socius exercitus invitaverat. nihil vero ea expeditione tristius usquam fuit, nihil luctuosius. de ea quidem pauca hesterni, ut solent, historici attigerunt (2): indigenis enim caremus; sed iis tamen illi verbis usi, quae tum perniciem plane ac vastitatem Ecclesiae Africanae illatam demonstrent. nam barbari per omnes provincias, quas saepe exploraverant, magnis agminibus vagati, octoginta hominum millia uno impetu capta in servitutem abduxisse dicuntur. quantam proinde caedem tum factam putare debemus, Afris pro libertate pugnantibus, et mortem servituti anteponentibus! in tanta illa clade plerosque ex Episcopis et Clero omni inermes ac trepidos a Saracenis Christiani nominis hostibus abreptos esse, fatendum est. ex illo certe tempore non modo Episcoporum poene obliterata mentio videtur, sed ipsa prope germanae Ecclesiae vestigia deleta, nedum species ac decora evanuerunt.

II. De Episcoporum numero si qui forte fuga elapsi in alias oras pervenere, ibidem senuisse putantur, nullumque iis postliminium fuisse: aucto in dies barbarorum numero, qui veteribus indigenis sedem praeriperent, nec reduces usquam consistere paterentur. anno DCLXXXIIII. quo in Hispania Concilium Toletanum quartumdecimum celebratum est, illic etiamtum senio confectus degebat Potentinus Episcopus Vticensis: qui, quum ad synodum invitatus esset, aetatis, opinor, aut valetudinis excusatione usus, Leopardum Abbatem eo misit (3), qui vicem ipsius personamque teneret. nec vero te moveat veteris Notitiae auctoritas,

(1) Paull. *de gestis Langob. lib. v. c.* 13.

(2) Theoph. *Chron. p.* 293. *etc.* Cedrenus *in* *Pogon. p.* 436.

(3) Mabill. *Ann. Ben. lib. xvII. n.* 42.

quam Imp. Leo Sapiens saeculo Ecclesiae nono vertente edidisse fertur (4): scio, in ea *sub clarissimo Praefecto Africae* cieri Provinciam Byzacenam et Numidiam et duas Mauretanias. sed neque id temporis Praefectus in Africa ullus fuit, et ab imperito homine ea perscripta sunt, qui in provincia Byzacena Carthaginem recensuit, et alia inepte permiscuit. illud certe constat, anno DC.LXXXXI. ab Hasano Saracenorum duce, qui Occidentem occuparant, Carthaginem ipsam eversam esse, et quidquid Graecorum in Africa erat subinde deletum: ex iisque profugos, qui superstites fuerant, in insulam Cretam denique concessisse (5). itaque ante hujus saeculi exitum nulla in Africa urbs fuit, quae in Saracenorum potestatem dominatumque non venisset. mansisse tamen Ecclesias aliquot, quae nono decimoque saeculo et deinceps Episcopos habuerint, compertum est. nam in Formosi Pontificis maximi epistola ad Fulconem Archiepiscopum Rhemensem legimus (6), *Regionis Africanae Legatos insistere, responsa petentes pro dudum exorto inter Episcopos ipsarum provinciarum schismate:* quae pertinent ad annum DCCC.LXXXXIII. Episcopos item sub Leone VIIII. et Gregorio VII. aliquot in Africa fuisse, alibi ostendimus.

(4) *Hist. Byz.* post Codin. *p.* 352.
(5) Elmacin. *Hist. Sarac. lib. I.* Theophanes *etc.*
(6) Frodoard. *lib. III. c.* 2. apud Baron.

ANNUS CHRISTIANUS DCLXX.

post Victorem Episc. Carthagin.

I. TERTIUS hic Consulatus Constantini Aug. qui et tertius Imperii ejus post Constantem annus cietur. idem Vitaliani Pontificis maximi decimus quartus fuit: quo tempore novae Saracenorum classes orbem pene omnem terrore perculerant. nam soli fere, qui extremi hominum putabantur, securi florebant Britanni, Christianis addicti sacris: quos nempe religio in primis ac pietas immunes belli fecerat, Regibus apud eos constitutis, qui sanctitate clarissimi populos non tam armis, quam virtute tuebantur. ceterae nationes, quum Deum scelerum vindicem, licentia passim dominante, irritassent; hostium furori objectae fuerant: ut adversis denique rebus pietatem excolerent, quam secundis deseruissent.

II. Neque hic ego Afros omnes culpa liberabo, quos utique sontes inflicta divinitus plaga coarguit. quin merito cum Salviano dicere plerique potuerunt (1), *Compulsus est criminibus nostris Deus, ut hostiles plagas de loco in locum, de orbe in orbem spargeret, et excitatas pene ab ultimis terrae finibus gentes etiam trans mare mitteret, quae Afrorum scelera punirent.* obliti enim, quae majores sub Vandalis tolerassent, recepta libertate abusi fuerant, ut voluptati magis, quam virtuti indulgerent. Graecorum scilicet cum litteris mores adsciverant, et

(1) *de provid. lib. VII. n.* 92.

otio delectati priscam severitatem exsuerant. quid si vera de ipsis Episcopis querela perlata est ad uxorios illos, qui non multis post annis Constantinopolim convenere Patres in Trullum, ut centum et duos conderent Canones Africanis legibus minime comparandos? eorum utique Canone xII. haec praefatio fuit (2): *Hoc quoque ad nostram cognitionem pervenit, quod in Africa et Libya et aliis locis quidam ex iis, qui illic sunt, religiosissimi Praesules cum propriis uxoribus, etiam postquam ad eos processit Ordinatio, una habitare non recusant, ex eo populis offendiculum et scandalum afferentes.* nihil certe alienum magis a majorum suorum moribus vitaque admittere poterant, apud quos castimoniae summa semper observantia fuerat.' sed tamen ea fuit Afrorum calamitas, ut lamentatione potius prosequenda, quam verbis accusanda videatur. quid enim iis accidere luctuosius poterat, qui opulentas urbes, uberrimos agros, portus atque emporia celeberrima haberent, quam ut repente patriam, fortunas, domum, libertatem amitterent? quid vero ad dolorem acerbius Ecclesiae illius interitu, quae olim crudelitati objecta tyrannorum, gloriam suam victoriis Martyrum auxerat: quae improborum criminationibus appetita, insigni summorum virorum doctrina et sanctitate floruerat: quae vim hostium, rapinas, exsilia, aerumnas, labores experta, tamquam e fluctibus pulchrior evenerat: quae intestino seditiosorum bello saepe vexata, haereses omnes partim repulerat, partim extinxerat. ad magnum hoc hominibus documentum jam esto, nihil in humanis esse, quod perpetuum praestare possimus.

(2) apud Hard. *Conc. T. III. p.* 1663.

FINIS.

Ad Paullum Brognolium V. C.
Auctorem editionis nostrae

Africa, sepositis quae chartis pressa latebat,
Consilio demum, Paulle, tuo explicita est:
Nomen et ipsa tuum, curas et munera jactat,
Hospitium felix quae bene nacta tuum.
Id sibi sed metuit, ne tot periisse labores
Fama ferat, nostro quod minor obsequio est.
Par unus succede operi: mea gloria, Paulle,
Si stet judicii laude probata tui.

INDICES

RERVM AC NOMINVM

QVAE IN ANNALIBVS ECCLESIAE AFRICANAE

RECONOSCERE IVVERIT

A

A

C

C

C

K

L

T

ELENCO

DEI

SIGNORI ASSOCIATI

ELENCO

DEI SIGNORI ASSOCIATI

DISPOSTO

PER ORDINE ALFABETICO

Accordini Signor Don Giovanni, Bibliotecario della Comunale. *Verona.*
Acerbi Signor Giuseppe, Direttore della Biblioteca Italiana. *Milano.*
Agrati Signor Giuseppe. *Milano.*
Albani Em. Card. Principe Giuseppe, Prefetto del Buon Governo. *Roma.*
Alberti Signor Don Pietro, Proposto. *S. Felice.*
Amadei Signor Girolamo, Avvocato. *Salò.*
Andres Signor Don Giovanni, Prefetto della R. Biblioteca. *Napoli.*
Antoine Signor Vincenzo, Librajo. *Bergamo.*
Apollonio Signor Don Giacomo, Bibliotecario della Quiriniana. *Brescia.*
Appiani Mons. Don Carlo, Proposto de' SS. Nazaro e Celso. *Brescia.*

Balbino Signor Gaetano, Librajo. *Torino.*
Bardaxy de Azara Em. Card. Dionisio. *Roma.*
Bardella e Ranzolini, Libraj. *Vicenza.*
Begni Signor Don Tommaso. *Chiari.*
Belgrado Signor Don Carlo, Can. Primic. *Udine.*
Belli Mons. Michele, Arcivescovo. *Nazienza.*
Bellò Signor Don Luigi, Direttore della Biblioteca Pubblica. *Cremona.*
Berardi Signor Don Gio. Alessandro. *Bergamo.*
Bertazoli Ill. Mons. Luigi, Vescovo. *Tebe.*
Bertoglio Signor Don Giovanni, Paroco. *Cizzago.*
Bianchi Signor Don Antonio, Segretario perpetuo dell' Ateneo. *Brescia.*
Biblioteca Angelica di S. Agostino. *Roma.*
——— Casanatense della Minerva. *Roma.*
——— dei Padri della Chiesa Nuova. *Roma.*
——— dei Gesuiti. *Roma.*
——— del Collegio Romano. *Roma.*
——— del Monastero de' Benedettini. *Melek in Austria.*
——— del Monastero de' Benedettini detto degli Scozzesi. *Vienna.*
——— di S. E. il Principe Corsini. *Roma.*
——— di S. E. il Principe Ghigi. *Roma.*
——— Imperiale Regia *Padova.*
——— Pubblica. *Vicenza.*
——— Quiriniana. *Brescia.*
——— Reale. *Parigi.*
——— Vaticana. *Roma.*
Bigoni Signor Paolo. *Chiari.*
Bisingen [de] Mons. Conte, Vescovo di Iassy, e Proposto del Capitolo della Chiesa Cattedrale di Vaccia in Ungheria.
Bonaldi Signor Don Giovanni, Abate. *Pontevico.*
Bonaldi Signor Giuseppe. *Brescia.*
Bonardi Signor Don Gio. Batista, Paroco V. F. *Pisogne.*
Bonardi Signor Don Lodovico, Paroco. *Gerola.*
Boni Signor Don Mauro. *Venezia.*
Bonzi Signor Don Gio Lorenzo, Proposto. *Trescore.*
Borella Signor Luigi, Librajo. *Bergamo.*
Braida Signor Don Pietro, Canonico. *Udine.*
Brognoli Nob. Signor Paolo. *Brescia.*

Caleffi Em. Card. Pietro. *Roma.*
Campadelli Signor Don Carlo, Proposto di s. Lorenzo. *Brescia.*
Capitanio Signor Don Giacomo, Rettore del Seminario. *Bergamo.*
Capellari R. P. Ab. Don Mauro, Procurator Generale dei Camaldolesi. *Roma.*
Caprano Ill. Mons. Pietro, Vescovo. *Iconio.*
Caranenti Signor Luigi, Librajo. *Mantova.*
Casati Signor Marchese Don Francesco. *Milano.*
Castori Signor Don Benedetto Antonio, Abate Cassinese. *Verona.*
Cattaneo Signor Gaetano, Ispettore del Gabinetto delle Medaglie nella I. R. Zecca. *Milano.*
Cavagnola Signor Don Francesco, Paroco. *Oriano.*

Ceruti Signor Paolo. *Soncino.*
Cesari Signor Don Antonio. *Verona.*
Cesari Signor Don Sebastiano, Curato dei Carmini. *Vicenza.*
Chiaramonti Signor Don Federico. *Brescia.*
Ciani R. Mons. Don Leonardo, Abate Mitrato di S. Agostino di Coloega, e Canonico Censore della Chiesa Cattedrale. *Trento.*
Cocchetti Signor Antonio, Medico. *Milano.*
Codronchi Ill. Mons. Antonio, Arcivescovo. *Ravenna.*

Deani P. Pacifico. *Brescia.*
Dondi Orologio, Ill. Mons. Franc. Scipione, Vescovo. *Padova.*
Dossi Signor Antonio. *Brescia.*
Dugnani Signor Don Giulio, Ciambellano di S. M. I. R. A. e Cavaliere dell' I. R. Ordine Austriaco della Corona di Ferro. *Milano.*

Faccio Signor Paolo, Librajo. *Padova.*
Fazakerleg, gentiluomo Inglese. *Londra.*
Fè Nob. Signor Don Alessandro. *Brescia.*
Ferrari Signor Don Giuseppe Antonio, Paroco V. F. *Bedizzole.*
Fenaroli Signor Conte Carlo, Ciambellano di S. M. I. R. A. *Vienna.*
Fischer [de] S. E. R. Magnate Barone, Consigliere intimo attuale di Stato, Gran Croce dell' Ordine Reale di S. Stefano d' Ungheria, Arcivescovo. *Eylau.*
Florio Signor Conte Filippo. *Udine.*
Fontana Em. Cardinale Francesco. *Roma.*
Fortunati Signor Don Antonio, Arciprete. *Ghidizzolo;*
Furlanetto Signor Don Giuseppe, Professore nella I. R. Università. *Padova.*

Gargnani Signor Don Gaetano. *Salò.*
Genkler [de] Barone Giuseppe, Consigliere Aulico. *Vienna.*
Geppi Signor Pietro Ignazio. *Prato.*
Ghigi Zondodari Em. Card. Arcivescovo. *Siena.*
Gilberti Signor Lorenzo, Librajo. *Brescia.*
Gnudi Signor Domenico, Librajo. *Bologna.*
Goffi Signor Gio. Batista. *Chiari.*
Grandini Signor Giovanni, Avvocato. *Brescia.*
Gregori Signor Gio. Batista. *Brescia.*
Gualtieri Signor Don Alessandro, Arciprete. *Manerba.*
Gualtieri Ill. Mons. Francesco Saverio, Vescovo. *Aquila.*
Gussago Signor Don Giacomo, Arciprete. *Ghedi.*

Hohenwart [de] S. A. R. Magnate Principe Sigismondo, Arcivescovo. *Vienna.*

Lambruschini R. P. Luigi, Segretario Generale dei Barnabiti. *Roma.*
Litta Em. Card. Lorenzo, Vescovo. *Sabina.*
Luchi Mons. Don Giovanni, Canonico della Cattedrale. *Brescia.*
Lussoli Ill. Mons. Vescovo. *Montepeloso.*
Lutani Cernuschi Signor Conte Francesco. *Milano.*
Maggi Mons. Don Agostino, Canonico della Cattedrale. *Brescia.*
Maino [del] Signor Mauro, Tipografo Librajo. *Piacenza.*
Malpei Signor Don Giacomo. *Verona.*
Manini Signori Fratelli, Tipografi Libraj. *Cremona.*
Marchetti Ill. Mons. Giovanni, Vescovo. *Ancira.*
Marchi Signor Don Pietro, Paroco. *Borgosatollo.*
Maria Beatrice S. A. I. Arciduchessa, Principessa d'Este, Duchessa di Massa e Carrara.
Martinengo Nob. Signor Conte Girolamo Silvio. *Brescia.*
Massajoli Signor Don Luigi, Canonico. *Roma.*
Mellerio S. E. Signor Conte Giacomo, Gran Cancelliere del Regno Lombardo Veneto. *Milano.*
Miglioli Mons. Don Giacomo, Canonico della Cattedrale. *Cremona.*
Millin Mons. A. L. Conservatore del Gabinetto delle Medaglie di S. M. il Re di Francia. *Parigi.*
Missaglia Signor Antonio, Librajo. *Venezia.*
Mordasino Signor Giovanni. *Brescia.*
Mori Signor Carlo. *Milano.*

Moroni Signori Eredi di Marco, Tipografi Libraj. *Verona.*
Mosconi Signor Conte Abate. *Bergamo.*
Musesti Signor Don Pietro. *Brescia.*
Muzio Signor Don Antonio, Paroco. *Barghe.*

Nava Ill. Mons. Gabrio Maria, Voscovo. *Brescia.*
Nava Mons. Federico, Canonico Ordinario della Metropolitana. *Milano.*
Nodari Signor Don Antonio, ex-Primicerio de' SS. Nazaro e Celso. *Brescia.*

Odorici Signor Odorico, della Congregazione Centrale. *Milano.*
Opizzoni Mons. Conte Gaetano, Arciprete della Metropolitana. *Milano.*

Pacca Em. Cardinale Bartolommeo, Camerlengo di S. C. *Roma.*
Pagani Signor Dott. Gio. Girolamo. *Lonato.*
Paganotti Signor Don Faustino, Paroco. *Pedergnaga.*
Personelli Signor Gio. Antonio. *Brescia*
Pezzana Signor Angelo, Bibliotecario. *Modena.*
Pietro [de] Em. Card. Michele, Vescovo. *Albano.*
Planis Signor Dott. Don Pietro. *Udine.*
Porcelli Signor Agostino, Cancelliere Vescovile. *Brescia.*
Porri Signor Onorato, Librajo. *Siena.*
Pujati Signor Don Giuseppe Maria. *Venezia.*

Ragonesi Signor Tobia. *Cesena.*
Rangoni Signor Marchese Bonifacio, Ciambellano di S. M. I. e R. A. *Vienna.*
Romanis [de] Signor Mariano, Tipografo Librajo. *Roma.*
Ronconi Libreria. *Prato.*
Rotingo Signor Angusto. *Salò.*
Rusconi Em. Cardinale, Vescovo. *Imola.*
Rusca Mons. D. Giuseppe, Canonico Ordinario della Metropolitana. *Milano.*

Santa Giuliana Signor Don Bartolommeo, Rettore del Seminario. *Vicenza.*
Savio Signor Don Francesco, Curato di S. Agata. *Brescia.*
Schwarzenberg S. A. S. Mons. Principe Ernesto Giuseppe, Duca di Crumau, Vescovo di S. Ippolito, ec. ec. *Salisburgo.*
Scipioni Sig. Don. Andrea. *Udine.*
Seminario Arcivescovile. *Udine.*
——— Vescovile. *Brescia.*
Severoli Em. Card. Antonio, Arcivescovo di Fessa, Vescovo. *Viterbo.*
Signori Signor Gio. Batista, Librajo. *Salò.*
Silvestri Signor Giovanni, Tipografo Librajo. *Milano.*
Soncini Signor Ab. Ercole. *Brescia.*
Sonzogno e Compagni, Tipografi Libraj. *Milano.*
Stella Signor Antonio Fortunato e Compagni, Libraj. *Milano.*
Svegliato Signor Don Gio. Batista, Professore di Rettorica nel Seminario. *Padova.*

Tellaroli Signor Gaetano Antonio. *Brescia.*
Tolasi Signor Don Bartolomeo. *Verona.*
Tosi Signor Conte Paolo. *Brescia.*
Trenti Mons. Don Girolamo, Vicario Capitolare. *Mantova.*

Uberti Signor Don Benedetto. *Verona.*

Valotti Nob. Signor Antonio del fu Diogene. *Brescia.*
Verzeletti Signor Don Gio. Batista, Paroco. *Pievedizio.*
Vincenzi Signor Geminiano e Compagno, Tipografi Libraj. *Modena.*
Vitalini Signor Don Carlo, Paroco V. F. *Salò.*

Zaina Mons. Don Giuseppe, Canonico. *Brescia.*

Septentrio

MEDITERRANEUM MARE

HISPANIAE PARS

Fretum Herculeum

Oleastrum prom.

E. TINGARIENSIS
E. Oppinensis
E. Tamallensis
E. Agrensis
E. Sestensis
E. Boncariensis
E. Gypsariensis
E. Tasaccurrensis
E. Benepotensis
E. Subbaritanus
E. Sucressitanus
E. Quidiensis
E. Adsinnadensis
E. Castellanus
E. Timicitanus
E. Nobae
E. Oppidonobensis
E. Catulensis
E. Cartennitanus
CAESAR
E. Aquensis
E. Gunugitanus
E. Mulianensis
E. Vagalitanus
E. Tigabitanus
E. Caputcillensis
E. Castrorum Nobensium
E. Tigabitanus
E. Regiensis
E. Amaurensis
E. Maurensis
E. Centenopolitanus
E. Ruanbritanus
E. Saldilanus
E. Olivensis
E. Ficensis
E. Satafensis
E. Thuccensis
E. SITIFENSIS
E. Tubiensis
E. Mediasinorum Zabunnorum
E. Zabensis
E. Zallatensis
E. Lapidensis
E. Burensis
E. Tubunensis
E. Perdicensis
E. Vescerttanus
E. Sufasaritanus
E. Mammillensis

PROVINCIA MAVRETANIAE TINGITANAE

PROVINCIA MAVRETANIAE CAESARIENSIS


PROVINCIA SITIFENSIS

Provinciae Numidiae Pars

Tamuda Flum.
Molochat Flum.
Malva Flumen
Siga Flumen
Cartennus Fl.
Savus Flumen
Calcorychii Montes
Zaratus Mons
Durdus Mons
Sarus Mons
Buzara Mons
Buzen Mons

Occidens

Oriens



Meridies

PROVINCIA
MAVRETANIAE
CAESARIENSIS
ET
TINGITANAE

Septentrio

Tab. II.





Septentrio
Tab. III.
PROVINCIAE PARS
PROCONSULARIS
PROVINCIA TRIPOLITANA
MARE MEDITERRANEUM
CERCITA INS
Cothon portus
E. ADRUM
Syrtis minor
Jovis Mons
PROVINCIA BYZACENA
PROVINCIA TRIPOLITANA
Tritonitis Lacus
Pallas Palus
Lybia Palus
Triton flumen
Bagrada flumen
Gillius Mons
Lybiae interiores Deserta
Sinus Syrticus
Syrtis major
Cinyphus flumen
PROVINCIAE ALEXANDRINAE PARS
Occidens
Oriens
Meridies

